

JOSEPHI EMMANUELIS

PERAMAS

DE VITA ET MORIBUS

TREDECIM VIRORUM


PARAGUAYCORUM.





FAVENTIÆ MDCCXCIII.

EX TYPOGRAPHIA ARCHII.

Superiorum permissu.




RPJCB



DIVO JOANNI NEPOMUCENO
PRIMO MARTYRI
SACRAMENTALIS SILENTII.

Josephus Emmanuel Peramas.

QUod summis Christianæ Religionis Heroibus a Publica olim prædicatione fidei, & veritatis, contigit decus, id tibi, JOANNES, a silentio contigisse laus tua propria est, & laus ejusmodi, ut immenso intervallo te pone sequentes anteeas. Quippe primus es Martyr arcanæ taciturnitatis, qua re una propositam in medio coronam palmamque ceteris quodammodo præripuisti.

Rapit videlicet ad se hominum cum admiratione mentes quisquis quopiam in rerum genere prior excellit; Hinc laus maxima Enoo, Patriarchæ illi, qui *cœpit invocare nomen Domini* (*a*), institutis quibusdam cærimoniis, & piis precum formulis, quibus publice, & frequentius, quam fecerant, mortales Numen colerent: hinc Moysi immensa gloria, quod primus Abrahami posteros e dura Ægypti servitute in libertatem vindicarit: hinc Josuæ eximius belli honos, quod eosdem Israelitas in terram melle & lacte manantem victor introduxerit, hinc æternum decus Salomoni Regi, quod augustam templi molem ante alios Reges construxerit, e Dei designatione; Hos, aliosque viros sacros (neque enim de profanis sæculi inventoribus huc attinet dicere, ut de Ligure illo Columbo, qui ausu magnanimo trans noti cœli plagas Novum Orbem Europæis aperuit) præstantium operum inceptio ad immortalitatem consecravit.

Haud aliter autem usu venit in feliciore hac temporum conditione, & sanctiore lege. Etenim primo divinitatis, & resurrectionis JESUCHRISTI publico testi Petro, primo inter Apostolos Martyri Jacobo, primo inter Diaconos Stephano, primæ inter Virgines Theclæ, tantus fuit quondam honor habitus, ut ad fu-

tu-

(a) *Genes. c. IV. v. 26.*

turorum exemplum, tanquam duces quosdam, & antesignanos, sacrati illos fasti piorum genti ad imitandum proposuerint, quandoquidem *quod in aure audierant* illi præ aliis *prædicarunt super tecta* (a).

At laudis, NEPOMUCENE, tuæ diversa penitus commendatio est. Nam sacramentali silentio *in aure audita*, dum obsignata servare pergis sigillis septem inviolabilibus, sigillo fidei, sigillo spei, sigillo caritatis, sigillo prudentiæ, sigillo justitiæ, sigillo fortitudinis, sigillo temperantiæ, meruisti prærogativa quadam, ut nomen tuum *prædicaretur super tecta*, & aureis scriberetur litteris in libro illo divino, quem magnis plenum arcanis nemo hominum, nemo poterat Angelorum legere (*b*).

Quod si cœlesti Agno, qui inter extremos corporis cruciatus, necemque acerbissimam, *non aperuit os suum* (c), idem ille mysticus liber ad aperiendum datus est: tibi vicissim, JOANNES, miti, & muto vel tum etiam, cum *sicut ovis ad occisionem ducereris*, concessus est novæ sapientiæ honor ineffabilis, propterea quod nec blanditiis, nec promissis, nec iræ, nec minis, nec flammis, nec diræ cædi furentis Wenceslai cesseris, ut sacrosancta silentia tuereris.

O animi robur invictum! o silentium omni

§ 3 ser-

(a) *Matth. c. X. v. 27.* (b) *Apocalyp. c. V. v. 1.* (c) *Isai. c. LIII. v. 7.*

ſermone præſtantius! Vox alios, qui ſint, & cujus ſint pretii, palam prodit: tu, contra, JOANNES, qui ſis, quantæque virtutis ſis, ſilendo manifeſtas. Optima illa puella Rhode, ut cognovit vocem Petri, (*a*), pulſantis januam *Mariæ, matris Joannis qui cognominatus eſt Marcus*, nihil aliud neu videns (erat enim nox) neu exſpectans, confeſtim *præ gaudio* cucurrit intro, nunciavitque Petrum adeſſe, ac re aderat ſolutus nuper ope divina Herodianis vinculis.

Quid? ſatiſne puelle vox, vox una fuit. ut inter tenebras Petrum, & Eccleſiæ caput agnoſceret? ſatis profecto: nihil hæſit prudens puella: vox enim fideliter indicat, teſtaturque præſentiam, & dignitatem ejus, qui illam mittit. *Vox quidem, vox Jacob eſt* (ajebat Jſaacus) *ſed manus, manus, manus ſunt Eſau*. (*b*) manus ſenem fefellere, non fefellit vox.

Utinam ah! utinam, vox Petri, vox ſucceſſorum Petri, vox Vicariorum Chriſti, quæ neminem umquam fefellit, nec fallit, nec potis eſt fallere, certam faceret de myſteriis Religionis, fidem tot turbis incredulorum hominum qui videri volunt ſapientes, & minus ſapiunt, quam pia Rhode, cui ſummum gaudium, ſumma gratulatio, ſummus plauſus, & honor fuit,

---

(a) *Act. App. c. XII. v. 14.* (b) *Geneſ. c. XXVII. v. 22.*

fuit, quod prima omnium exceperit vocem Petri, a regiis catenis liberi.

Insanis, audiit illa quidem a suis, pie stupentibus præ desiderio Petri, quem arcte vinctum, septumque custode milite norant. Petrus adest? Petrus pulsat? Petrus ad ostium loquitur? *Insanis*: Haud secus hunc liberiores Philosophi inclamant simplici plebi: Petri voci credis? Petro fidis? Petrum prædicas insanis. At ipsi potius insani sunt, qui hæc jactant, qui religatam ad Tiberis amnis oram Petri navim negant, qui renuunt audire loquentem Petrum e monte Vaticano; Sed nos, NEPOMUCENE, tecum, & cum Rhode, fideli & felici ancilla, *in captivitatem redigentes intelectum in obsequium Christi* (*a*), veritate, & evidentia rei convicti, aures dabimus *voci de cœlo allatæ* (*b*), & semper *affirmabimus sic se habere* (*c*). At hæc hujus non sunt loci.

Unum illud dico, quod huc propius attinet, ita comparatum esse natura, ut non minus voce alii ab aliis discernamur, quam vultu, debemusque loquendi inter nos facultati, ut dignitate, & sociali usu, præstemus mutis animantibus, id quod vere philosophantium nemo vel inficiatus est, vel potest inficiari. Tamen

§ 4 tibi

(a) *II. ad Corinth. c. X. v. 5.* (b) *II. Petri c. I. v. 18.* (c) At illi dixerunt ad eam (*Rhodem*) insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. *Act. App. loc. cit. v. 17.*

tibi, JOANNES, aliud philoſophiæ ſublimius genus eſt. Humana major ſorte, ut ſupra Principes, ſupra Reges, ſupra mortales omnes evehas te, ſiles; tumque maxime hominem ſomanas, cum contempto vocis officio, amandari mavis ad mutos profundi fluminis piſces.

Macte, NEPOMUCENE, hac tua virtute. Tempus erit cum amnis iſte Moldava, ſilentio tuo conſecratus, evadet multo nobilior, multoque glorioſior torrente illo Raphon, quem fortis, & pius Judas debellaturus impium, ignavumque Timotheum, *transfretavit prior, & omnis populus poſt eum, & contritæ ſunt omnes gentes a facie eorum* (*a*). *Transfretaſti* tu quoque *prior aquas multas, quæ non potuerunt extinguere caritatem*, JOANNES, tuam. Prior transfretaſti, & impium Regem viciſti. Poſt te autem transfretat omnis populus, qui fido fretus Sacerdotum ſilentio perrumpit caſtra ſacrilega inferni exercitus, ne quam rem taceat ob malum pudorem in ſacro tribunali.

Sed omnium proxime te, NEPOMUCENE, ſequuntur templi judices, nequid vel leviſſimum aut voce, aut geſtu, aut nutu indicent de audito reo, idque extrema licet circumſtent tormenta corporis. Atque hoc quidem inſuperabile eorum ſilentium fructus quidam eſt; tui, JOANNES, ſilentii, quo arcana innocen-

tis

(a) I. *Machab. c. V. v.* 43.

tis Joannæ Reginæ contra temerarii Regis audaciam constanter obtexisti. Frustra ille, quidquid malorum est, tentat, & expedit; frustra in aulicas se vertit artes: muta offendit omnia. Instat jam tibi, NEPOMUCENE, desuper strictus ensis, ni referes ora, siles: raptaris a lictoribus, siles; detruderis in carcerem, siles: ureris incensis facibus, siles: præcipitaris ab alto, siles: impingeris violenter flumini, siles: obrueris fluctibus, siles: suffocaris acto circum vortice, siles moreris; quid hic dixero: siles? Immo vero mortuus loqueris, atque ita altum tollis clamorem, ut illum e totis quattuor orbis terrarum partibus exaudiant *ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei* (*a*), qui divino confisi præsidio, tuoque exemplo impulsi, provocant ultro terrores eorum, *qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*b*).

Ita est. Ferunt præ se imitatores tui, JOANNES, sacri judices animosam illam Pauli denunciationem, qua se se & ærumnis, & laboribus, & pœnis omnibus superiores esse demonstrant *Certus sum*, ajunt, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a carita-*

te

(a) I. *ad Corinth. c. IV. v.* 1. (b) *Matth. c. X. v.* 28.

te (& arcano ſilentio) quæ eſt in CHRISTO JESU Domino noſtro (*a*).

Hæc illi a te NEPOMUCENE, incitati palam aperteque profitentur. Cujus inexpugnabilis animi primitias quaſdam videris inſpiraſſe collegis tuis, venerabilibus Pragæ Canonicis, qui extractum ab amni exanime corpus magnifice extulerunt, nihil veriti, ne furibundus Venceslaus imitari vellet ſceleratum Saulem, qui Achimelechum Pontificem ob fidele ſilentium profugo Davidi præſtitum cum LXXXIV. e ſtirpe Sacerdotali nefarie occidit (*b*).

Verum quo feror? putemne æquare me fando poſſe tot illa, & ſumma bona, quæ tu ſilendo & tibi, & nobis peperiſti? Hanc mihi in rem opus foret oratoria ea copia, & vi miſta arti utili ac dulci, qua quondam tumet utebaris (cum loqui te voluit Deus) pro excitandis inſontibus ad perfectionem virtutis, ſontibuſque deterrendis ab errore viæ, & vitæ, proque item (quæ tibi conſtantia) reprehendendo Wenceslao ipſo Rege ob juſſum (proh. nefas!) torreri coquum, qui male ipſi carnes torruerat. Huccine inhumani hominis crudelitas, & ferocia deſcenderint!

Mitto id obvolvi dignum tenebris. Illud præterire ſilentio non poſſum. Anno 1383. Do-

---

(a) *Ad Rom. c. VIII. v.* 38. (b) *I. Regg. c. XXII. v.* 18.

Dominica tertia poſt Paſcha, ſeptemdecim non amplius dies ante necem tuam, cum e ſuperiore loco tractares Chriſti verba: *modicum, & jam non videbis me (a). Jam non multa loquar vobiſcum (b)*. Ita ea explicuiſti, ut omnes plane intelligerent, de vicina te id morte tua dicere. O quæ tum auditorum lacrimæ! qui planctus! quæ ſuſpiria! qui gemitus! eodem illo die plurima & Pragæ, & Bohemiæ impendentia mala vaticinatus es: evertenda templa, deſtruendas aras, raptandos ad ſuplicia Sacerdotes, divexandam Petri fidem, ſpernenda Romana dogmata, ſtrages, bella, cædes. Evenere hæc paulo poſt, ut denunciaſti, emerſis ab tartari ſedibus Hieronymo de Praga, & Joanne Hus.

Sine, compellam hic, & rogem te, NEPOMUCENE vates. Averte, precor, ab Europa eadem iſta, ne dicam majora, mala, quæ miſeros affligunt populos. Vides omnia ſuſque deque verti; vides ſacroſancta ſperni jura; vides allatrari Paſtorem ipſum ſummum; vides fidos cuſtodes gregis abigi; vides laniari gregem; vides trahi in vincula, cædique ararum miniſtros; vides urbes provinciaſque inundari ſanguine; vides machinis omnibus avitam Religionem concuti; vides impia arma; vides effrenem licentiam; vides corruptos mores; vides nefaria conſilia: atque hæc a quibus? a monſtris Hie-

---

(a) *Joan. c. XVI. v. 16.* (b) *Idem c. XIV. v. 30.*

Hieronymo illi, & Hufio fimillimis. Medere igitur, JOANNES, tot calamitatibus publicis, arce bacchantes lupos, fave piis ovibus, cohibe, ac diffipa molimina eorum, qui *convenerunt in unum adverfus Dominum, & adverfus Chriftum ejus* (*a*). Sed mala nullis fat flenda lacrimis abripiunt me longius.

Revertor illuc, unde difceffi. Quoniam ad facta tua, JOANNES, & dicta, explicanda impares eloquio fumus, fatius erit ad filentium nos, tamquam ad facram ancoram confugere, & demandare te laudandi munus vel flammis illis, quæ natali tuo prælucentes, jam tum portenderunt, quam tibi deinceps illuftre vitæ genus futurum effet, vel ftellis, quæ micanti tramite iter indicarunt animo tuo ad fidereas fedes afcendenti (& quidam in pervigilio illius diei, quo hominum liberator, & vindex claufas cæli portas aperuit) inter choros beatarum mentium novis canentium fidibus novos hymnos, utpote pro novi ordinis Martyre.

Debebatur magnificus is triumphus tibi, qui, quam *nullus hominum domare poteft* (*b*), domuifti linguam, quantumvis fit hæc ex fe ipfa *ignis*, atque *univerfitas iniquitatis* (*c*). At univerfa ejufmodi iniquitas male loquentium in te, obfirmatum Chrifti gratia ad fanctum filentium,

---

(a) *Pfal. II. v. 2.* (b) *Jacobi c. III. v. 8.*
(c) *Ibid. v. 6.*

tium, nihil agere potuit, nihil in te potuit vivum, nihil in te, JOANNES, mortuum: vivus enim *beatus* fuisti *non lapsus verbo ex ore tuo (a)*; mortuus autem id privilegii assecutus es, ne linguæ tuæ ulla vel macies, vel tabes auderet officere: sed rubens illa, & integra, post tot sæculorum injurias, quæ omnia vetustate consumunt, semper perstitit, ut non tam humana esse videatur, & mortalis, quam ævum in præsens futurumque immortalis, atque earum una, quas supra Apostolorum verticem Spiritus Paraclytus e cœlo delapsus effudit.

Intranti autem jam æterni Regis æternam aulam, præ Superum aliis, longe obviam processit magnus ille Heros, qui suum tibi nomen, & cum nomine virtutem dederat, gratulatusque est verbis inexplicabilibus, quod proxime ipsum secutus, vultu, & pectore imperterrito impuri Regis cupiditati primum restiteris, & crudeli postea carnifici objeceris fortiter sacrum caput. Hoc unum interest inter te, JOANNES, & JOANNEM Domini præcursorem, quod is palam loquens, tu altum silens, piam necem (e pari paris tyranni decreto) & cum nece gloriosum triumphum reportastis.

De reliquo, cum sis, NEPOMUCENE, bonæ defensor famæ, id a te posco, ut benigne aspicias vitas has Virorum Paraguaycorum, quas

(a) *Ecclesiast. c. XIV. v. 1.*

quas tibi ſiſto. Neque equidem dubito, quin optatum mihi patrocinium e ſublimi gloriæ tuæ ſolio delaturus ſis, qui præpoſitus olim regiis eleemosynis neminem ſtipis egentem a te abire vacuum es paſſus. Præter id autem eſt & aliud, quod certa me fiducia implet impetrandæ opis tuæ. Nempe viri hi, quos tibi commendamus, te ſingulari quodam modo demeriti ſunt, aucto cultu tuo ad extremas Orbis partes; & quidem ultimum, quod condere aggreſſi ſunt, oppidum nomini tuo dedicarant, ut præſens opitulareris coalituræ illuc ad civilis Chriſtianæque vitæ inſtitutionem Guanarum genti, genti docili, ac miti, cui tu & oro & obſecro, ut optimos magiſtros cultoreſque des, quo magis magiſque Redemptoris noſtri fides, & doctrina, remotis illis in regionibus, *ſicut & in univerſo mundo, fructificet, & creſcat* (a).

Unus tandem ex iis, quorum geſta ſcribimus, Coſmas Agullo, dux, & auctor fuit Bonaurenſibus Sacerdotibus, ut ſe ſe in fidem, NEPOMUCENE, tuam, & clientelam traderent, quod illi fecere volentes libenteſque, inſtitutis, te Præſide, crebris de morum diſciplina, officiiſque hominis Chriſtiani, diſceptationibus, quibus ſe ſe (præter bonum vitæ exemplum, cujus ſumma vis eſt) ad rectum animarum cultum, regimenque pararent.

Et

(a) *Ad Coloſſenſ. c. I. v. 6.*

Et vero quem ſibi illi meliorem eligerent patronum præceptoremque, quam te, qui non ſolum eximia ſanctitate eminuiſti, ſed etiam, pro debitis exquiſitæ ſcientiæ præmiis, laurea Philoſophiæ, & Theologiæ, ſacrorumque Canonum publice donatus quondam es; quique ob indefeſſum alienæ ſalutis ſtudium, ob templi miniſteria ſancte caſteque obita, ob conſtantiam fructuoſe ardenterque concionandi, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis* (*a*), ob auditos amanter, & patienter reos in ſacro tribunali, ob curata large ſubſidia turbis inopum, ob ægros aditos ſæpe, & blande recreatos, ob præſtitam aſſidue operam moribundis, ob hæc, atque alia in omnes civium claſſes merita, factus es vera dicatorum Deo hominum forma, & exemplum ſingulare, quod ſibi ad imitationem proponat *genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis* (*b*).


Age hoc ergo, JOANNES, ut venerabile illud Bonaurenſium Sacerdotum collegium, ut Religioſi viri, ſacratæque Virgines, ut Senatus populuſque, te in contemnendis honoribus, opibuſque, quæ obſint bono animi, te in colenda eximiis officiis, DEI MATRE MARIA, te in perferendis fortiter pro virtute laboribus, te in promovenda ſacrarum rerum obſervantia,

(a) I. *Corinth. c. II. v.* 4. (b) I. *Petri. c. II. v.* 9.

vantia, & fovenda pietate, te in augendo templorum ornatu, & tuenda religione, te in servando silentio, cum *tempus silendi est* (a), te denique in recto verborum usu, cum est *tempus loquendi* (b), æmulari enixe studeant, ut quod e vita tu digne acta, & morte sancte obita consecutus es *æternum gloriæ pondus* (c) & ipsi consequantur.

(a) *Eccles. c. III. v. 7.* (b) *Ibid.* (c) *II. Corinth. c. IV. v. 17.*

Descriptio Oppidi Beatae Mariae Virginis a Candelaria apud Indos Guaranios.



Explicatio notarum

I. Templum.
II. Cœmeterium.
III. Ædes Parochi ejusque socii.
IV. Officinae Oppidi.
V. Hortus.
VI. Domus Viduarum.
VII. Forum quadratum.
VIII. Statua B. V. Mariae.
IX. Duo sacella.

Nomina Oppidorum Guaranicorum Candelariae Oppido forma similium cum numero capitum ex censu An. MDCCLXVII

Ad Paranam Flumen.


	Capita
S. Ignatius Guazu	1926.
S. Maria de Fide	3954.
S. Rosa Limana	2243.
S. Jacobus	2822.
SS. Cosmas et Damianus	2337.
Ytapuà	4784.
Candelaria	3064.
S. Anna	4334.
Lauretum	2462.
S. Ignatius Mini	3306.
Corpus Domini	4587.
Jesus	2365.
Trinitas	2866.

Ad Flumen Vruguay

	Capita
S. Josephus	2122.
S. Carolus	2367.
SS. Apostoli	2127.
Conceptio	2839.
S. Maria Major	1475.
S. Franciscus Xavier	1527.
SS. Martyres	1662.
S. Nicolaus	3811.
S. Aloysius	3353.
S. Laurentius	1242.
S. Michael	3164.
S. Joannes Baptista	3791.
S. Angelus	2362.
S. Thomas	2172.
S. Franciscus Borgia	2583.
S. Crux	3243.
Yapeyu	7974.

Ad Silvas Tarumà

	Capita
S. Joachimus	2017.
S. Stanislaus	2300.
Summa totalis	93181.



JOSEPHI PERAMASII

VITÆ SINOPSIS.

INgrati, ne dicam iniqui, esset animi, ut cujus industria, constantique labore fratrum nostrorum religione illustrium virtutes eximiæ sunt ad commune omnium commodum consignatæ litteris, ejusdem præclara exempla silerentur: neque enim debitus haberetur honos viro de nobis, deque posteris nostris egregie merito; neque integra constaret gloria scriptori, qui aliorum res religiose gestas indefesso est studio ad mortem usque accuratissima scriptione prosecutus, dignissimus ipse posterorum memoria, nostraque imitatione propriis. Hic certe fuit Joseph Emmanuel Peramasius, ut & ea, quæ hactenus ab eo vulgata sunt opera testantur, & ex ea, quam subjicimus, adumbrata licet dumtaxat, ejusdem Imagine constabit.

Mataroni, quæ urbs est maritima Principatus Catalauniæ haud ignobilis, sexdecim circiter milliaribus ab Barcinone, natus est 15. Martii, 1732. Joseph Emmanuel loco nobili, quodque refert plurimum, parentibus religione, ac pietate conspicuis Raphaele Peramasio, & Maria Teresia Guarro, quibus jam ab teneris unguiculis erat in amore, ac deliciis Joseph secundo genitus; cum ea jam ætate suavissimæ indolis, atque ad omnem virtutem aptissimæ, assidua exhiberet experimenta. Namque & eorum dictis, ac nutibus erat audiens quam diligentissime, & in ea tenera ætate religionis rebus, atque secessu mirifice delectabatur. Erat domi Jesu columnæ ad flagra al-

ligati lacrymosa Imago: ad hanc puerulus Joseph sæpe confugiebat, ejusque pedibus provolutus effundebat tenerrimi cordis studia ardentissima. His religionis, ac pietatis sensibus vigebat quotidie magis, nec ab iisdem distrahebatur crepundiis puerilibus.

Interea temporis Raphaeli vertendum fuit solum, & familia tota in novam Carthaginem transferenda, quo eum vocabant imposita regio ex imperio negotia. Ea in urbe traditus est Joseph nostrorum curæ, ac disciplinæ Magistrorum, quorum votis in litterariis exercitationibus cum abunde faceret satis, & vigentis ingenii non minus quam constantis studii signa plurima dedisset, cæpit internis agitari stimulis, ut dicto æternum vale terrenis omnibus liberius, uberiusque creatori suo famularetur. Id cum serio statuisset; petiit in Sociorum Jesu numerum adscribi; nec multo post obtinuit quæ petierat; cum mores optimi, egregia indoles, ingenium haud vulgare, discendique ardor petentem apud omnes commendarent. Difficile dictu est quanto gaudio exultaverit cum se voci compotem factum cognovit, quanta deinde alacritate, cum religiosæ vitæ fundamenta altius jacturus, jussus est proficisci Tarraconem.

Vale igitur dicto fratribus, ac domesticis, paternisque cumulatus benedictionibus, accinxit se nonaginta prope leucarum itineri, atque duodecima Novembris in pervigilio scilicet Angelici Juvenis S. Stanislai, ejusdem Societatis Tironis, tyrocinium ingressus est. Quanto autem studio perfectiorem vivendi rationem susceperit; quo animi robore aggressus sit iis instrui virtutibus, quibus exerceri maxime oportere Societatis alumnum ex legibus sanctissimis intelligebat, ipse ejus Socius, & comes haud facile pro meritis dixerim. Eminebat in eo præter egregiam indolem animi demissio, qua & de se humiliter sentire ostendebat, & alacri animo in infimis ministeriis exercebatur,

tur,

tur, eodem modo studens de omnibus benemereri sive ceteris tyronibus praeesse juberetur, sive subesse: praeesse autem jubebatur saepe nonnullis, cum optimis scribendi formis valeret plurimum, & hac etiam in re dignus judicaretur, quem sibi alii imitandum proponerent; versatilis animi promptitudo, qua presto erat, quocumque vocaretur; eximius paupertatis amor, quo non solum miseris, tritisque vestibus libens utebatur, verum etiam emendicato pane vivere quibusdam in pervigiliis postulabat. Hisce religiosae vitae exercitationibus ita suavissimam naturam perficiebat, ut omnium ad se studia raperet, & esset nemo, qui ejus colloquiis mirifice non delectaretur. Nesciebat irasci, & si quando verbo alterius se pungi, vel lacessiri sentiebat, dulci solebat subrisu conjectos retundere aculeos. Id, me teste, ut alia omittam, praestitit luculenter, cum sub mensa quodam die exercendae animi demissionis gratia stratus prandisset. Hac molestia, atque incommodo non contentus, pane vesci voluerat infimo, qualisque distribui pauperibus a Janitore quotidie solebat. Id conspicatus alter ex temporalibus coadjutoribus, hilaris cetoroquin vir ingenii, occasionem se existimavit arripuisse opportunam, qua Joseph patientiam experiretur. Itaque cum ambo essemus simul post prandium, accessit ad nos, & ad me conversus; scis, inquit, cur noster hic fraterculus sub mensa modo pranderit, scilicet ut communem in panem simul, & infimum plenius, liberiusque sese inobservatus ingurgitaret, ut ipse adnotavi. Haesi ad importunam hominis animadversionem; Joseph vero ita inopinato aggressus, ridenti ore spes delusit interturbandae ejus patientiae, si quas vir ille animo conceperat.

Eadem animi contentione studebat ceteris instrui virtutibus, quae hujus sunt animi demissionis comites, & administrae; acerrima sensuum custodia, & corpo-

ris mortificatione; perfecta sui abnegatione, & quæ nihil erat in Societate Jesu commendatius, nihilque necessarium magis, omnimoda Superiorum nutibus obedientia. Quibus in omnibus ita est progressus, ut exemplo fuerit ceteris Tyronibus, quorum haud pauci etiamnum superstites, ea quæ scribimus plane attestabuntur. Neque hac usus contentione est in Tyrocinio dumtaxat, omnique alia cura, atque solicitudine vacuus, quæ animum posset ab studio perfectionis propria impedire, aut retardare; eadem vidi illum prælucentem cum ambo simul homanioribus litteris, præceptisque Oratoriis recolendis, capiendisque novis institutionibus navabamus operam Manresæ, quo paulo ante transmitti cœperant probati jam Tyrones, ut rursus, uberiusque litteris illis imbuerentur, quæ si Religiosis aliis viris ornamento esse putantur, nostris ita erant necessariæ, ut qui illis careret, absolutus haberi operarius pro Instituti nostri ratione non posset. In hisce igitur comparandis cum fuerit solertissimus; eam copiam est consecutus, cujus deinde novis cognitionibus, novisque disciplinis instructæ & dicendo, & scribendo quæ jam vulgata omnium probatione sunt, tanta dedit experimenta. Pari mentis conatu, nec minori ingenii laude exegit Cæsaraugustæ Philosophiæ curriculum, quo tempore majori ardens desiderio sese penitus devovendi Deo, ac proximorum saluti, valedicturus æternum patriæ, propinquis, parentibus, missiones petiit transmarinas.

Voti compos est factus cum confecto Philosophiæ curriculo latinas litteras profitebatur Cervariæ celebri totius Catalauniæ Principatus Academia, in qua cum latinæ litteræ non assidue modo, sed peritissime, exterorum etiam Scriptorum postremis hisce temporibus celebratissimorum judicio, tractarentur; mirum quantum hanc nactus occasionem Joseph sibi gratularetur, eademque usus fuerit, ut easdem litteras multo perfe-

ctius

ctius adsequeretur. Hisce studiis, & humanioribus litteris inter docendum delectabatur; cum a R. A. P. Præposito Generali facta est ei potestas in Americam navigandi, designataque Paraquariæ Provincia. Moram nullam injecit vocanti Deo, relictoque sui desiderio Cervariensibus Sociis, quos dulci, ingenua, religiosaque agendi ratione præcipuo sibi amore devinxerat, profectus est in portum Sanctæ Mariæ, quo conveniebant ei futuri ea in navigatione comites. Inde in Americam solvit ineunte Aprili an. 1755. nec Bonas Auras attigit nisi exeunte Julio.

Curato per aliquot dies corpore in ea urbe, refectisque ex longa navigatione viribus dum Socii alii suis quisque ministeriis destinantur, Joseph cum adolescentibus aliis, qui jam philosophica studia confecerant, missus est Cordubam Tucumanorum, ut sacris studiis navaret operam. Quo magis, propiusque sacris ministeriis litterariæ istæ exercitationes accedebant, eo arripuit easdem solertius, acriusque Joseph, ut ipsi nihil esse in humanis videretur præter Theologiæ, propriæque perfectionis studium. Utraque in re ut suis in Europa Sociis præluxerat, ita Americanis visus est absolutissimus; dignus propterea, qui absoluto studii illius curriculo, ingenii, adeptæque Theologicæ scientiæ supremum, publicumque universæ Academiæ experimentum daret in propugnandis thesibus plurimis, quas præcipua modestiæ, ingenii, doctrinæque laude sustinuit. Eodem tempore sacris illis studiis quamvis conatu maximo detineretur, ocium nihilominus nactus est Juvenis in studendi labore indefessus, quod scribendis annuis Provinciæ Paraquariæ litteris destinavit, quas non probavit modo universæ Societatis eo tempore Historicus Vir Cl. Julius Cæsar Cordara, sed admiratus est etiam maxime, cum rescivisset, easdem fuisse ab Scholastico conscriptas.

Hac tanta nominis sui commendatiove confectis

ſtudiorum curriculis, Sacerdotio initiatus, & tertio demum juxta Inſtituti noſtri rationem probatus Joseph cognovit quam fortioribus vinculis Deo adſtringeretur, procurandæque proximorum ſaluti. Ut Holocauſtum perficeret, quo terrenis omnibus valedixerat; religioſam profeſſionem fuerat amplexus; votis ſe Omnipotenti conſecrarat, optabat educendis e ſylvarum latebris barbaris nationibus deſtinari, in quo miniſterio exantlandi labores eſſent maximi, & aſſidui, & quotidiana ſeſe offerebant diſcrimina vitam pro Domino profundendi: cum vero animo infixiſſet, nullum eſſe gratius Deo ſacrificium, quam obedientiam, ideoque ab Superiorum nutu pendere totus vellet, re Domino commendata, traditam ſibi ſpartam excolendam ſuſcepit. Addictus eſt erudiendis Indis Guaraniis, quos inter, etſi effundendæ ſanguinis & vitæ rariora eſſent diſcrimina, ſuſtinendorum laborum ſeges erat uberrima. Contigit ei oppidum S. Ignatii, quod indigenæ parvum *appellabant, in quo, uti & in aliis in quibus ejus opera deſiderabatur, ea contentione inſudavit, quam ſperare quiſque poterat ex ejus inflammato deſiderio Deo, proximorumque ſaluti inſerviendi.*

Dum hiſce miniſteriis totus, ac ſumma alacritate exercebatur, tamquam in termino conſtitutus votorum ſuorum, cedere loco debuit, ſibique Chariſſimis valedicere Indis, quos paterna pietate fovebat. Appulerat ex Hiſpania in eam provinciam novus juvenum Sociorum delectus, qui cum eſſent humanioribus litteris plenius erudiendi prius quam diſciplinis altioribus imbuerentur, nullus creditus eſt huic miniſterio Joſeph noſtro aptior, cujus & religioſa vivendi ratione, & conſtanti ſtudio plurimum illi proficerent. Reverſus eſt itaque Cordubam itinere quadragentarum leucarum, ac juvenes illos excolere cepit non minus religioſæ vitæ exemplis, quam Rhetoricis inſtitutionibus; ex quibus optatus conſtitit fructus; cum incer-

tum

tum esset, utrum auditores suos diligeret magis Joseph; an ab iisdem diligeretur. Neque aliter res processit, cum jussus est morum doctrinam tradere, quod docendi munus committi solebat nemini, qui Philosophiam prius non fuisset professus. Suscepit delatum honorem Joseph eadem, qua reliqua ministeria, mente, & novo muneri exercendo pro summa ejus dignitate, atque utilitate, contulit quas habebat omnes ingenii vires. Promptus erat, perspicuusque in exponendis, solvendisque gravissimis difficultatibus, ea tamen modestia utraque in re utebatur, ut nec propriis hærere sensibus ostenderet, nec parvi facere alienos.

Hæc inter regio ex imperio coactus est redire in Europam, Italiamque exul quærere commune reliquis hispaniensibus Sociis exilium. Tulit impavido animo inopinatam sortem, perpessusque est alacriter, quæ ipse posterorum memoriæ litteris consignavit, dum res aliorum gestas ad nostram imitationem referret. Molestiarum ceteris communium partem haud parvam effugere ipse potuisset, nisi Crucis Christi, ut erat, amantissimus fuisset, & charitate erga omnes ardentissimo. Regionum illarum supremus Præses cum de germano fratre Josephi benemereri vellet, hunc donis, dulciariis, vestibus, pecunia uberrime instruxit, nihil esse volens, quod ipse longa in navigatione suscipienda desiderare posset. Excepit oblata, eorum vero usum & commodum retulerunt ceteri, quos ipse se egentiores, talique subsidio dignores existimabat universos.

Navigandi tædium longa oratione, lectione, scribendique labore superavit; namque latine ephemeridem accuratissime descripsit, qua locorum, climatum, resque omnes præcipuæ continentur, quas ab Corduba Tucumanorum Faventiam usque in Æmilia adnotavit; qua in urbe constitit 27. Sep. 1768. futura exuviarum suarum sede. Hic quod in America inceperat docendi munus prosecutus est, cum privata in domo ex nostris

faci-

facile sexaginta versarentur, in quibus & vigebat religiosæ vitæ ratio, & excolebantur scientiarum studia non minus diligenter, quam in Collegiis. Dum hisce insudabat studiis, librum exaravit quem inscripsit: Præsidium Juventutis; *in eo scilicet ostendit quam apposite dati sint Studiosæ Juventuti Angeli Tutelares Juvenes Angelici Aloysius, atque Stanislaus, quantumque præsidii polliceri sibi ab iisdem possit eadem, & debeat.*

Restabat ebibenda Joseph pars calicis amarissima; resolutio scilicet Societatis Jesu, cui sese adolescens totum devoverat, & cujus institutis fuerat ad Dei gloriam, proximorumque salutem enutritus, quamque singulari proinde pietate prosequebatur. Exantlati ad ea usque tempora labores terra, marique maximi dulces ei, levesque videbantur præ acerbo dolore, quo conficiebatur inflicto hoc postremo vulnere. Nihil sibi reliquum in hac vita existimavit præter secessum suum, preces, ac cælestium meditationem, ex quibus exercitationibus illud, quo maxime indigebat, robur acciperet, & mentem pasceret lectione. Hanc igitur instituit vivendi rationem.

Modico victu contentus interdiu, & noctu prope incænatus carpebat somnum, ultra quatuor horas non productum. Summo mane surgens primas diei horas meditationi, orationique dabat pro se, pro Ecclesiæ necessitatibus universis; parabat se deinde Divino Sacrificio, quod gravitate, ac reverentia maxima, & undique religionem spirante offerrebat; sacrificium sequebatur gratiarum actio, in qua multum temporis detinebatur. Ex hoc, ut virtutes mutuo se fovent, & altera alterius exercitatione continetur, ac crescit, hauriebat eximium illud religionis studium, quo res divinas pertractabat universas, quo catholicæ Ecclesiæ dogmata, doctrinam, leges omnes habebat vita ipsa chariores; nihil & horrebat vehementius quam obstinatam hæreticorum contumaciam, ecfrontemque audaciam

pseu-

pseudophilosophorum hujus ætatis, quos ferebat egerrime ab aliis commendari ingenii quamvis, eruditionisque laude; quo denique unicam, & quotidianam sibi constituerat animi, viriumque relaxationem in templum se conferre, in quo V. Eucharistiæ Sacramentum publicæ populi venerationi ostendebatur, ex hoc ardentior in proximos spiritus charitatis evadebat, quibus quacumque in re opem ferre posset, præsto aderat, sive benevalentibus opera, consilio, re sua; sive egris hisce omnibus, & ministerio etiam suo: nec sustinebat quemquam de alio obloquentem alienæ famæ, existimationisque defensor egregius: quin & in ejus adversariis deprehensa est chartula, in qua sacrificia ab eo oblata adnotabantur, Pro America: Pro Hispania: Pro Fide Ecclesiæ: Pro Religionibus: Pro Animabus: Pro Indis, & Nigris: Pro Infirmis Moribundis: Pro Juventute. *Ex hoc denique adquirendæ perfectionis vigentissimum illud studium, quod singulis annis corroborabat in recessu ab omni alia cura, soli Deo, divinarumque rerum meditationi per dies octo deditus.*

Hinc tribus illis virtutibus, quibus Deo voto se constrinxerat, mirifice prælucebat Sociis omnibus: namque in corporis habitu, incessu, usu nemo est, qui singularem ejus modestiam, modumque plane religiosum non commendet maxime. Externus corporis cultus honeste operiebat internum miserrimum, abjectissimumque; nec adduci poterat, ut stipendium pro Sacrificiis ullum acciperet, acriusque urgenti cuidam, ut hac secum indulgentia uteretur, respondit, id se facturum minime, adjecitque apostolicum illud: quid mihi convenit ego scio. *Effugiebat profanos conventus; alterius Sexus horrebat familiaritatem omnem, cum fuerit semper timidæ, delicatæque conscientiæ: acerbis corpus tractabat modis, ut plura in hanc rem instrumenta testantur, quæ inventa apud ipsum sunt. Utque fidissima Angelicæ hujus virtutis custos est ani-*


mi

mi demiſſio, hanc colebat omni conatu. Qui aliorum errata omni qua poterat ratione excuſare nitebatur; agnoſcebat & fatebatur ſincere ſua. Subjiciebat aliorum judicio quidquid ſcripſerat; ſi quid minus probari a cenſoribus videbat, damnabat & ipſe ad correctionem paratiſſimus. In poſtrema, quam ad me dedit, epiſtola, cum dixiſſet, perduxiſſe ſe ſe jam ad terminum ſecundum illuſtrium virorum volumen, præloque paratum habere; adjunxit: miraberis cum librum legeris, quanta mecum indulgentia uſi ſint operis hujus cenſores.

Domum poſt peractam rem ſacram redux, corroboratiſque paulułum levi refectione viribus, dabat operam lectioni, orationi, ſcriptioni, quibus tota ejus vitæ ratio conſtabat; neque ab hiſce divellebatur, niſi Charitas, comitas, & aliena utilitas aliter poſtularet. Hujus laborioſæ vitæ fructus extitere opera jam vulgata typis: Orationes quinque latino ſermone in laudem D. Ignatii Duarte, & Quiros Seminarii Monſerratenſis fundator Cordubæ Tucumanorum. De Sacro in novo orbe invecto Poema quatuor libris diſtributum; Argumentum autem de Euchariſtia duodecim libris uberius pertractatum, notiſque illuſtratum prælo paratum reliquit. Huic, quod publici juris facimus poſtremam manum addiderat, cum repente eſt colicis doloribus correptus vehementiſſimis, quique proximam viſi ſunt mortem portendere. His aſſidue, acriterque vexatus cum haud facile poſſet refici cæleſti pane, enixe precatus eſt Dominum, ut remiſſius ſævirent dolores, quo tanto frui bono liceret; exaudituſque eſt adeo ut ex ſociis nonnulli ab induciis illis id ſibi pollicerentur, quod maxime optabant: ipſe vero morbi vires adeo non exiſtimavit extinctas, ut Capuccinis Sanctimonialibus apud quas quotidie ſacra faciebat, ſignificari voluerit, ſibi perſuaderent, ejus ſacro miniſterio deinceps eas non uſuras. Equidem haud multo poſt intumeſcere,

prio-

priores excitari dolores, atque violenter ſævire, novum, manifeſtiuſque apparere vitæ diſcrimen. Adeo acerbis cruciatibus totos viginti tres dies reſupinus vexatus eſt quin queri ſit umquam auditus. Refectus iterum cælesti viatico, & ſacro inunctus oleo die 23. Maji 1793. placidiſſima defunctus eſt morte, relicto nobis maximo ſui deſiderio; & poſtridie elatus fuit in Eccleſiam PP. Ciſtercienſium, quæ olim fuerat Jeſuitarum.



DE ADMINISTRATIONE GUARANICA COMPARATE AD REMPUBLICAM PLATONIS COMMENTARIUS.

I. SIquando tempus ullum fuit celebrem illam Rempublicam Platonis in uſus deducendi, hoc eſt profecto, cum inſanientis Philoſophiæ Epicureus grex, exoſus majorum noſtrorum ſancta inſtituta, rectumque gubernandi modum, omnia ſuſque deque vertit, atque aliud ex alio in dies comminiſcitur, ut felices (si ſuperis placet) populos efficiat. Cur ergo illam eximii Philoſophi, quem totius græciæ doctiſſimum appellat Tullius, Reipublicæ formam non adoptant ſibi? Sunt ibi quædam, quæ non probes; id equidem ſcio, & fateor; ſed pleraque ſunt pulcherrima & optima. Hæc ſumant, in his ſe ſe exerceant, & quandoquidem nobiſcum, & noſtro more nolunt vivere, a nobis tandem ſecedant novarum rerum ſtudioſi, interpoſitoque Oceano in ultimas migrent terras, ubi ſoli regnent: id multo erit melius, quam tot deliria, & ſomnia philoſophica in vulgus ſpargere, e quibus tanta fit rerum perturbatio, ut ſuæ quemque fortunæ nunc maxime pœniteat.

II. Sed numquam vani homines commenta ſua, utpote inimica Religioni, & contraria felicitati publicæ, ſapientibus probabunt; neque ex eorum impiis decretis Reſpublica ulla, quæ cum Platonica comparari poſſit, ſtabit in Europa. Quid vero? Stat illa, aut ſtetit aliquando alibi gentium? Id nunc quærere

inſtituimus, ſubitque animum oſtendere in America quiddam ſimile extitiſſe Platonicis inventis inter Guaranios Indos, quorum ita frequens nobis mentio eſt in vitis virorum Paraguaycorum, ut argumentum hoc, tamquam prodromus, haud alienum propoſito noſtro eſſe videatur.

III. Accedit huc (nequis inutilem putet Commentarium hunc) quod a nobis dicenda ſiç conjuncta ſint cum myſteriis Chiſtianæ inſtitutionis, ut plane conſtet ab hac una pendere bonum publicum, tantoque beatiores eſſe populos, quanto obſequentiores ſunt Chriſti præceptis, ac divini cultus veræque fidei tenaciores; qua re nihil validius eſt ad refutanda hujus temporis Philoſophorum temeraria atque irreligioſa molimina.

IV. Is autem nobis ſcribendi erit modus: ponam compendio quid quaque in re voluerit Plato (*a*); dein dicam quid inter Guaranios fieret, ac tuum eſto denique, collatis capitibus, pronunciare, convenirent ne invicem utraque inſtituta, an contra diſcreparent. Ceterum ad rem hanc digne tractandam opus eſſet juſto volumine, quod nec hujus eſt loci, nec temporis. Hac cauſa medium tenentes delibabimus dumtaxat aliqua, e quibus fiat conjectura de reliquis.

V. Nequis vero putet a nobis hic quicquam fingi, quo magis emineat comparatio iſta, profiteor me, quæ dicam (tametſi inter Guaranios diu fui) ex editis jampridem monumentis producturum, ex ſcriptis

---

(a) *Plato bina ſcripſit opera de gubernandi modo, alterum cui titulus eſt* RESPUBLICA, *ſive* de JUSTO, *&* *conſtat X. libris, alterum, quod de* LEGIBUS *inſcribitur, & babet libros XII. Ex utroque nos opere ſenſa Platonis ſparſim ſequimur, non verba, nec ordinem.*

ptis ſcilicet Cl. V. Ludovici Antonii Muratorii, qui cum alios, tum teſtem citat Hippolytum Angelitam, Cœnobitam Conventualem, verſatum quondam in Paraguayca regione. Utar item libris Jacobi Vannierii, Galli, & Galli etiam Petri Franciſci Xaverii Charlevoixii, cujus hiſtoriæ adjecta eſt pulchra deſcriptio Joſephi Cardielis Hiſpani *de moribus Guaraniorum*.

VI. Sunt etiam plures alii, qui hac agunt de re, ut Monteſquieu, ut Haller, ut Buſching, ut terni Antiſtites, qui oppida Guaranica pro munere ſuo luſtrarunt, Petrus Faxardo Ordinis SS. Trinitatis, Joſephus Peralta Ordinis PP. Prædicatorum, & Joſephus Palos Ordinis S. Franciſci. Epiſcopus etiam e Clero Emanuel Antonius de la Torre (quem nos ſuperſtitem Boniſauris reliquimus) poſt aditos primo (his adiit) Guaranios an. MDCCLIX. litteras cum inſigni commendatione Guaranicæ adminiſtrationis ad Aulam Matritenſem miſit: ſed hæ litteræ editæ in publicum non ſunt. At jam graviſſimum & diſertiſſimum Græcorum Philoſophorum audiamus.

PLATO
De ſitu Urbis condendæ.

VII. Urbs, quoad ejus fieri poterit, ſemota a mari, condatur in media regione, ubi & copia ſilvæ ſit, & fertilis ager, qui omnia ferat, quibus civitati opus eſt; nec tamen abunde ferat omnia, ne luxus ex nimia ubertate irrepat in cives. Quippe ſi ſitus urbis portui ſit proximus, & indigeat ſupra modum peregrinis rebus, fiet, ut incolæ induant diſſonos, & varios mores, eoſque pravos, inſtituto cum externis commercio, quo (auctis mercibus & pecunia) aperietur locus fraudibus & dolis, receptæque conſuetudines erunt inſtabiles incertæque, importatis

aliunde aliis atque aliis vitæ & victus & vestium modis, usibusque. E contrario, non debet locus urbis distare nimium a mari, ut possit illa merces, quibus eget, sibi facile comparare. (Lib. IV. & V. de Legg.)

GUARANII.

VIII. Guaranica regio procul a mari distat, quo fit, ut a nautis variarum gentium corrumpi non possint indigenarum mores. Merces tamen, quibus Guaranii indigent, haud difficiliter illuc invehuntur; patientes enim navium sunt amnes Parana, & Uruguay, per quos Indi descendunt Bonasauras, sibique necessaria emunt. Regio autem silvosa est, atque ita distincta partim collibus, partim campis, ut pœne omnia ad victum apta gignat.

PLATO

De forma costruendæ urbis.

IX. Urbs sublimi posita loco in orbem ducatur, ut & munitior sit, & mundior. Templa struantur circa forum. Sunto etiam ruri aliæ ædes sacræ, ut eo convenientes cives colonique inter se noscant, & ament. (*a*) Muri urbis ne extolluntur, si

---

(*a*) *Hæc ratio digna Philosopho est: nam societas urbana poscit, ut cives inter se ament, non amabunt autem nisi inter se noscant, noscendi vero opportuna occasio est cum eunt in templum, aut ab eo abeunt, & locus ipse communione sacri cultus animos conjungit, eosque movet ad præstandam opem iis, qui egent, ut nascente Ecclesia in Agapis fiebat. At, dicet aliquis, agere etiam inter se cives, & nosse possunt in theatro, in ludis publicis in foro. Verum id: sed theatrum Zelotypiæ, & impuro amori: ludi publici rixis, & contentioni; forum*

ſi enim alti ſunt, puræ auræ flatus prohibent; & munimentis præterea confiſi cives, ſatis ſe ſe ab externa vi tutos putant, neque armis aſſueſcunt. Ceterum privatæ domus ita condantur, ut earum æquabilitate, & forma ſtructuræ, urbs tota ſit quodammodo murus. (Lib. VI. Legg.)

GUARANII.

X. Oppida Guaraniorum commodiſſimæ ædificationis erant. Struebantur, ſi fieri poterat, celſo in loco. Fori (quadrati ad CL. circiter ulnas) partem unam occupabat templum, & cœmeterium cum æde curionis, & artificum officinis. In tres alias partes diſtributæ erant Indorum domus e cæmento omnes, & tectæ imbricibus. Earum autem juſtum numerum interſecabant paria inter ſe viarum ſpatia. Quippe fori ædes excipiebantur aliis atque aliis ædibus a tergo, partitis æqua portione vicis: atque hac cauſa in forum & in templum facilis undique erat aditus. Ad quattuor vero fori angulos locabantur quaternæ excelſæ Cruces, quæ divini Redemptoris, & Redemptionis humanæ myſteria oppidanorum occulis & animis objicerent cum grata memoria. Erant item ruri ſacella quædam pro colonorum viatorumque uſu. Vide, quam initio poſuimus, oppidi Candellariæ formam ære inciſam.

PLATO
De ſervando modo in ædibus & ſuppellectili.

XI. Domus ne ſint ſumptuoſæ: ſatis eſt, ſi contra frigus æſtumque habitatorem tueantur. Su-

 pel-

litibus & dolis expoſitum magnopere eſt: adde ortam inde morum corruptionem; qua excitantur odia, contractæque amicitiæ diſſolvuntur: religioſa autem templi frequentia vitiis iſtis aditum obſtruit.

pellex esto simplex, nec aurea, nec argentea (*a*), sed talis, quæ neque impediat cives bonos esse, neque addat spiritus & vim cuiquam ad alios lædendos. Victus paratu facilis, ut assa caro sine condimentis, & bellariis. Vasa, mensæ, reliqua utensilia intra modum: nec quisquam quicquam possideat nisi certa mensura. Primorum autem urbis ædes, & penus ad alendam plebis benevolentiam omnibus pateant civibus. (Lib. III. de Repub. & V. de Legg.)

GUARANII.

XII. Guaraniorum ædes erant simplices, sed satis illæ munitæ contra anni tempestates. Una domibus mensura ambitu quadrato septem circiter ulnarum. Dividebantur autem in insulas, quarum singulæ senas, septenasve (numeri satis non memini) ædes continebant, interjectis (ut dictum est) æquis viarum spatiis. Domorum omnium ostia, & frontem tutabatur a sole, & pluria, trium ulnarum porticus, qua tectus circumire oppidum posses.

XIII. Supellex Indorum parca admodum; lectus pensilis, quem *Hamacam* vocant; ollæ aliquot patellæque fictiles, & amphoræ; pro cyathis, cassæ nucleo cucurbitæ; arcæ, binæ ternæve condendis vestibus; sediculæ, nec multæ, & rudes. Hæc omnia omnibus oppidanis fere paria. Auri argentive ne semuncia quidem inter Guaranios præterquam in templo. Victus e carne assa elixave, atque ex agri frugibus; puls e *mandioca*; nullum condimentum præter indigenum piper. Salem regio non fert: importatus tamen aliunde dividebatur aliquoties patribus fa-

---

(a) *Lycurgus Lacædemoniorum, & Cretensium legislator interdixit civibus usu auri, & argenti.*

familias. Claves, vel seræ ædium nullæ; nihilo tamen minus tuta erant omnia; adeo oppidani re aliena abstinebant.

PLATO

De gente coalitura in urbem.

XIV. Gens sit una, & lingua; eædem leges sint, eadem sacra, his enim mirifice coalescit civium amicitia. Qui e variis confluunt populis linguæ variæ, ii præ desiderio morum & legum, quibus antea assueverunt, non probant urbis, in quam adsciscuntur, leges, & mores, qui tamen mutandi temere non sunt, receptis usibus peregrinis. (Lib. IV. de Legg.)

GUARANII.

XV. In triginta Guaraniorum priscis oppidis (*a*) (his bina adjecta fuerunt ætate nostra) gens una omnino erat, atque una lingua, quæ viguit, atque etiam num viget, in maxima Americæ meridialis parte ab Oceano Brasilico ad amnim usque Maranonium, atque hunc etiam ultra, usui enim est in Cayena. Qui terrarum tractus multo est amplior, quam quanto obtinuit olim lingua vel Græca vel Latina, quibus Guaranica nihil cedit artificio & elegantia,

(a) *Hæc XXX. oppida amplo nimis vocabulo urbes vocat Rev. adm. S. P. Magister F. Thomas Maria Mamacchi in opere eruditissimo* Originum & antiquitatum Christianatum *tom. II lib. II. ubi Guaraniorum mores laudat. Sed* oppida *illa, non urbes erant, & oppida perpetuo adpellarunt omnes sacri Antistites, Pretoresque regii, qui eadem sæpe lustrarunt.*

tia, de qua re dicemus in vita Ignatii Chomæ (*a*). Amicitia autem inter Guaranios poſt ſuſcepta chriſtiana ſacra tam erat ſolida & conſtans, ut ſolidior & conſtantior eſſe nuſquam poſſit: nam *ſocietate gentis, & linguæ* (adde religionis) *quam maxime homines conjunguntur*, ait præclare Tullius. (De officiis lib. I. c. XVI.)

PLATO

De numero civium & domorum.

XVI. Qua civium frequentia conſtitura ſit civitas dici recte non poteſt niſi e regionis amplitudine & vi-

(a) *Elegantia, & artificium Guaranicæ linguæ robur addit opinioni eorum, (inter quos cenſendus eſt Plato in Cratylo) qui dicunt linguas non hominum inventa eſſe, ſed donum ſingulare hominibus datum a Deo. Qua enim ratione barbari per ſe ipſi progreſſi fuiſſent a nudo litterarum ſono ad ſyllabas, a ſyllabis autem ad vocabula, a vocabulis vero ad diſcrimina nominum, & pronominum & ad utrorumque affectiones, ut aliud proprium ſit aliud appellativum, aliud fixum, aliud mobile aliud, comparans, aliud ſuperlatum? &c. quo item, modo verborum definiſſent vim, primum, ſubſtantivi, quod omnia pervadit, deinde activi, & paſſivi, & neutrius, poſt, imperſonalis, & meditativi, & frequentativi, horum autem omnium varios modos, & diverſa tempora; atque infinita alia, ſine quibus perfecta lingua ſtare non poteſt?*

Dominicus Bandiera, cultor olim Chiquitorum Indorum, quibus plena artificii lingua eſt, ac certa quadam ſui parte locupletior cumulatiorque, quam quæ Græcis, & Latinis fuit, re hac veluti, ſtupefactus ſcripſit fieri id omnino non poſſe, niſi initium a Deo repetatur, ut in Turri babelica: idem ipſe de reliquis Indorum linguis cenſet. Et vero ſi inter ſilveſtres homines perfecta typographiæ ars reperta fuiſſet, id non ſine miraculo fa-

(*a*), & vicinitate aliarum urbium, a quibus locus arctetur, vel unde oriri queat bellum. Ceterum ager tantus esse debet, quantus satis sit alendis moderatis hominibus. Justus civium numerus esto quinque millia & quadraginta, neque amplius minusve. Cives describuntur in duodecim tribus; ager in totidem partes dividitur; domus autem pari sunto civium, sive familiarum numero. Quot vero commoditates habeat numerus is præ aliis numeris explicat Plato ipse. (Lib. V. de Legg.)

GUARANII.

XVII. In Guaraniorum oppidis nullus certus numerus virum domorumve, neque una agri mensura pro omnibus. Amplissimi singulis oppidis erant fines in prædia, & armenti pascua: idque commodius certe est ad deducendas colonias; dabatur enim novis colonis, quod satis ipsis esset sine aliorum detrimento. At Plato, qui totum agrum æquis partibus in singulas civium familias ita dividit, ut nihil vacet, quo, quæso coloniam (quam deducendam ait, cum supra numerum illum quinque millium & quadraginta, soboles succrescit) quo, inquam, coloniam mit-

---

ctum diceremus; cur igitur non idem dicimus de linguis? Stat pro hac sententia cum Claudio Duret, & aliis Laurentius Hervas Idea Universi *&c. tom. XXI. art. I. IV. V. ubi erudite admodum agit de linguis Americanis.*

(a) *Recte id; crescit enim populus vel propter amœnitatem loci, & salubritatem, vel propter fœcunditatem gentis, vel propter civium concordiam, vel propter diuturnam ab externis bellis cessationem.*

mittet? Non video; neque ipſe nodum hunc ſolvit. Adde huc, ſi quiſpiam locus cetera habeat bona, quæ Plato requirit; ſed ager aptus ſolum ſit binis civium millibus, quingentis, & viginti (quæ dimidia pars eſt definiti ab eo numeri) relinquetur ne ager iſte deſertus, prohibita urbis ædificatione, vel ſi ædificetur, civitas perfecta non erit, deficiente juſto numero? Durius id dictu videtur, hominisque nimium decreta sua probantis.

XVIII. Oppidum SS. Regum (vulgo *Yapeyu* vocant) omnium Guaraniorum maximum conſtabat an. MDCCLXVII. familiis mille quingentis unde viginti, capitibus autem ſeptem mille nongentis ſeptuaginta quattuor. Oppidum vero S. Laurentii omnium minimum habebat eo anno familias tercentum undecim, capita mille ducenta quadraginta duo. Reliquorum oppidorum ſtatus, & numerus intra iſta ſummi & infimi cenſus extrema: oppidis aliis erant quattuor millia capitum, aliis tria millia, aliis alia. Creſcebat autem, aut minuebatur Indorum ſoboles, prout crebrius rariuſve ſæviebant alibi atque alibi puſtulæ illæ, quas medici vocant variolas. Hæc lues genti Indicæ capitalis eſt (*a*). Equidem ſic puto, ſi ma-

(a) *Quantum hæc lues ibi ſæviat, hinc argue. An. MDCCXXXII in triginta oppidis Guaranicis erant e Parochorum tabulis capita hominum* 144252. *Biennio poſt extincti ſunt puſtulis minoribus* (Sarampion *vocant Hiſpani*) 18773. *Anno autem MDCCXXXVII. e puſtulis majoribus* (Variolis) *interierunt* 30000. *præter alios aliis morbis ſublatos. Atqui peſtilentia hæc brevi illac temporum intervallo recrudeſcit. Hinc opida alias frequentia, alias infrequentia ſunt, Quamquam paucitatis oppidi S. Laurentii, quod omnium minimum diximus, alia aliunde fuit cauſa, tumultus nimirum ille, quo ſeptem pagi Ciſuruguai (e quibus unus Laurentianus eſt) juſſæ migrationi*

malum istud (quo caruerunt olim Americani) ea loca identidem non invaderet, ita Guaranios propagatum iri, ut regio illa ceteroquin amplissima vix ipsis suffectura esset. Verum pauci menses multorum annorum stirpem poenitus extinguunt.

PLATO
De templo & sacrificiis.

XIX. DEUM ante omnia ad statuendam urbem invocemus, qui utinam invocatus audiat, & audiens nobis dexter adsit, & nostræ civitati leges ferat; norma enim boni Deus, qui est ipsa bonitas. Hæc sapienter Plato, qui nihil antiquius religione haberi vult, sine ea enim nec respublica, nec genus humanum stare queunt. Quippe hoc differunt homines a belluis, quod hæ creatorem rerum, & Numen, nec colunt, nec noscunt, nec nosse possunt; homo autem & noscit, & colere debet, & colit tamquam patrem, & dominum, & Deum, a quo mentem accepit; & accipere assidue pergit bona cetera ab ejusdem providentia, omnium moderatrice. Quapropter (ait Tullius (a)) *haud scio, an pietate adversus Deos sublata, societas etiam humani generis tollatur.* Qui dicendi modus vi latinæ linguæ respondet huic; arbitror tollendam societatem sublata pietate.

XX. Ceterum de rebus sacris sic jubet Plato. Fiant quotannis sacrificia tercentum sexaginta quinque

e fœdere Lusitano restiterunt: tum enim multi & occisi, & dissipati sunt. De isto fœdere, & de jure, quo civibus (cum id exigit bonum publicum) abire e sede pristina in novam sedem præcipi possit, agit graviter Cyriacus Morelli, Socius olim Paraguaycus De Rudimentis juris Naturæ, & Gentium *lib. II. disp. VIII., § II.*

(a) *De Nat. Deor. lib. II.*

que (id eſt quotidie ſacrificetur .) Sollemnitates ſunto duodecim (id eſt ſingulæ ſingulis mensibus) quot sunt civium tribus , quæ alternis celebriores hos agent dies . Summus Pontifex unus eſto . Nutrices magiſtræque pueris & puellis præfectæ , quotidie cum alumnis ſuis ab anno tertio ad ſextum uſque interſint Sacrificio ; & ſiquis ſibi creditorum immodeſte quid agat , vel peccet irreligioſe , eum dein puniant . Hymni non alii ſint , quam deorum , nec laudationes aliæ , quam optimorum virum , feminarumque . Poetæ procul ab urbe , totaque regione pelluntor . (Lib. IV. X. de Rep. & IV. V. VI. VIII. XII. de Legg.)

GUARANII.

XXI. Nulla in oppidis Guaranicis major cura quam de Deo diviniſque rebus . Templum magnificum tribus conſtans alis , tribuſque in forum oſtiis . Eximia ibi omnia , vixque in urbibus etiam maximis melior & gravior ſacrorum apparatus . Laquearia, tholus, columnæ, altaria partim picta, partim inaurata . Candellabra, vaſa, totumque ſacrificandi inſtrumentum ex argento . Indumenta Sacerdotum e tela Damaſcena , aurove textili . Mappæ , pallæ , alba veſtis , amictus tegens littantis Umeros & guttur e byſſo ſubtiliſſima .

XXII. Singularis omnino erat illic ſplendor ædis ſacræ , qua re plurimum detinentur Indorum animi , ut libentius , religioſiuſque piis myſteriis interſint . Atque eo domus Dei magis eminebat , quo cetera ædificia humiliora erant & ſimpliciora , etiam Curionis ædes ſine ulla ſuperiore contignatione , ſed ſtructis plano in ſolo aliquot cubiculis ſex ulnarum ambitu . Unum illorum pro Parocho , aliud pro ejus collega , reliqua pro hoſpitibus ; omnia autem non alio cultu , quam qui decet virum religioſum , & ei erat ſimilis , quo

quo utebatur elifeus vates, id eft, *lectulus*, *& menſa*, *& ſella*, *& candelabrum* (*a*).

XXIII. Sacrificabatur quotidie a Curione, ejuſque collega. Quaterni minimum pueri optime inſtituti aderant facienti ad aram maximam cum rubra, vel violacea, vel nigra (pro diei officio) tunica, quam ſuper pendebat circum brevius e lino amiculum. Minoribus aris miniſtrabant bini dumtaxat acolythi, ſed eodem ornatu. Dum fiebat res divina pulſabant ſemper Muſici inſtrumenta varii generis cum Organo pneumatico. Sollemnitates celebrantur majori cærimonia. Dominicis autem aliiſque diebus feſtis cantabat Sacerdos; & cum cantu itidem litabat feria II. pro vita jam functis, ac Sabbatis in honorem B. V. MARIÆ.

XXIV. Equidem magnam Europæ, Amaricæque partem peragravi, & nuſquam pietatem majorem in templis vidi. Teſtes hujus rei appello ſacros Antiſtites, qui oppida Guaranica ſæpe luſtrarunt, publiciſque laudibus cultum illum magnopere commendarunt. Quibus Epiſcopis auctoritate ſua pondus addidit Benedictus XIV. Pontif Max. qui non ſemel Eccleſiam illam aliis ad exemplum propoſuit (*b*).

XXV. Philippus V. Rex Catholicus cum ex Antiſtitum, aliorumque teſtimoniis reſciiſſet, quantus eſſet nitor & decus templorum Guaranicorum, *quibus* (ait) *religioſius*, *ſplendidius*, *cultiuſque nequit quicquam fieri*, continere ſe ſe non potuit, quin (qua erat humanitate) hac ſuper re moderatori provinciæ Paraguaycæ, & Sociis Guaranicis gratularetur, amo-

(a) *IV. Regg. e IV. V. to.*

(b) *Videſis Bened. XIV. opus* de Feſtis *in feſto Corporis Chriſti, atque ejus epiſtolam ad Epiſcopos* de templi cultu &c. *utrobique Eccleſiam Guaraniorum laudat, & probat.*

amorem in ipſos ſuum teſtatus, quod adeo eximie Dei domum curarent (*a*). Norat videlicet pius Rex, quam Regi ſummo placeat magnificentia in rebus ſacris, quidquid enim in has opum effunditur inſtar eſt debiti tributi pro auro, argentoque, & gemmis, ornandique corporis cetero inſtrumento in hominum uſus ab eodem conditis: id quod vel a ſolo Salomonis ſtudio pro templo illo, quo nihil terrarum Orbis vidit auguſtius, abunde conſtat.

XXVI. At vero pendendus magni non eſſet ædis ſacræ apparatus, niſi internus animorum habitus, externaque corporis modeſtia ſanctitati loci reſpondiſſent. Namque hic finis eſt externi cultus, quo nulla uſquam gens caruit, illum quippe inſpirat ipſe inſtinctus naturæ; quandoquidem & Deum palam colere, & alii alios viciſſim ad eum colendum excitare debemus. Religioſæ autem cærimoniæ, oculis adſpectantium objectæ, vividam, vegetamque myſteriorum memoriam ſervant, aluntque, atque ad pietatem ſublevant animos addictos nimium per ſe materiatis rebus, quæ ipſos miſere diſtrahunt, & avocant ab ſpiritus officiis. Et vero niſi extrinſecus obſequium in Deum ſigno aliquo profitearis, quis, quæſo, te ab Atheo diſcernet? Aræ, preces, genuum ſubmiſſio, pœnæ expiatoriæ pro admiſſis noxis, accenſi cerei in vivæ indicium fidei, publicæ ſupplicationes, ſunt tamquam animata & ſpirans pietatis vox, & ſtimulus, quo mens ad cœleſtia ſenſim erigitur. Sane Chriſtus ipſe ad Sacramenta ſenſili materia uſus eſt, aqua, pane, vino, oleo. Quapropter inde uſque ab na-

(a) *Litteras has Philippi V. Regis ſcriptas V. Kal. Januar. an. MDCCXLIV. reddit Petrus Francis. Xav. Charlevoixius Gallus in documentis, quæ adjecit hiſtoriæ Paraguayiæ.*

nascente Ecclesia ritus extimi, & templi functiones, & cantus, & effigies Divorum, & ejusmodi alia, maximi facta sunt: quod si alii deessent testes, vel solus Prudentius Hispanus tempori illi proximus fidem omnem rei huic (quam elegantissima ejus carmina passim prædicant) faceret. Quid? quod visa (exempli causa) Dei Mater MARIA vel picta, vel sculpta, cum divino puero, sacratiores aliquando sensus aspicienti movet, quam eloquens Orator multa de Virginis laudibus & dignitate differens? quamquam de doctrina sacra, & de lege, necessaria omnino sunt ad fovendam retinendamque Religionem crebre conciones. Sed de hac re satis dictum est.

XXVII. Pueri Guaranici, puellæque, & viri, matresque familias, & oppidi magistratus, quotidie ad sacrum Missæ conveniebant. Summum omnibus silentium, atque instar fuisset monstri aliquem ibi cum aliquo quicquam loqui, vel oculos immodeste circumagere. Sacramenta Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ insigni pietatis sensu obibant frequenter multi, postque acceptum divinum panem omnes simul sub finem sacrificii gratias cœlesti hospiti agebant e formula in hanc rem concepta, quam prælegebat flexis genibus ante aram maximam unus e cantoribus.

XXVIII. Ingressuri longum iter expiabant se se salutari confessione, & sacrosancto Viatico muniebant; in oppidum autem regressi utrumque mysterium iterabant denuo. Præter maximum in oppidis templum, erant ruri, ut dictum est, ædiculæ quædam sparsim positæ, quas Indi vel prædia, vel armentum curantes crebro adibant, recitandarum precum, exercendæque Catecheseos causa. Ibi Sacerdotes iter agentes sacrificabant; ac si eos nox occuparat, hospitabantur in cubiculo ad id ipsum parato, quod hærebat ædi sacræ. Hymni non illic alii, quam de DEO, & JESUCHRISTO, & B. V. MARIA, & superis heroibus,

bus, quorum laude & compita, & viæ, & agri, & ſilvæ, & amnes, & montes reſonabant. Carmina profana inter Guaranios nulla, nedum impuri laſcivique poetæ.

PLATO
De inquiſitione in impios.

XXIX. Nihil tam mihi mirum in Platone videtur, quam quod pro Republica inſtituerit tribunal Inquiſitionis, & quidem tribunali noſtro ſimillimum. Peſſime res hæc habeat neceſſe eſt liberioris philoſophiæ epicureum, & atheum gregem, ac boni ordinis perturbatores, impatientes freni, quique in ſe, & ſua inquiri nullo modo volunt, proſcinduntque probris omnibus ſacros Fidei judices. Sed bene factum: Plato ipſe quales ejuſmodi homines ſint, graviter deſcribit. Non parum, ait, refert, ſi oſtenderimus, eos qui vanis, ineptiſque argumentis abutuntur, ut alios ad impietatem trahant, prave & perverſe philoſophari... Cum maxima autem ſtatuta a ſceleratis, & impiis corrumpantur, cujuſnam potius, quam legislatoris, eſt illis obſiſtere, tuerique jus æquum & juſtum? Hæc ille.

XXX. Quo autem modo tribunal Inquiſitionis ſtatuit? Si quis, inquit, impie quid agat, aut dicat, qui agentem, dicentemve audierit, viderítve, magiſtratibus indicato. Quod ſi viderit, audierítve, & deferre rem nolit, ipſe impietatis reus eſto. Ubi vero conſtiterit de culpa, judices hominem ſacrilegum pro ſingulis irreligioſe admiſſis afficient ſingulis ſuppliciis. Omnes autem hujus generis rei arcta cuſtodia coercentur. (Quid hic picent, qui adeo ſacræ Inquiſitionis carcerem deteſtantur?) Deinde explicat Plato, quænam & quot ſint genera impietatis, atque alios impios impiis alii nocentiores eſſe affirmat. E nocentioribus ſunt, ait quidam, qui rerum potiti neminem

minem formidant, quidam qui exercitum ductant, quidam qui seditiose declamant, quidam qui templi sollemnitatibus illudunt, quidam qui inanibus sophismatum captiunculis infatuant populum....

XXXI. Id præfatus pergit dicere, cum ita distinctus sit impiorum cœtus eos quidem, qui non a pravis moribus, sed ab amentia quadam tales evaserint, hos judex in coercitionis carcere non minus quinquennio detineto, quo toto tempore nefas esto civium cuiquam eos adire, & adloqui. Ubi vero vinculorum tempus finitum fuerit, qui pœna sanior, & modestior factus sit, is dein cum sanis & modestis habitato. Sin autem sacrilegii rursus damnabitur, plectatur morte.

XXXII. Causam tanti supplicii hanc reddit: nam qui, ait, adversus deos agit, & sacrificia, vel jusjurandum parvi pendit, & propter hæc alios deridet, plures sibi similes efficiet.... Occisus impius extra Reipublicæ fines projicitor, insepultusque relinquitor. Quod si eum quisquam e liberis civibus sepeliat, hunc qui volet, impietatis accusato: sin vero illum tumulet servus, is ob id ne interpellator. Hic jam te rogo: est ne tribunal Inquisitionis nostræ severius isto aut durius? Eant nunc liberiores Philosophi, & fidei quæsitores immittes clament, clamantibus os obtundet Philosophorum maximus. Cur? quia recte norat nulla tam re Rempublicam perturbari, quam si religionis fundamenta subruantur. Ad Inquisitionem quoque pertinet, quod vetet Plato quicquam publice cani, nisi visum prius & approbatum sit a magistratu. Ecce hic tibi legitima examinatio librorum, qui plurimum bonis moribus vel obesse, vel prodesse possunt.

XXXIII. At objiciet aliquis, vel ipse tuus Plato carcere pœnisque sacrorum quæsitorum dignus est, quippe qui Deos astruit: eosque colendos dicit. Audio: atque hac ego re vehementer illum vitupero, quod perverse usus sit vulgi consuetudine, veritus for-

tasse, nequis sibi (si scriberet aliter) malum pararet, quod paratum fuit immerenti magistro suo Socrati ab improbo Melito ob neglectos, ut ipse ajebat, Deos. Errasse autem animo Platonem vix puto, quandoquidem tam aperte, & toties pro vera divinitate stat, gravissimaque & solidissima demonstratione invicte ostendit existere DEUM OPTIMUM MAXIMUM, quem negare nemo, ait potest, nisi ultima laboret dementia.

XXXIV. Fuisse is mos dicitur priscis philosophis, ut clam inter se, & in scholis, Deum unum esse docerent, publice autem & scripto, ob metum plebis, quæ suos Deos Jovem, Bacchum, Venerem, ceteros tamquam criminum præsides atque exempla volebat, Polytheismon præ se ferrent, indigna prorsus & nefanda simulatione. Ceterum Plato cum deos nominat, heroas quosdam intelligi vult ab summo illo DEO creatos, ipsoque inferiores, quibus datum est, ut Soli, Lunæ, stellis, reliquisque naturæ partibus præsint. Quæ ille cum ait, haud scio equidem, an occulte & per ambages quiddam tradat de Angelis, eorumque ministerio, ex hausta doctrina ab Hebræis, quorum mysteria in sua illa philosophica peregrinatione didicerat. In *Apologia* autem *Socratis* profitetur disertis verbis, *neque solem, neque Lunam esse Deos credo, ut credit vulgus hominum.*

XXXV. Adde huc, quod de Dei bonitate, de divina providentia, de permissione mali, de officiis virtutum, de immortalitate animi, de præmio bonorum post mortem, de sontium suppliciis, ita differit Plato, ut Christiana Philosophia institutus esse videatur. Quam graves illius adhortationes pro colenda justitia, & temperantia, & fortitudine? Quam recte præcipit de amore in parentes, de debita senibus reverentia, de observandis legibus, de contemnendis deliciis, de rebus omnibus sanctitati postponendis, de cohibendis imperio rationis pravis animi motibus, de retinenda patientia, & spe inter adversa, quando-

doquidem, ait, confidendum eſt piis viris, cum in graves labores inciderint, eos Dei ope leviores factum iri, & præſentibus malis meliorem divinitus ſortem ſucceſſuram. Quarum inſtitutionum libenter ego ſpecimen huc aliquod producerem, niſi excluderer anguſtiis propoſitæ mihi brevitatis.

XXXVI. Rem unam, quam ille multo dignius & rectius, quam hujus temporis Philoſophi, tractat, præterire non poſſum. Agit de vehementi illa animi propenſione, qua nos & noſtra ſupra modum amamus. Et nimius, inquit, in ſemet hominum amor cauſa flagitiorum omnium eſt: obcæcat enim eum qui amat ardor amatæ rei. Idcirco, qui ſe ipſe pluris, quam veritatem pendit, is quid juſtum, & æquum ſit male judicat. Qui autem vir magnus futurus ſit, id agat, oportet, ut neque ſe ipſum, neque ſua intemperanter diligat, & id ſectetur, ac teneat, quod bonum eſt, ſive hoc ſibi ipſi inſit, ſive in alio videat. Sane ab illo ſui amore naſcitur, ut quis vel ſtultitiam ſuam eſſe ſapientiam putet: quo fit, ut quamvis nihil ſciamus, ſcire tamen nos omnia exiſtimemus... Immoderatum igitur amorem ſui ita debet quiſque odiſſe, ut meliores ſequi velit, rejecto pravo rubore, malaque ſpreta verecundia, qua nos quandoque pudet aliorum bona imitari. Sic Plato.

XXXVII. Et philoſophatur, dic, aliter hac in re poſt acceptum Evangelii lumen vel Theologus Thomas, vel puri amoris indagator Saleſius, vel myſtica Tereſia, ceterique rerum ſpiritualium magiſtri? Contra vero hoc fæcundum culpæ ſæculum philoſophos (ita enim audire cupiunt) ab ſedibus infernis excitavit, qui ſui amorem, & perturbationes animi etiam maximas, tamquam labis omnis expertes, effectriceſque optimarum rerum miris extollunt laudibus (*a*).

 Non

(a) *Vide* Dictionarium Antiphiloſophicum *P. Nonnot tom. III. Verb.* Paſſions. *Nempe Philoſophi liberio-*

Non id quidem fecit Plato, qui philosophis istis minorum gentium multo sapientior fuit. (Lib. V. VII. X. de Legg.)

GUARANII.

XXXVIII. Guaranii, ceterique indi excepti sunt a privato sacrorum Inquisitorum tribunali; de gente enim indica (quod ad res fidei attinet) soli Episcopi judicant. Idcirco cum oppida Guaraniorum sit partim dioeceseos Paraguaycæ, partim Bonaurensis, alterutrius Antistitis est cognoscere, si quid illi contra Religionem peccent. Verum ex quo Christiana sacra suscepere, ea semper (quæ Dei bonitas est) coluerunt sanctæ casteque. Et quidem quædam sunt graviora scelera, quibus nullus apud Guaranios locus est. Non ibi blasphemiæ, non vana divini nominis usurpatio, non perjuria, non abusus rerum sacrarum, non ebrietas, non impudicæ tabulæ (quas Plato longe a Republica exterminari jubet) non magnarum fons culparum, aleæ, pictæque chartæ ludus. Horum illic nihil. Quapropter Episcopi visis coram compositis gentis moribus, sacra functi lustratione neophytos illos magnopere laudabant. Jam vero Curiones Guaranici, & Religiosi alii viri, & Hispani cives subjecti sunt peculiari Inquisitionis tribunali, quod limæ est pro America Meridiali.

XXXIX.

---

res, Atheique laudant magnopere passiones animi, amoremque sui. Cur id? quia cum mysteria Religionis negent, nolintque corruptam esse a primæva labe hominum naturam, ab hac nihil pravi irritamenti oriri contendunt, excluduntque (quod consequens est) divini necessitatem præsidii & gratiæ. Sed bellua sit oportet qui belluinos sibi inesse appetitus non norit, nec sentiat, se se ab nimio sui amore, & impatientibus freni affectionibus in malum, & vitia trahi, a quibus nemo liber evadit, nisi ope divina imbecillis arbitrii viribus addita. Seneca Philosophus passim affectiones animi, tamquam omnis mali fontem, frenandas predicat. Vide epist. CXVI.

XXXIX. Pavvius Philoſophus *in diſquiſitionibus Americanis* (*a*) inter alias cauſas imminutæ in Novo Orbe indigenarum ſobolis hanc affert plane ſingularem: *Indos crematos ab Inquiſitoribus Dominicanis*. Magnum malum! crimen inauditum? O Pavvi, o pie Pavvi? hæreo hic, & neſcio, an tui me miſereat, an Indorum, quos dignate clementia miſeraris. Miſeret me tui potius, & tædet, qui adeo impudenter mentitus es, vel neſciens erraſti turpiſſime calumniandi ſtudio, ut tuus eſt mos, Cremati a Dominicanis Indi?

XL. Nuſquam in Hiſpania Europæa, & nuſquam in Americanis provinciis Patres Dominicani Inquiſitores ſunt, ſed ubicumque in toto Catholici Regis imperio tribunal Inquiſitionis eſt apud lectiſſimos Sacerdotes ex ordine Clericorum. Id primum, Pavvi. Deinde in Novo Orbe iſtud ipſum Inquiſitorum Clericorum tribunal non agit in Indos, quorum cauſas de Religione ſolus decidit Epiſcopus; atque ita factum eſt ab initio uſque detecti Novi Orbis, ut refert diligens, & accuratus rerum Americanarum ſcriptor Antonius Herera (*b*). Epiſcopi autem leniſſime cum Indis agunt, & Pavvium provoco, ut vel unum Indum proferat ab Antiſtite aliquo cremari juſſum.

XLI. Ubi ſunt ergo flammæ illæ Dominicanæ Indorum voratrices? Hæc volui de Pavvio dicere, ut vel hinc diſcas, quatenus tibi fidendum ſit impiis philoſophis, cum in religioſos viros, cum in cenſores ſacros, cum in ſupremum Eccleſiæ caput (neque enim huic parcit Pavvius) quæſitis conſulto fabulis debacchantur, ac vel odio, vel malitia, vel rerum, quas tractant, inſcitia, imperito imponunt vulgo. Quanto eſſet ſatius veræ eos fidei, quæ obſcurari nequit

(*a*) Recherches philoſophiques ſur les Americains *tom.* 1. *pag.* 81.

(*b*) Hiſtor. de la India Occidental. *Decad.* 1. *Cap.* 19.

quit dolis fallaciiſque, ſincera ſe ſe mente & animo ſubmittere?

PLATO
De Communione rerum.

XLII. Poſt curam religionis nihil Platoni tam fuit cordi in ſtatuenda Republica, quam rerum communio, ſine qua eam recte conſiſtere non poſſe exiſtimabat; & fuit, cum rogatus ab Arcadibus, ut iret ad ordinandam ipſorum civitatem, id negarit, quod noſſet detrectare illos æquabilitatem fortunarum. In opere *de Republica* nihil ille acrius urget, quam uſum communem; idem facit in XII. libris de Legibus, quos pro colonia Magneſia a Cretenſibus deducenda ſcripſit: hic tamen communionem bonorum temperat, & rem multo moderatius, & prudentius definit, quam *in Republica*, ubi provectus nimio ſtudio omnia cum omnibus communicandi (*a*) graviter lapſus eſt, ut infra dicemus.

XLIII.

(a) *Platonica hæc æqualitas bonorum, rerumque communio, nequedum ſtetit ulla in Republica, neque uſquam gentium ſtabit. Quippe hominum ingenia varia ſunt, & vires corporis, animique dotes inæquales; quo fit, ut qui ſollicitior ſit, prudentiorque in re quærenda, alio inerti, & ſtolido, abundet magis. Atque hinc etiam orta ſunt diſcrimina divitum a pauperumque; & dominorum ſervorumque. Quod ſi naſcente Eccleſia in piorum cœtu communio ejuſmodi, & æqualitas perfecta fuit id factum eſt ſingulari ope Spiritus Sancti, qui doctrinam Chriſti tam eximio exemplo illuſtrare voluit, ut ad eam alios alliceret, & vero fideles illos* magnificabat populus, & magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum (*Act. AA. c. V. vv.* 13. *&* 14.) *Quin & ipſe Hebræorum diſertiſſimus Philo attonitus re mira, & ſancto vivendi genere plebis Alexandrinæ Marco præceptore, librum de communione illa bonorum ſcripſit.*

XLIII. Principio vult, ut ea, quæ propria singulorum sunt, veluti oculi, aures, pedes, manus, brachia, fiant quodammodo communia ad publicum bonum ita promovendum, ut cives omnes idem cernere, idem audire, idem agere, eodemque collineare videantur. Jubet præterea plebem patresque eadem laudare, & eadem vituperare, ac vicissim eisdem rebus lætari, eisdem contra dolere. Hæc ille generatim. Exin species determinat; & cavendum, ait, est ne in civitate aliis inopia sit summa, aliis summæ divitiæ. Nihilo tamen minus (præter magistratus, quorum plures ponit, & Principem unum, qui dignitate omnes, etiam optimates antecedat) quattuor civium classes distinguit, & primæ, inquit, censu esto quattuor minarum (*a*), secundæ trium, tertiæ duarum, quartæ denique unius.

XLIV. Regionem ex æquo metitur in partes quinque mille & quadraginta, quæ totidem familiis attribuendæ sunt, missa (nequis, si ei pars loco minus commodo contigerit, queri possit) sorte. Sortito

 etiam

Verum ea civium æqualitas ad retinendam Religionem necessaria non erat, & cessavit paulatim, successitque bonorum communioni modus plane alius, quo inopum vitæ, & victui consuleretur. Certe humana providentia ordinem illum paris omnium conditionis statuere non potest ob rationes, quas redemus sub hujus commentarii finem. Unum hic addo (quandoquidem nunc ubique locorum perstrepunt insanæ illæ voces æqualitas, rerum communio, par fors*) eo incumbendum esse novis Philosophis, ut quam maxime vigeat Christiana Religio, hæc enim sola mores illos olim piæ multitudini inspiravit, & eosdem etiam nunc inspirat tot Religiosorum virorum cœtibus. At id impiæ genti ingratum auditu est.*

(a) Mina Attica major *pendebat centum & sex aureos nostros cum aurei quadrante.* (*Joan.* *Mariana* de ponderibus & mensuris c. *VIII.*) *Atque hinc liquet quam vellet Plato cives suos etiam ditissimos tenui esse censu.*

etiam ædificatas in urbe domos dividi jubet patribusfamilias: ac danda eſt, ait, opera, ut ædes eodem ſemper numero conſtent, nec plures umquam ſint, paucioreſve: quam rerum æquabilitatem ne turbet avaritia, nemini, inquit, fas eſto inhiare turpi lucro, quo mores generosi corrumpuntur. Nemo e contrario mendicare permittitor; nam qui bonus civis fuerit, & vixerit temperanter, uſus recte ipſi publice conceſſis, numquam in paupertatem recidet, ſin autem vitio egeat ſuo, ab urbe, totaque regione, expellendus eſt. (Lib. V. VI. XI. XII. de Legg.)

GUARANII.

XLV. Inter Guaranios quædam erant communia, quædam non item. Singulis attribuebatur certus agri modus, ſatis ille quidem amplus, ubi patresfamilias ſibi ſuiſque ſererent frumentum Indicum (hæc illorum annonæ pars præcipua, nam triticum noſtrum non valde curant) & varii generis legumina, eduleſque radices, quarum alias vocant *Mandiò*, alias *Mandubì*, quæ in ipſo imi pedis ſtipite vaginas continent fœtas nuce ſimili noſtratibus amygdalis, terreſtres item *batatas*, ideſt, tubera quædam ſuccoſæ medullæ, ſaporiſque gratiſſimi, appellant has illi *Yetì*. Colebant præterea goſſipium, & quas quiſque optarat fruges indigenas. Hæc omnia colonorum propria erant, dicebanturque *Abambae*, privata nimirum Indi uniuſcujuſque res. Boves e publico ſingulis patribusfamilias per vices commodabantur, ut ſuum illum agrum ararent. In oppido autem Candelariæ (quoniam prædia trans flumen magnum Paranam ſunt) lembi publici mane Indos in fundos ſuos mittebant gratis, & gratis veſpere remittebant domum.

XLVI. Ager privatus non erat idem ſemper, ſed cum prior jam laſſus vim amiſerat, alius eligebatur, aſſignata ſingulis dynaſtis, eorumque clientibus portione ſua. Cui modo dividundi agri ſimile quiddam Ger-
ma-

manis olim fuit. " Agri (ait Cornelius Tacitus de
" mor. Germ.) pro numero cultorum ab universis per
" vices occupantur, quos mox inter se secundum di-
" gnationem partiuntur: facilitatem partiendi campo-
" rum spatia præstant. Arva per annos mutant, nec
" enim cum ubertate & amplitudine soli labore con-
" tendunt, ut pomaria conserant, & prata separent,
" & hortos rigent. Sola terræ seges imperatur. "

XLVII. Præter illa privata prædia erant alii agri communes minimum duo, alter, ubi frumentum cum legumine, alter, ubi gossipium colebatur: horum agrorum proventus, qui in horrea condebatur, erat publicus pro victu, & veste pupillorum, debiliumque, & puerorum, & puellarum, & viduarum, quibus alendis certa erat domus, domibus aliis amplior (*a*). Ægris

---

(a) *Bougainville Gallus in descriptione navigationis, qua terrarum Orbem circumiit, ponit (ex eoque retulerunt Ephemerides Romanæ, ac Florentinæ) fuisse in oppidis Guaranicis collegium quoddam adolescentularum, quæ variis oppificiis operam navabant sub magisterio seniorum fæminarum. In istud collegium, sive gyneceon (*CONATIGASU *nomine) quod hærebat ædi Parochi, ab hujus domo erat internus aditus. Quam multa, quam paucis!*

Vidit id Argonauta ille? non vidit, nam navis ejus constitit Monsvideano in portu, qui distat a primo Guaraniorum oppido centumquinquaginta, eoque amplius, leucis. Audiit ergo ab aliis, & hi quidem adeo periti erant, ut vel nomen rerum, de quibus narrabant, prorsus nescirent: nam Domus nulla Guaraniis dicitur CONATIGASU, *sed* COTIGUAZU, *idest domus ampla, quod hæc aliis amplior esset.*

Hæc autem domus non erat adolescentularum, *sed viduarum, quibus vel parentes deerant, vel cognati, apud quos honeste habitarent. Hæ viduæ de publico alebantur; nec varia illis artificia, sed una nendi ars; neque eisdem magistræ seniores fæminæ, sed anus quædam, quæ illarum mores regebat. Nusquam porro in oppidis Guara-*

Ægris autem afferebatur quotidie ab æde Parochi caro elixa cum pulte, & pane triticeo.

XLVIII. Binis agris communibus ad certos anni dies oppidani publice operam dabant; omnes enim, etiam Prætor, & magiſtratus, Romanorum veterum more, rei ruſticæ ſtudebant, id quod certe probaſſet magnus ille vir Thomas Morus, qui agricolas eſſe voluit, quotquot in ſuam illam Rempublicam *UTOPIAM* convenirent. Templum quoque, & privatas ædes, & ceteras oppidi ſubſtructiones communibus operis moliebantur, reficiebantque Guaranii. Domus vero, non Platonis forte, ſed per magiſtratum, monito Curione, ſingulis aſſignabantur, eaſque retinebant patresfamilias

ſibi

---

nicis hoſpitium iſtud conjunctum erat cum æde Parochi, ſed ab hac ſatis ſuperque ſeparatum, neque eo iri poterat niſi publica & patente via. Quod ſi Parocho, vel ejus collegæ illuc forte eundum eſſet, ut ægræ alicui ſacramenta miniſtraret, ibant ſimul cum Parocho, vel ejus collega æditui, & unus ex Indis medicis. Narro quæ vidi.

Sed multo validior ratio eſt pro refutando indigno iſto commento, quod nauta Bougainville legentibus obtrudit. Ebiſcopi graves Epiſcopi, quorum unus fuit meo tempore Il. D. Emmanuel Antonius de la Torre, qui tres circiter menſes moratus eſt cum Parocho Joanne Emmanuele Gutierrez in oppido S. Roſæ, graves, inquam, Epiſcopi Il. Faxardo Trinitarius, Il. Peralta Dominicanus, Il. Palos Franciſcanus, hi, aliique, qui Guaranica oppida luſtrarunt, permiſiſſent umquam ædi Curionis adjunctum ſeminarium adoleſcentularum, & cum intimo aditu? Ubi pudor! ubi bonæ odor famæ!

At quid argumentis opus? Res propalam eſt. Curant oppida nunc Religioſi viri variorum ordinum, commeant illuc innumerabiles Hiſpani, hi dicant, ſit ne uſpiam hærens domui Parochi, & non publice ab ea ſejunctam ædes viduarum COTIGUAZU. *Licet hic exclamare: quot in Viatorum commentariis fabulæ? Quot item excerptæ a Viatoribus nugæ in Ephemeridibus? Plato certe hujuſmodi Ephemeridas in gravi illa ſua Republica non probabat.*

ſibi ſuiſque, niſi, ſuccreſcente ſobole, lar alius filiis uxorem ducentibus dandus eſſet.

XLIX. Quibus rebus fiebat, ut familiæ omnes pœne pares forent, & pari cenſu niſi quis forte agrum ſuum diligentius coleret, ac plura ex eo efferret; verum id & modicam inæqualitatem inducebat, & ſtimulo erat, aliunde, ut plenior ager vicini vicinum excitaret, ne ſe ſe otio deſidiæque traderet. De reliquo inter Guaranios mendicus erat nemo (*a*): ſi enim aliquis laborare non poterat, publice alebatur; ſin poterat, ad opus cogebatur. Jam vero Indorum alii, in id ipſum deſignati, armentum bovilli generis, quod ſingulis oppidis valde copioſum erat, tuebantur, alii equos publicos curabant, alii paſcebant oves, alii aliis muniis præficiebantur.

L. Sepoſitis autem in horreum iis, quæ ſupra diximus, quidquid e bonis publicis ſupererat, in

(a) *In Republica Hebræorum ſtatutum a Deo fuit pro bono ordine:* indigens, & mendicus non erit apud vos. *Ne eſſent autem juſſit Moyſes tertio quoque anno decimam agrorum ſeponi ad alendos pupillos, viduaſque, &c. (Deuter. c. XIV. vv. 28. 29.) Præterea lege cautum eſt, ut ſingulis ſeptenniis vacaret tellus a poſſeſſorum cultura, & quæſtu, idque in bonum indigentium.* Sex annis, ait, ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus. Anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, ut comedant pauperes populi tui. (*Exod. c. XXIII. vv. 10. 11.*)

Atque huc, opinor, pertinet, quod Heliodoro miſſo a Rege Seleuco, ut efferret e templo, & addiceret fiſco, indicatam ipſi vim ſummam pecuniæ, reſpondit cum ſacra obteſtatione Onias Pontif. Max. depoſita eſſe hæc, & victualia viduarum, & pupillorum &c. *(II. Mach. c. III. v. 10.) Heliodoro autem, cum juſſæ rapinæ inſiſteret, male res ceſſit, exceptus enim eſt a ſeſſore quodam terribili, & a pari juvenum divinitus apparentium, plagis maximis. Quo utinam exemplo alii ſaperent.*

in onera publica impendebatur. Illinc prodibat annuum tributum in fiſcum Bonaurenſem. Erat illud unius aurei in capita: beneficio tamen Regis Catholici immunes erant plurimi, Caciquii nimirum, ſive Dynaſtæ, eorumque liberi majores natu, & fœminæ omnes, & æditui, & adoleſcentes minores annis duodeviginti, & viri majores annis quinquaginta. Illinc etiam impenſæ ad ornatum, cultumque templi, & quidquid denique pro publica re emendum erat. Quapropter hac agri communis, privatique vice diceres gentem Guaranicam eſſe ſimilem apibus, quibus ſuum cuique mel eſt, & tectum, & victus, ſed poſtquam communem finxerunt favum, & communiter ruri domique laborarunt (*a*).

LI.

(a) *Quiddam ſimile rei agrariæ Guaraniorum fuit olim in Hiſpania, atque etiam nunc eſt. Ecce tibi quid narrat Cyriacus Morellius, gravis auctor.* " *De Vettonum & Vaccæorum agris ait Julius Frontinus:* ager
" eſt menſura comprehenſus, cujus modus univerſus ci-
" vitati eſt aſſignatus, ſicut in Luſitania Salmaticenſi-
" bus, aut in Hiſpania citeriore Palentinis, & in com-
" pluribus provinciis. *Id communionis hodiedum obſerva-*
" *tur, nominatim apud Tamamenſes, qui agri ſalman-*
" *tini coloni ſunt & in communia paſcua pecus & armen-*
" *tum immittunt pro rata. Arvorum etiam communium*
" *ſubigit, colit, & ſeminat unuſquiſque colonorum pro*
" *libitu, ea tamen lege, per binos deputatos, ne cultus*
" *privatus communitati præjudicium & nocumentum pa-*
" *ret, & poſt meſſem ad uſum, & dominium communi-*
" *tatis revertatur.* " *Hæc ille* (de Rudimentis Juris Nat. & Gent. *lib. I. diſp. VIII.* § *I.*)

Auctores Trevultiani agentes de libro, cui titulus eſt: Entreten d' un Europeau avec un Inſulaire de Dumocale, *ajunt (apud eumdem Morellium) Stanislaum Regem induxiſſe apud Lotaringios ſuos id moris, ut certus agri modus ab indigenis communiter coleretur, fructus autem ex agro iſto in borreum publicum inferretur, ut in-*

LI. Quod si Indis, quos in oppida coegeris, alimenta desint vel ipsorum negligentia, vel tua, exosi illi disciplinam in suas refugient silvas, & nota latibula, urgente fame, *venter* enim, ut optime ait Homerus, *magnum malum*. Mocovii feroces quondam, crudelesque Indi, qui Christiani dein optimi evasere, palam profitebantur inter alia, cur manus dederint, id fuisse, quod cum statorum imbrium tempore prohibiti a venando piscandoque ægre vitam sustentarent, sperarint fore, ut in opido S. Francisci Xaveri victus ipsis abbunde suppeteret: ac suppetiit quidem diligentia ac labore primi illorum cultoris Francisci Burgesii (quem diu novi) & sucessorum, qui parci in se ipsi, liberales erant in proselytos, quæsitis undique in eam rem provincialium civium subsidiis, uti olim diximus in vita Petri Joannis Andreu.

LII.

de (cum sterilitas messem falleret, corrumperetve) toti populo subveniri posset.. (Mem. de Frev. an. 1753. vol. I. tom. 207. art. 10. pag. 226.)

Ubi sunt agri vacantes haud esset difficile partem illorum communiter arari, & coli, & meti, unde post indigenti turbæ necessaria præberentur, ac colonis (quando messis eos defecisset) mutuum daretur semen. Hic foret optimus Monspietatis. *Neque ejus rei labor gravis. Paucorum (quo tempore opus cultura est) dierum vice per annum ab oppidanis, descriptis a magistratu, ager ille exerceretur. Quod si quis per se (quia dives, vel nobilis) nollet laborem subire, posset illuc operas mittere suo nomine, & ære. Utilitas autem in omnes redundaret, nam cum miseris succurrendum sit e Christi præcepto, atque ex ipsa etiam naturæ lege, communis ille agri fructus cunctorum esset erga pauperes stips, & eleemosyna. Inter Guaronios non solum ager publicus pro publicis impensis colebatur, sed omne etiam pro communi re opus communiter fiebat, & tamen abunde otii suppetebat Indis, ut prædio quisque suo, & suis rebus privatim consuleret.*

LII. S. PIUS V. Pontif. Max. Religioni tuendæ, propagandæque, diem noctemque intentus, cum omnia circumspiceret, in Occidentis quoque solis plagas paternum studium, & sacras curas extendit, scripsitque Regi Catholico: *oportere neophitos ali collectis eleemosynis more nascentis Ecclesiæ, vel etiam pasci e regiis vectigalibus, ne fame compulsi ad pristinos mores, & vitia relabantur* (a) Hæc dignus ille Christi Vicarius, qui sancta prudentia, & animarum insigni zelo, vel osorum alioqui Romanæ Cathedræ ita admirationem movit, ut eum magnopere laudet celebris ille Anglus Baco de Verulamio (*b*). Paulus vero gentium Apostolus, quam sedulus fuit, & quanta egit, ne deessent necessaria recens conversis ad fidem? idque ex mandato Petri, & Jacobi, & Joannis, ut ipse testatur, qui omnia ejus, & Barnabæ, acta probarunt, *tantum* (ait) *ut pauperum memores essemus, quod etiam sulicitus fui hoc ipsum facere*. (*c*). etenim ceu puerulus nec ali potest, nec vivere sine nutricis lacte, sic Indi, *sicut modo geniti in Christo infantes, ut crescant in salutem* (*d*), paratis a cultore suo egent cibis; si hi desint, illi aures obstruunt: nam *venter præcepta non audit*, ut ait Seneca. (Epist. XXI.)

P L A T O

De nuptiis.

LIII. Plato, vir ille ingenii maximi, deceptus trito Græcis proverbio Κοίνα φιλῶν, omnia amicorum communia, in libris de *Republica* plane desipuit, voluit enim uxores etiam, & liberos communes esse: atque id quidem, non quo ipse mulierosus esset, coe-

---

(a) *Ant. Gabut in vita S. Pii V. apud Bolandianos tom. I. mensiis Maj die V.*
(b) *Lib. I. de Augmentis Scient.*
(c) *Ad Galat. c. II. v. 10.*
(d) *I. Petri c. II. v. 2.*

cœlebs quippe & caſtus perpetuo vixit, ſed quia commentus ſibi eſt ex illa communione rerum omnium ingentia quædam & præclara bona: ſic namque, ajebat, cives eximie inter ſe amabunt; puerique viros colent omnes tamquam patres ſuos; virique viciſſim pueros omnes tamquam ſuos filios diligent (*a*). Quin etiam deſiderio illo maleſano omnia cum omnibus communicandi progreſſus ultra, præcipit feminas militare cum viris, puellas cum matribus, atque utraſque bellica, quoad ejus ætas, & vires ferant, obire munia.

LIV. Tamen ſiquis *Reipublicæ* libros attente legerit, ſentiet mecum forſan, communionem illam fœminarum non omnibus promiſcue conceſſam a Platone, ſed tantum *legum cuſtodibus*, quos civium optimos, decorique & æqui retinentiſſimos fore ſibi finxit. Sed quidquid de iſtorum virtute, & moderatione prædicet, ac ſperet, dicendus eſt Plato, acerrimus ceteroquin veri indagator, non vidiſſe illud, quod ne vatem quidem Horatium fugit:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

LV. Non vidit ille mala infanda, quæ ex ejuſmodi communione oritura erant. Quo loco ſubit mi-

hi

(a) *Fuit, qui autumarit Platonem non de vera feminarum communione, ſed de metaforico quodam amore, & mutua benevolentia civium inter ſe locutum fuiſſe; verum res clarior eſt, quam ut celari fictis tropis, & umbris poſſit.*

Marſilius Ficinus ſupra modum ſtudioſus maximi Philoſophi non negat agi ab eo de vera communicatione, conaturque rei invidiam minuere; ſed laterem, *ut ajunt*, lavat. *Dicendum omnino eſt Platonem hic erraſſe: licet enim vulgo divinus audiat, homo erat. Ariſtoteles, ejus diſcipulus, communionem iſtam fœminarum eſſe probat contra bonum commune argumentis octo validiſſimis (Lib. II. Pollitic.) quæ argumenta explicat D. Thomas in ſcholiis ad eum Ariſtotelis locum.*

hi cogitatio noſtri ſæculi philoſophorum, qui omnia hominis officia, & bene ordinandæ Reipublicæ ſtatuta e ſola naturæ lege definiri poſſe blaterant. Nam ſi ſumus Philoſophus, qui totus erat in ſpeculandis naturæ præceptis, atque hac cauſa longas, laborioſaſque peregrinationes obiit, ut ſapientiſſimos quoſque viros de recti æquique origine conſuleret, turpiter nihilo minus erravit, quid fiet aliis? quid vano recentium ſophiſtarum gregi, qui præ Platone cæcus eſt? *Natura*, ait optime Seneca, *ſemina nobis ſcientiæ dedit, ſcientiam non dedit* (a).

LVI. Impotens ſui amor, violentæ corporis appetitiones, præſens mali occaſio, viſa aliorum vitia; virtutis arduum iter, *ſpatioſa, & lata via, quæ ducit ad perditionem*, propenſio in vetitum, prava educatio, mores incompoſiti, libido, ira ambitio, ceteræ animi peſtes, & ingenitæ affectiones, difficultas denique veri reperiundi, ita rationis lumen obſcurant, ut mens vix illud cernat, facileque caliget. Atque hinc diſcors hominum ingenium, & perverſa indoles eorum, *qui dicunt malum, bonum; & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum* (b). Cujus generis quot nobis exempla ſuppeditat vel vetus, vel novus Orbis? Quot & fuerunt olim, & nunc ſunt gentes, quarum apud alias una eademque res, unus idemque vitæ modus, & mos, laudi eſt, apud alias vituperio. Ubi igitur, quæ tam clara dicitur, rationis vis? ubi ejus lumen, quo ſe ſe minuti philoſophi ſe ſe omnia & præcipienda, & vetanda, in rectam hominum inſtitutionem perſpicere poſſe confidunt (c)? *Sapientia* hic, *ſapientia* neceſſaria eſt, quæ *deſcendat a patre luminum*.

LVII.

(a) *Epiſt. CXX.*

(b) *Iſaiæ c. V. v. 20.*

(c) *Effrenes philoſophi (ut eorum unus Roſſeau ipſis exprobat) in definienda lege naturali, id eſt, in ape-*

LVII. Plato in libris de legibus multo cautior prudentiorque eſt, quam in *Republica*: communionem fæminarum non ponit, ſed ſingulis viris ſingulas uxores dat. De ætate autem ſponſorum, & de conjugio ſic ſtatuit. Cavendum, ait, nequis hac in re hallucinetur, & erret. Norit probe paterfamilias cui filiam collocet, & quam, & a quibus, nurum domo excipiat. Quando aliquis, inquit, quinque & viginti jam natus annos videt quamdam e civibus puellis, quam exiſtimat congruentem ſibi ſociam fore ad generis propagationem, eam (licet) honeſte ducat, & caſte amet.

LVIII. Nuptias, pergit dicere, tales quiſque contrahat, quales ſibi optant viri prudentes, & pudici: atque ob hanc cauſam, qui animi ferocioris eſt, curet, ut quam quietiſſimorum parentum filiam (cujuſvis illa ſit claſſis,) petat; qui vero remiſſiorem naturam ſortitus eſt, ſtrenuam actuoſamque ſibi affinitatem aſciſcat. Una enim eſſe debet communis, & potior ratio connubii, ut quiſque, non quod ſibi jucundiſſimum ſit, matrimonium ſectetur, ſed quod civitati utiliſſimum. Nuptiale autem tempus puellarum eſto a ſexto decimo ad viceſimum annum.

riendis recte vivendi fontibus, ſibi non conſtant; pugnantesque inter ſe alii alia docent. Quos, quæſo, ſequemur? Bayle ipſe, qui impiorum fax quodammodo & dux eſt, non dubitat affirmare: ſiquando philoſophia ita dominabitur, ut nemo alia approbet ſenſa, quam quæ clare ſua ipſi ratio dictet; & inducat animum e propriæ dumtaxat rationis ductu vitam agere, ſine dubio humanum peribit genus. (*Litt. Crit. in hiſt. Calv.*) *Sane magnifici iſti legis naturalis laudatores, eo demum relabuntur, ut alii fatum adſtruant, alii hominem e mera materia conſtent, & cum belluis componant, alii prorſus Athei ſunt. Itaque (quod prius dicta conſequitur) ſola Religio divinitus inſpirata verum juſti, & injuſti; boni & mali diſcrimen oſtendere poteſt, & mentis errores diſcutere, & mores regere.*

LIX. Dotes eæ ſunto, quæ dantis accipientiſque temperantiæ conveniunt, non luxui; præferendæ enim res neceſſariæ ſplendori ſunt. Quocirca, qui pro dote dederint, aut acceperint, quod quinquaginta drachmas excedit, ita mulctentur, ut (pro conditione cenſus) alius minam, alius ſeſquiminam, alius duas minas fiſco pendat. Quidquid autem largitionis nomine vel ſponſus prodigus det, vel avara accipiat ſponſa, id totum templo conſecretur judicum ſententia.

LX. Ad convivium nuptiale non plures quam quinque amici, & totidem amicæ e paterno genere vocantor: e cognatis autem, & propinquis par eſto numerus. Qui ditiſſimus ſit ad epulum expendet minam, non tam dives ſemiminam, ac ſic deinceps proportione ſic ſervata, ut quo quiſque minor cenſu ſit, minores huic fiant in apparando convivio impenſæ. Ceterum epulantes bibant citra ebrietatem, & hanc vitent maxime ſponſus & ſponſa, utpote qui gravis ſtatus gravem in primis conditionem ineunt: atque ita fere accidit, ut ab ebriis conjugibus non niſi monſtroſa membris naſcatur proles, futura dein moribus corruptis. (Lib. VI. de Legg.)

GUARANII.

LXI. Fiebant matrimonia inter Guaranios ſine iis turbis, quæ alibi aliquando cooriuntur. Curiones perſuaſerunt patribusfamilias, ut, cum filius jam natus erat XVII. annos, ei uxorem dignam quærerent, & virum viciſſim deſignarent filiæ quintum decimum annum agenti. Hæc ætas optima viſa eſt, ne, ſi conjugium diutius impediretur, e longiore mora ſuccreſceret adoleſcentibus occaſio luxuriandi, & ne, contra, ſi immaturius properaretur, ab imbecilli mente, mobilique animo, novorum conjugum, perturbatio domeſtici ordinis, & caſti convictus, naſceretur (*a*).

LXII.

(a) *Ariſtoteles ætatem ad matrimonium in fœminis cenſet eſſe annum duodevicesimum, in viris autem ſextum &*

LXII. Scriptor Regni Paraguayci Bernardus Ibanius (quicum diu vixi, dum piæ mecum militiæ secutus signa est) acerrime Curiones Guaranicos exagitat, quod tamdiu conjugia clientium protraherent, imminente interim periculo inuptis e desiderio naturæ lasciviendi. Quid huic homini facies ? Si Parochi illi Indis persuasissent, ut adolescentes quarto decimo anno, & puellæ duodecimo (quod Canonicum tempus est) ad nuptias se se sisterent, traduxisset per ora hominum Ibanius ipse Guaranicos cultores tamquam stultos planeque rudes (hanc ipsis laudem liberaliter attribuit) declamassetque, non satis eos intelligere sacrarum legum vim, & Pontificum statuta : plusculum quippe morandum esse cum neophytis, quousque firmior illis animus, & maturius judicium sit ad sacra-

---

tricesimum. (Lib. 7. politic.) quo loco interpres D. Thomas tempus istud approbat; de ætate vero duodecim annorum in puellis, & quattuordicim in adolescentibus, id inquit, jura concedunt, quia jam tum natura valida est; sed non (addit) determinat lex illud tempus optimum esse, aut melius alio ad matrimonium. Hanc Thomæ doctrinam scriptor Regni Paraguayci non legerat, nec vidit neminem in Europa injicere religionem Parochis, aut parentibus : quod puellas non statim anno duodeno, & pueros anno quaterdeno (nisi quid mali præsentis id cogat facere) ad matrimonium vocent.

Paulus Zacbias Medicus Innocentii X. Pontif. Max. docet ætatem nuptiis commodissimam in viris esse annum tricesimum, in fœminis decimum octavum. (Lib. I. tit. I. q. 6. a num. 38. & lib. IV. tit. II. q. 4.

Cornelius autem Tacitus laudat in hac re mores veterum Germanorum : sera, *inquit*, juvenum venus, eoque inexhausta pubertas : nec Virgines festinantur; eadem juventa, similis proceritas. Robora parentum liberi referunt. *Certe connubia nimium festinata vel nulla sequitur proles, vel imbecillis, & tumulo proxima; ideoque familiæ sæpius herede carent ob præcox heredis desiderium.*

cramentum, cujus conditio, & nodus perpetuus eſt.

LXIII. Equidem ſic reor vix ulla alia in re conſideratius egiſſe & cautius Curiones Guaranicos, quam in diſpiciendo quid opus factu eſſet de priſtinis Indorum connubiis, ut inde ſtatuerent, quid uſu confirmandum eſſet. Tres initio ſententiæ fuerunt: prima probabat, tamquam legitimas, nuptias, quas Guaranii inierant cum uxore primaria, quam vocabant *Cherembicò*: altera ſententia tam iſtius *Cherembicò* primariæ, quam ſecundariarum (*Cheaguaza* nomine) uxorum an pellicum? conjugium reprobabat, ob levitatem, qua eas mutabant viri, e quo facile conjici poſſet, matrimonia illorum ſtabilia non eſſe, neque pacto vincta perpetuo, etiamſi quidam in amanda *Cherembicò* conſtantiores eſſent: ſententia tertia Caciquiorum, ſive dynaſtarum connubia cenſebat irrita ab facilitatem repudiandi fæminas, quas duxerant; clientium vero valida, quod hi firmius alerent domi uxorem ſuam. Diſceptatio diu tenuit, eoque denique deducta eſt, ut, oratore Joanne de Lugo Cardinali (poterantne uti peritiore rei moralis interprete?) conſulerent Urbanum VIII. Pontif. Max. quid ipſis in re admodum implexa agendum eſſet? an cogendi recens fide inſtructi ad retinendam fæminam, quam primo ſibi adjunxerant, an vero ſinendi aliam quamvis in facie Eccleſiæ ducere (*a*).

LXIV. Atque hinc velim arguas, quam circumſpecti fuerint Curiones Guaranici ſuper neophytorum matrimonio. Et tamen eos bonus ille ſcriptor Regni Paraguayci ſtupidos & indoctos prædicat. Sed ommittamus hominem iracundum, qui fervens odio, & felle, in res Guaranicas invectus eſt, & Reges fecit, quos vix viros ducit... Poſtquam parentibus filiiſque convenerat inter ſe de optanda affinitate, monitus Curio

(a) *Vide differentem de hac re Cyriacum Morelli* (In rudim. Juris Nat. & Gent. *lib. II. diſp. II. §. I.*)

rio ſponſum & ſponſam examinabat ſeorſum de libero conſenſu, prælegebatque dein in templo impedimenta, quæ inofficioſas, atque irritas reddunt nuptias. Quod ad dotem attinet, cum fortunarum parfere modus eſſet, nihil illic negotii. Patellæ aliquot, ollæ, amphoræ, veſteſque goſſipinæ, & penſilis hamaca, atque alia, id genus, ſatis erant ſponſo, qui ſponſæ haud multo pretioſiora reddebat in uſum familiæ. His Guaranicis dotibus Germanorum veterum dotes fuerunt ſimiles: *munera non ad delicias quæſita*, ait C. Tacitus, *nec quibus nova nupta comatur, ſed boves, frenatus equus, & ſcutum* (*a*). Atque hæc quidem non ſponſa ſponſo, ſed ſponſus dabat ſponſæ, ob cauſas, quas idem Tacitus affert.

LXV. Convivium nuptiale fiebat more Platonico; intererant conſanguinei affineſque: & quoniam uno die multi ſæpe initiabant ſe ſe Sacramento, dabantur e re communi ad epulum obſonia quædam, præter illa, quæ ſinguli habebant domi. Omnia autem ibi & temperata, & honeſta. Joſephus Cardiel, qui in oppido S. Franciſci Borgiæ uno olim die nonaginta paribus ſponſorum bene precatus fuerat juſſo ritu, voluit deinde viſere eorum convivia, & continere vix potuit (ut ipſe narrat) lacrimas ob modeſtiam, ac moderationem, qua convivæ omnes intra juſtæ lætitiæ fines publice veſcebantur.

P L A T O
De educatione.

LXVI. Animus, ait, vel præſtantiſſimus natura, ſi male fuerit educatus, evadit peſſimus, idque argumentis, exempliſque confirmat. Res fere omnis pen-

 det,

(a) *Lycurgus lege vetuit, dotem dari viris, ut ii ſine ullo reſpectu acceptæ pecuniæ, alteriusve rei, uxores in officio liberius continerent.*

det, inquit, a parentibus, atque hac cauſa cavendum ipſis maxime eſt, ne filii filiæque quiddam videant, quod inficere eorum mores poſſit, & mentem & oculos adhuc mali neſcios in malum trahat. Ob id ipſum præcipit, nequis artificum fingat ſimulacrum aliquod, pingatve effigiem, e qua civium quiſpiam vitium tuendo diſcat. Optime in hanc rem poeta Juvenalis cavens puerorum inſtitutioni cecinit.

Velocius, & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica magnis
Cum ſubeant animos auctoribus.
..... Quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes ſumus.....
Nil dictu fœdum, riſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt. Procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia, ſiquid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans....
Gratum eſt, quod patriæ civem populoque dediſti,
Si facis, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris.
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas (*a*).

Et ſigillatim matres monet:

Scilicet expectas, ut tradat mater honeſtos
Aut alios mores, quam quos habet? (*b*)

Hæc Juvenalis conſona Platoni, cujus e libris, ac doctrina, vates & Philoſophi Romani creverunt (*c*).

LXVII.

(a) *Juvenal. Satyr. VI.*

(b) *Idem ſatyr. II.*

(c) *De parentum vita & moribus ſapienter præcipit Græcus Plutarchus: ante omnia, inquit, debent parentes nihil peccando, omniaque pro officii ratione agendo, evidens ſe ſe liberis exemplum præbere, ut in eorum vitam tamquam in ſpeculum intuentes a turpibus dictis factiſque abſtineant. (Lib. de liberis educandis.)*

LXVII. Quemadmodum ſine paſtore vagari agni non debent, ne forte errent, incidantque in lupum, ſic nec decet, ait Plato, pueros ſeorſum agere ſine probo pædagogo, qui eos puniat, ſiquid peccent. Itaque optimus eligatur vir, qui pueris educandis præſit. Adducendi autem ſunt omnes a triennio quotidie ad ſacrificium, & præterea ad ſollemnitatem menſtruam, quæ a propria illorum tribu per vices celebrabitur; & tum quidem nutrices, magiſtræque modeſtiam, immodeſtiamve ſingulorum obſervanto, & corriguntο quidquid ab alumnis ſuis male fiat. Poſt ſex vero ætatis annos fœminæ a maribus ſeparantor; & deinceps pueri cum pueris, puellæ cum puellis verſantor ſeparatim, ac navanto operam artibus honeſtis.

LXVIII. Matres porro nutriceſque curent, ut pueri puellæque utraque æque utantur manu: nam dexteræ potiorem uſum dare, quam ſiniſtræ, officit rectæ inſtitutioni, abuſuſque eſt quodammodo contra naturam, quæ nos docet ſine ullo diſcrimine ingredi pede pariter dextro lævoque. In libris de *Republica* vult pueros communi in domo ali, educarique ſeparatos a parentibus; id vero non præcipit in Legum opere, ſed tantum gymnaſia ponit publica, ubi communiter doceatur puerorum grex legere, & ſcribere, & numerare: vetat exin, ne puellæ domi otio corrumpantur, & deliciis affluant, ſed ſe ſe labore exerceant utili. (De Repub. lib. V. de Legg. lib. II. III. &c.)

GUARANII.

LXIX. Educatio & diſciplina Guaraniorum erat hæc. Pueri partim domi (ne parentes privarentur voluptate illa & gaudio, quod illis affert præſentia liberorum) partim publice educabantur. Habitabant per noctabantque apud ſuos. Sub auroram excitati tympanorum pulſu ibant ad templum, recitatiſque ſacris precibus cum Catecheſi (binis eorum voce præeuntibus) intererant ſacro Miſſæ. Egreſſis ſancta

ex æde apponebatur in atrio Curionis jentaculum de re communi, eoque refecti, si quidem erat profestus dies, ducebantur a sene duce, & censore morum ad opus ætati conveniens, ad purgandum (exempli causa) noxiis herbis agrum publicum, vel ad vias impeditas saxis, arborumve lapsis frondibus, aut luto cæcas, aperiendas. Quo autem is labor gratior eis accideret, ferebant secum inter lætos tibiarum sonitus statunculam S. Isidori Agricolæ, innitentem basi, quam bini excipiebant vectes ad gestandum. Ubi ad locum designati laboris pervenerant Divi simulacrum propatula in parte, unde conspici posset, locabant; & ipsi jussum urgebant opus.

LXX. Vespere ad signum æris e turri sacra conveniebant rursus in templum pro obeunda Catechesi, qua illos exercebat Curio, vel ejus collega. Catechesin excipiebant Virginei Rosarii preces, quibus omnes interrerant cum binis iis Sacerdotibus (quos modo diximus) qui ante aram maximam nixi genibus orabant simul cum populo, illorumque alteruter, recitatis jam Litaniis, pium officium extrema precatione concludebat. Post id pueri, accepta merenda ex atrio Curionis, revertebantur domum parte aliqua laboris matrem quisque suam levaturi.

LXXI. Puellarum, quibus item præerat gravis & vigil custos, seorsum a pueris eadem erat institutio, nisi quod levior illis committebatur labor, qualis erat vel decerpere e gossipii arbusculis hiantes calices, quibus molle vellus includitur, vel abigere oris murmure, manumque percussione, e prædio publico voraces psittacos, avesque alias, quarum illac ingentia examina. Et quoniam nec puellis, nec fæminarum ulli patebat aditus in atrium Curionis, illis matutina & vespertina corporis refectio foris curabatur.

LXXII. Pueri, & puellæ separatim agebant semper (non solum ab anno ætatis sexto, ut vult Plato) etiam in templo, cujus quattuor descriptæ erant partes, una pro viris, altera pro adultis fæminis, ter-

tia

tia pro pueris, quarta pro puellis, neminique harum classium licebat alieno in loco consistere (*a*): quin & in ædem sacram alia intrabant porta viri puerique, alia matres puellæque, idque valebat ad morum honestatem, modestiamque & silentium, quod erat summum in rebus divinis. Narramus, quæ vidimus.

LXXIII. Legere, & scribere, cum calculorum ratione non omnes pueri docebantur, sed tot dumtaxat, quot oppidi bonum poscebat, ut ex eo dein numero eligerentur Prætor, & senatores, & magistratus, & scribæ, & procuratores publici, & æditui, & medici. Erant autem elementarii pueri isti e familiis præcipue Caciquiorum, primorumque Indorum, quibus is honor præ ceteris habebatur. Legebant autem optime seu Guaranice, seu Hispane, seu Latine, eorumque multi scribebant elegantissime, ut nihil cederent vel pulcherrimis typographorum formis.

LXXIV. Guaranii olim in numerandi ordine vix quicquam promoverant, Quaternæ illis tantum erant voces in numeros, *Petei* videlicet, unus; *Mocoi*, duo; *Mohapì*, tres; *Jrundì* quattuor. Quinque *peteipo*: id est, manus una propter quinos dignitos: de-

(a) *Separatio virorum fæminarumque in templo, sua utrisque parte destinata, fieri consuevit sub initia nascentis Ecclesiæ, eamque restituere conatus est (quo erat zelo pro domo Dei) S. Carolus Borromæus: ac re ipsa in quibusdam diœcesis Mediolanensis oppidis viri seorsim & fœminæ in æde sacra consistebant; qui mos duret ne adhuc, nescio.*

Josephus Hebræus scribit sejunctionem istam sexus utriusque a Deo fieri Iussam in augusto illo templo Hierosolymitano. (De bel Judaic. lib. V. c. 6.

Idem cautum est Hispanorum Regum lege, Juri Indico inserta: Los Jueces no consientan, que los hombres estem entre las mugeres, *id est ne judices permittant viros inter fœminas consistere.*

decem erant *mocoipo*: Viginti autem ambæ ſimul manus, & ambi pedes. Quod ſi magna eſſet rerum multitudo dicebant generatim *Hetà*, multa; ſin vero plurima *Hetahetà*, geminata vocula, qui modus apud eos vim ſuperlationis habet, iterant enim nomen, ut id, quod eo exprimunt, optimum indicent. Alias ſimplici voci addunt *etè*, ut *Heta etè*, valde multi, *Etè* enim idem eſt ac valde. Quod ſi rei numerus iniri non poſſit, ſic iſtud enunciant *Ndipapahàbi*, innumerabilis.

LXXV. Menſem ab Lunæ creſcentis ortu inchoabant, ut Hebræi, &, ut Græci, ab eadem luna, nomen dabant menſi. dicunt enim illi τέτραμηνὸν (quod exemplo ſit) quattuor Lunas, ſive menſes. Ceterum Guaranica illa numerandi ratio impedita admodum eſt, ſi qua rei ſumma magis magiſque creſcat (*a*) Idcirco viſum eſt Curionibus Jeſuitis oportere diſci a neophytis numeros Hiſpanos. Res facili negotio ſucceſſit.

LXXVI. Singulis quibuſque diebus Dominicis poſt recitatas Catechiſmi formulas, & decantata ab omnibus Religionis myſteria, bini, qui voce aliis præibant,

---

(a) *Non ſolum impedita Guaranica ratio numerandi, ſed & abſurda, & barbara videbitur quibuſdam Europæis At hi meminiſſe debent, ut maxime apud nos Arabum beneficio artis arithmeticæ creverit facilitas, tamen etiamnum vel a doctis viris ad explicandam corporis magnitudinem latitudinemve adhiberi ſolitam menſuram* cubiti, ulnæ palmi, digiti, pedis, *quod non multum, opinor, differt ab illa Guaraniorum forma.*

Neque vero hinc trahi argumentum poteſt contra elegantiam, & artificium, quod ſupra laudavimus, linguæ Guaranicæ; facilis enim reſponſio eſt, nempe eum Indos illos Arithmetice modum habuiſſe. qui ſatis eſſet ad ſimplex, & naturale vivendi, agendique genus, quod ſectabantur; quorſum nam ipſis vel ſubtilitas Algebræ, vel Arabicæ ſupputationis multiplex uſus?

bant in medio ſtantes templo, en vobis, ajebant, ordinem & nomina numerorum: *UNO*; reſpondebat populus *UNO*. Illi dein: *DOS*; univerſi viciſſim *DOS*. poſtea *TRES*, *QUATRO*, & ſic deinceps ad *CIENTO*, & *MIL*. Sub hæc, iidem turbæ duces: en vobis nomina dierum Hebdomadæ: *DOMINGO*; iterabant cuncti *DOMINGO*. Illi poſt, *LUNES*. hi, *LUNES*. atque ita uſque ad Sabbatum. Inde ad menſes procedebant. En vobis menſium nomina ab initio anni. *ENERO*; repetebant univerſi *ENERO*. Deinde *FEBRERO*, *MARZO* &c. ad *DICIEMBRE*, ut dicunt Hiſpani. Ita fiebat, ut Indi a teneris hæc ſibi nomina familiaria redderent, atque expedite eo numerandi modo & ad rem ſacram, & ad rem civilem uterentur.

LXXVII. Quid? (dicet hic forſan aliquis) docebantur ne Guaranii linguam Hiſpanam perinde ac Hiſpanos numeros? Atqui fama eſt Curiones illos ſevere vetuiſſe, ne clientes ſui Hiſpanice loqui diſcerent, quominus a quoquam peregrino myſteria Guaranica, vel intelligi, vel introſpici poſſent. Nugæ, & mera ſomnia hominum delirantium! Quippe Guaranicæ linguæ uſus communis eſt civibus Hiſpanis urbis Fluentinæ, & municipibus Hiſpanarum item Coloniarum Villaricianæ, & Curuguatienſis. Immo vero in ipſa Aſſumptionis urbe (quæ prætoria eſt, & totius provinciæ princeps) P. Rochus de Rivas) obiit is Faventiæ an. MDCCXC.) myſteria Religionis, & morum officia e loco ſuperiore Guaranice explicabat magno plauſu, fructuque civium, qui tametſi loqui Hiſpane ſciunt, malunt ſibi verba fieri lingua Guaranica, cui a pueris aſſueſcunt, & qua inter ſe ruri agunt domique.

LXXVIII. Quorſum igitur ſecretum linguæ innumerabilibus notæ Hiſpanis, quibus (ut poſtea docebimus) liber erat aditus ad oppida Guaraniorum? Ad celandum ſcilicet arcana politica. Quæ arcana? Nihil erat rerum Guaranicarum, quod non ſæpe intro-

troſpexerint Sacri Antiſtites, Regiique Prætores, qui oppida illa pro munere luſtrarunt. Rex ipſe Catholicus Philippus V., omnia ibi fieri ſolita publice explicavit, approbavitque. De ejus decreto erit infra nobis dicendi locus. At quid multis opus eſt in re clara? VV. Sacerdotes e Clero, & RR. PP. Franciſcani, qui aliquot oppida gentis Guaranicæ in prætura Paraguayca curant, oppidanos Guaranice inſtituunt, nequedum quiſquam id illis vitio vertit. In oppidis item Peruvicis Hiſpani Parochi Indos ſuos erudiunt lingua Peruvica, id eſt, Quichua: cur non ergo Guaranici Curiones Guaranica uterentur?

LXXIX. Illud hic certum eſt Guaranios numquam coactos fuiſſe a Jeſuitis ad addiſcendam linguam Hiſpanam, quem admodum ne in media quidem Hiſpania, & ſub Regis oculos, Baleares, Valentini, Cantabri, Callaici (*a*), & Catalauni coguntur loqui Caſtellanice, quæ Aulæ lingua eſt. Data opera Catalaunos extremo poſui loco, ut indicarem paucis piam ſeveritatem Il. D. Joſephi de Mezquia, ex ordine Redemptorum, Epiſcopi Solſonenſis, qui nemini umquam poteſtatem fecit concionandi niſi lingua Catalaunica, rogatuſque quondam, ut Sacerdoti Cæſarauguſtano (cum hoc vixi diu, & ſuperſtes eſt) magni in Academia Cervarienſi nominis veniam daret habendi Caſtellanice Divorum laudationes, negavit Antiſtes, velle ſe ajens oves ſuas paſci ea lingua, quam a matribus didicerunt, meliuſque omni alia intelligunt. Et quidem Il. Mezquìa non Catalaunus, ſed Caſtellanus erat: tamen prudens Paſtor (quem novi) majorem ſui gregis fructum nativæ antetulit linguæ. Ut videas autem ſuperiori ſuo ſancte obtem-
peran-

(a) *Pono Callaicam linguam diſtinctam a Caſtellanica, quod ab hac illam diverſam eſſe contendat, & probet Bened. Hieronymus Feyjòo, Callaicus ipſe.* (*Theatr. Critic. tom. I. diſſert. 15.*)

perantibus rem ſemper bene cedere, idem ille Sacerdos majorem uſum nactus Catalaunici ſermonis, ſermone dein hoc oprime ſuperos laudabat, & cives Chriſtiani hominis officia docebat: illum audivi, & potui, quippe Catalaunus, de vi, & ornatu elocutionis nonnihil cognoſcere.

LXXX. Lex Indica ſummo conſilio, de re quam agimus, ſic præcipit: *doceantur Hiſpanam linguam Indi, qui eam ſponte ſua velint diſcere* (*a*), *los que voluntariamente la quiſieren aprehender*. Audin? *voluntariamente*, *ſua ſponte*. Vidit Rex, quam ſit difficile nolentes cogi ad novam loquendi formam. Suppetunt domeſtica exempla. Victi a Punicis quondam Hiſpani, victorum linguam recipere conſtanter renuerunt: Punice regi ſuſtinuere, loqui non ſuſtinuere. Ad hanc rem propius pertinet, quod gravis Virgilius, probe noſcens vix flecti homines poſſe ut externo ſermoni accommodent ora, de conditionibus jungendæ ſocietatis urbiſque inter Troas latinoſque ſic conſulto cecinit:

Ne vetus indigenas nomen mutare latinos,
Neu Troas fieri jubeas, teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtes.
. . . . . .
Do quod vis, & me victuſque volenſque remitto,
Sermonem Auſonii patrium, moreſque tenebunt:
Utque eſt, nomen erit (*b*).

LXXXI. Voluit ad extremum Plato (uti diximus) pueros puellasque utraque uti manu ſine dexteræ prerogativa; atque id quidem recte: præjudicium enim haud laudabile parentum eſt, liberis vetare æquum ſiniſtræ manus ac dextræ uſum, quo fit, ut læva pæne inutilis reddatur. Sacer liber (*c*) vocat *for-*

(a) *Jus Indicum. Tit. I. lib. VII. leg. 18.*
(b) *Æneid. lib XII.*
(c) *Judic. c. XX. v. 16.*

fortissimos Gabaaitas *ita sinistra, ut dextra prælian-tes*. Ac de Aod Israelitarum supremo duce, & judice dicitur: *qui utraque manu pro dextera utebatur* (a). Guaranii (si bene memini) non interdicebant filiis promiscuo utriusque manus usu. Ceterum non id dicimus, quod improbemus urbanam consuetudinem quædam vel accipiendi, vel porrigendi dextera potius manu, quam sinistra (valeat civilis mos) sed ut indicemus oportere lævam assuefieri ad quævis agenda, & habilem esse perinde ac dextram: sæpe enim accidit, ut habilitas hæc magno adjumento sit rei bene gerendæ domi militiæque, Miles, civis, artifex sit, oportet, *æquimanus*, ut Ausonii utar verbo.

P L A T O
De Musica.

LXXXII. Incredibile dictu est, quantum pro educatione puerili ponat Plato in Musica, ut vel hinc intelligas data eum opera Pytagoram musicis numeris omnia explicantem audisse. Nec minus ille choreas laudat in rectam urbis institutionem. Quippe utraque hac re, ait, æquabilis & proba animi habitudo fit: Musica enim delinit, & temperat id, quod ab atra bili inest nobis asperi, & duri: choreæ autem graves, & laboriosæ, mollem illam minuunt appetionem, & humorem pigrum, quo ad voluptatem & otium trahimur: ubi autem utriusque vitii extrema vitaveris, medium virtutis teneas, necesse est. Aristoteles, qui certe non jurarat in magistri verba Platonis, pro æqua, & bona puerorum eruditione etiam Musicam commendat.

LXXXIII. Hebræus Philo Græce sciens, & Græcorum scriptorum justus æstimator, secundum præcepta Platonis: " Musica, ait, est velut lac quoddam pue-
" ri-

(a) *Judic. c. III. v. 15.*

„ rilium animorum: videmus enim nutricum canti- „ lenis illorum lacrimas ſiſti, & vigilantibus ſomnum „ conciliari: ipſi pueri, ubi firmo pede premere cæ- „ pere ſolum, fiſtulis, tibiiſque e nodo arundinum „ factis, cum æqualibus oblectant ſe ſe. Quippe eſt „ hic naturæ certus inſtinctus, quem ubique gentium „ licet cernere; dum nulla ſit natio tam barbara, „ atque inculta, quæ in nuptiis, conviviiſque, & „ ludis Muſica non utatur, eamdemque adhibent vel „ in ipſis funeribus, ut quodammodo lenior fiat fletus, „ & acerbitas doloris mitigetur. Et quidem in qui- „ buſdam civitatibus bene moratis Muſicæ uſus lege „ ſancitus eſt: ac ſummus ille Orator Tullius ad ef- „ formandum Oratorem valere plurimum Muſicam „ exiſtimat (Cic. de Orat.) ut doctus ille vocum infle- „ xiones, flectat dein quo velit auditorum animos (*a*). „

LXXXIV. Marcus autem Fabius Quintilianus, eximium Hiſpaniæ decus, in Inſtitutionibus, quas ſapientiſſime ſcripſit, præcipit, ut Orator ille, quem ſenſim fingit, diſcat a puero Muſicam, præceptique reddens cauſam, " Claros, iniquit, nomine ſapien- „ tiæ viros nemo dubitaverit ſtudioſos muſices fuiſſe, „ cum Pythagoras, atque eum ſecuti, acceptam ſine „ dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum „ ipſum ea ratione eſſe compoſitum, quam poſtea „ ſit lyra imitata.... Nam Plato cum in aliis qui- „ buſdam, tum præcipue in Timæo, ne intelligi „ quidem niſi ab iis, qui hanc quoque partem di- „ ſciplinæ diligenter perceperint, poteſt. Quid de Phi- „ loſophis loquar, quorum fons ipſe Socrates jam „ ſenex inſtitui lyra non erubeſcebat? Non igitur fru- „ ſtra Plato civili viro, quem Πολιτικὸν vocant, ne- „ ceſſariam muſicen credidit.... Atque eam natu- „ ra ipſa videtur ad tollerandos facilius labores ve-

„ lut

(a) *Philo lib. de Agricult.*

„ lut muneri nobis dediſſe. Siquidem & remiges can-
„ tus hortatur: nec ſolum in iis operibus, in quibus
„ plurium conatus præeunte aliqua jucunda voce
„ conſpirat; ſed etiam ſingulorum fatigatio quamli-
„ bet ſe rudi modulatione ſolatur (*a*). „

LXXXV. Ac, ne in re aperta ſim fuſior, Tullius, præſtantiſſimus inter Philoſophos Orator, & inter Oratores Philoſophus, de Muſica ſic diſſerit: " ci-
„ vitatum hoc multarum in Græcia interfuit, anti-
„ quum vocum ſervare modum: quarum mores lapſi
„ ad mollitiem pariter ſunt immutati in cantibus,
„ aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut qui-
„ dam putant, aut cum ſeveritas morum ob alia vi-
„ tia cecidiſſet, tum fuit in auribus animiſque mu-
„ tatis etiam huic mutationi locus (*b*). „

LXXXVI. Quæ ego doctiſſimorum virorum teſtimonia de vi, & virtute Muſicæ in diſciplinam publicam cum lego, quid hoc rei eſt? ajo apud me. An veteres illi alio, eoque meliore, quam nos modulandi genere utebantur? Ubinam enim dulcis, & efficax modus, qui adeo in probos civium mores influebat? Si fateri verum volumus, dicendum prorſus eſt, muſicam, cui nunc operam damus, plerumque obeſſe potius adoleſcentium rectæ inſtitutioni, quam prodeſſe. Cur id autem? quia mollem, & adulterinum cantum ſequimur, non graves & viriles modos, ac generoſos fidium ſonos, qui inordinatæ mentis habitum temperent, componantque, atque exleges ſenſus rationi ſubjiciant. Ferunt morſos ab Apula aſpide curati muſica. Eſto, curantur corpora, ſed animi corrumpuntur muſicis noſtris; corrumpentique aures, & cor, cantori, cantatricique, datur ſæpe in triduum merces, quæ ſatis foret alendo in annum toti gregi honeſtæ familiæ, quæ præ fame balat. (Lib. III. V. de Repub. de Leg. II. III. &c.)

GUA-

(a) *M. F. Quintil.* Inſtut. *lib. I. c.* 10.
(b) *M. Tullius* de legibus *lib. II.*

LXXXVII. Muſica apud Guaranios optima erat electis e toto puerorum grege, & adoleſcentium turba pluribus qui muſicas docti notas, ore canerent, & pulſarent plectra, & Organa æriſona, & citharas, & tetrachorda; tibiiſque & lituis, & tubis rite uterentur. Illos inſtituit hac arte omnium primus Joannes Vaſſeus, qui fuiſſe dicitur Muſicus Caroli V. Imperatoris & paratis jam ſibi opibus ultro renunciavit, ut tranſmiſſo Oceano ſilveſtres homines Orphei inſtar lyra manſuefaceret: atque is quidem ex immani labore miniſtrandi neophytis, quos peſtilentia afflarat, occubuit in oppido Laureti an. MDCXXIII. (*a*).

LXXXVIII. Jam vero cum indi propenſiſſimi ad Muſicam ſint (diceres eos donatos ingenio avium quibus natura ipſa cantum inſpirat) ita illam belle arripuerunt, ut Europæis admirationi fuerint, & eſſe nunc etiam pergant. Cajetanus Cattaneus, qui ex Italia illuc navigavit an. MDCCXXIX. ſcripſit Mutinam ad ſuos, viſum ſibi Guaranicum puerum duodennem difficillimas quaſque Bononienſium Compoſitorum notas nuſquam errantem fidibus reddere (*b*). Quotidie autem ad Sacrum Miſſæ canebant Guaranii voce, & Organo pneumatico, & cetero ſymphoniæ inſtrumento. Veſpere dein ſub Roſarii preces brevior erat cantus in laudem Euchariſtiæ, & Dei Matris MARIÆ, cui cantui reſpondebat populus, addita poſtremo formula Actus Contritionis. Id generatim de Muſica Guarraniorum dici poteſt, eam & caſtam omnino & ſeriam fuiſſe in templo, numquam

(a) *Joannem Vaſſeum eximie laudat ab optima in Guaranios Indos inducta Muſica Julius Cordara, quem vide (Hiſt. S. J. lib. VI. n. 216.)*

(b) *Cattanei litteras edidit Cl. V. Ludov. Ant Muratorius, adjecitque eas operi ſuo* Chriſtianiſmi felicis

temerato modis & sonis theatralibus (quos, pudor! inepti quidam profanique Musici vel in odæa sacra ausi sunt transferre) & honestam ac pudicam domi rurique, ut nihil uspiam audires quod posset mores corrumpere (*a*).

P L A T O
De Choreis.

LXXXIX. Erudiantur, inquit, pueri, puellæque gymnicis choreis, quæ ad membrorum exercitationem, agilitatemque pertinent, & sunt quodammodo bellica quædam præludia: nam armorum usum ignorare non debent fœminæ, erit enim forsan aliquando opus, ut, absentibus maritis, stantes ipsæ pro vallo urbem patriamque defendant. Sunto itaque choreæ graves, laboriosæque, & symbolicæ, per quas morum variorum, diversarumque actionum imitationes fiant honestæ, & usu probatæ. Quæ autem his contraria sunt, ut saltationes molles, & lascivæ, Baccharumque tripudia (id est Bacchanalia) permitti in Republica non debent.

XC. Publicæ puerorum educationi a Musica, & Choreis adjicit Plato privatum, & domesticum præceptum ad matres nutricesque pro rite curandis infantibus, qui instar mollis ceræ diligenter fingendi sunt,

(a) *E Musica Guaranica nihil quidem detraxisset optimus vates P. Franciscus Grimaldi, qui de puero Musicen docendo ita eleganter canit:* (De Vita œconomica *lib. II.*)

Dum digiti faciles, dum vox magis apta canendo est,
Et canat, & tenero pollice pulset ebur.
Sic est: occulta trahimur dulcedine cantus,
Et gens ad numeros nata modosque sumus.
Scilicet ad mores cantus facit: otia virtus
Hinc sua perpetuo fessa labore trahit.
Fingendis puer apta canat mihi moribus: unde
Et curis animum tristitiaque levet.

ſunt, nequod eorum membra vitium contrahant; vultque illos biennio adſtringi faſciis, ratus id prodeſſe bonæ corporum conformationi. Quo ſiqui parentibus orbi ſint, iis jubet optimos, & vigiles tutores curatoreſque præfici. (De Repub. & Legg. loc. citt.)

GUARANII.

XCI. Quod ad choreas attinet, hæ lætiſſimis tantum diebus per annum habebantur in foro, toto inſpectante populo, & coram Curione, ejuſque collega ſedentibus pro templi porticu. Saltabant autem ſoli pueri adoleſcenteſque: ac ſeorſum viri, ſeorſum fœminæ publico huic ludo intererant. Choreæ erant graves, & hieroglyphicæ, ſive ſymbolicæ. Quippe alias repræſentabant pugnam Archangeli Michaelis (cujus in ſcuto ſcriptum erat *QUIS UT DEUS*) cum rebelli dracone. & aſſeclis ejus, victis tandem iis, detruſiſque in tartarum; illo victore, & triumphante. Alias referebant quattuor auguſtos Reges, e ſua quemque terrarum Orbis parte, venientes ſtellæ indicio, ut adorarent *Regem Regum*, & *Dominum dominantium;* eique jam invento, recumbentique ad pulchræ puerperæ ſinum, ſceptra ſua, & coronas venerabundi ſubmitterent.

XCII. Alias ſiſtebant in medium inſignia, & teſſeram Virginis MARIÆ, cujus nominis litteras ſingulas, ſingulis deſcriptas in ſcutulis, per varios curſus recurſuſque miſcebant, atque ita paulatim eas in ordinem redigebant, objiciebantque ſpectantium oculis, ut dulce Reginæ Cœli nomen conjunctim legi poſſet: ipſi autem auctores ludi, ſubmiſſis ad numerum genibus, & prono capite, ac pectore procumbebant ad ſacrum ſimulacrum ejuſdem Magnæ Matris, quod in idipſum antea parabatur. Alias velitationem, & prælia ſimulabant Chriſtianas acies inter & Mauricas, ita tamen, ut Dei illæ præſidio vincerent, hæ fuſæ fugatæque terga turpiter verterent;

ſervato inter certandum juſto ſemper ad ſymphoniam motu corporis membrorumque. Alias ſaltabant ſimul, & ludebant muſice. Bini (puta) canebant binis lyris; bini binis citharis; bini binis plectris, bini binis tetrachordis; bini binis lituis! numquam interim ceſſante numeroſa pedum vibratione.

XCIII. Accipe hujus rei illuſtre documentum. Habebat ſtativa in oppido S. Franciſci Borgiæ clariſſimus Imperator Petrus Cevallius cum exercitu, qui eo venerat ob exortas turbas Ciſuruguaycorum, detrectantium famoſum illud fœdus Luſitanicum, quo fœdere juſſi illi fuerant finibus e ſuis migrare, ut ſupra docuimus. Interea acceptis ab Europa laureatis litteris de adito Hiſpaniarum ſolio a Carolo III. demortui Ferdinandi VI. fratre, voluit Cevallius (qua erat in Regem fide) quam poſſet magnifice ejus auſpicia ad regnum celebrare. Feſtivi ludi tenuerunt complures dies; excitique ſunt ex aliis oppidis Guaranii cantores ſaltatoreſque plurimi.

XCIV. Cantoribus commiſſa eſt templi Muſica, quam illi dexterrime exercuerunt ad divina myſteria pro novi Regis felici fauſtoque imperio. Saltatores autem arte ſua uſi ſunt in foro coram Imperatore, & ducibus, & militibus, & populo innumerabili. Tanta vero fuit chorearum Varietas, ut ſemper illi nova afferrent genera, mutaruntque formas ſexies quotidie: quippe didiciſſe dicuntur a Joſepho Cardiele ſeptuaginta ſaltationum modos diverſos; &, quod magis laudes, in tanto chorearum numero nihil petulans erat, nihil laſcivum (id ut caverent, ludis aderant publicis Curio, ejuſque collega) & cui conveniret illud a Gerſone graviter dictum: *omnia peccata chorizant in chorea* (a). Vivunt etiam num, opinor, aliquot Centurionum, & quam multi militum (Imperator jampridem obiit) qui teſtari poſſint, quid tum & viderint, & videntes mirati ſunt.

XCV.

(a) *Serm. II. contra luxur.*

XCV. In Divi Præſidis feſto die, quem ſingula oppida agitabant cultu maximo, ſolebat dari ſpectaculum ſeriæ alicujus actionis, ut properantium paſtorum ad antrum Bethleemicum poſt legatum ad ipſos e ſuperis ſedibus nuncium, auditoſque choros cœleſtis militiæ canentes: *GLORIA IN EXCELSIS DEO*. Exhibebant ſcilicet Indi pia paſtorum obſequia, quibus Deum recens natum, Deique Matrem, mira ſimplicitate, & candida innocentia proſecuti ſunt. Ad hæc autem dramata (quæ pueri rite inſtituti reddebant, nulla ad agendum admiſſa fæmina) & ad ſtatas anni choreas, fiebant e publico veſtes ſingulis perſonis, ſcæniſque accommodatæ; quæ veſtes (dum rediret iterum earum uſus) aſſervabantur in armariis apud Curionem, cujus in atrio erant gymnaſia ad puerilem eruditionem, ut ipſe facile obſervare poſſet, an magiſtri (Indi delecti erant) ſuo munere recte fungerentur.

XCVI. Atque hæc quidem de Muſica, & choreis Guaranicis. Reſtat dicere de curandis infantibus. Hos non biennio (quod vult Plato) ſtringebant faſciis Guaranicæ matres, ſed laxo ſinu ita induebant, ut teneris membris liber eſſet uſus, & motus. Sane modus ille pueros obvolvendi (ut ut fieret, neque enim ſatis eum memoria teneo) optimus eſt. Equidem multa Guaraniorum vidi oppida, & nuſquam Indum claudum, vel mancum, vel gibbum, vel alio corporis vitio affectum vidi (*a*): omnes per-

(a) *D. Pau. (in Encyclop. V. America) ſcribit de Americanis*: pauci corpore defecti, quod apud eos, ut olim apud Lacædemonios, barbarus ſit mos pueros perdendi, quos diſtortio aliqua membrorum inutiles reddit, ut ſibi cibum quærant venando, piſcandoque.

Hic te volo, Pavi, & rogo, an mos informes partus necandi eſſe poſſit Americanis, apud quos non naſcuntur fœtus informes? De hac re teſtis ego, qui non exiguam Americæ Meridionalis partem vidi; teſtis Ciria-

fectis erant artubus : tantum unius recordor, qui mutus erat ; at id mali (ut omnes ſat norunt) vitio curantium matrum non fit.

XCVII. Ad hæc : ſua quemque parens ubere alebat, nec ancillis (quæ nullæ illic) nec nutricibus (niſi vel mortua matre, vel ægra, utendum foret alienæ mulieris ope) teneri partus delegabantur : qua in re gens illa ſequitur ductum naturæ, quæ matri in idipſum munus alendæ prolis providet ſtatim lac (a). De tutoribus, & curatoribus, quos orphanis præficit Plato, nihil nobis negotii eſt. Orbos parentibus educabant conſanguinei domi ſuæ ; illorum autem cibo, & veſtibus e publico conſulebatur. Hactenus de educatione, quæ ſchola quædam eſt, ubi finguntur animorum habitus, *altera* nimirum (ut recte a Philoſophis dicitur) *natura*, quam cum ſemel indueris, vix umquam exues.

PLA-

---

cus Morellius, qui plures, quam ego, illius provincias percurrit (Vide Rudim. Juris Nat. & Gent. *lib. II. diſput. III. §. 1.) teſtis D. Fourçoy, qui librum edidit, quo phyſicæ educationis modum, quem ab Americanis (ſeptemtrionalibus opinor) didiciſſe ſe ſe profitetur, ſtabiliri oportere contendit apud matres Europæas, quod ille conſilium non daret niſi probe animadvertiſſet quam Indi pueri & ſine vitio corporis naſcantur, & ſine labe artuum educentur. (Ex Ephemer. Roman. an. 1780. n. 49.)*

(a) *Pulchre in hanc rem Grimaldius vates: (loc. cit.)*

Quis dubitet, quin prima bonæ ſit cura parentis,
Lactis ut infanti ſedula præſtet opem?
Scilicet ejusdem eſt, primæ qui munera vitæ
Tradidit, ut vitæ pabula prima ferat.
Hinc minor in matrem reverentia : cujus amorem
Lacteolo ſenſim combibit ore puer.

Pulchrius in idem argumentum Favorinus apud Gellium : „ quod eſt, ait, hoc contra naturam imperfectum ac „ dimidiatum matris genus, peperiſſe, ac ſtatim ab ſe ſe „ abjeciſſe? aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid „ quod non videret, non alere nunc ſuo lacte, quod vi„ deat jam vivens, jam hominem, jam matris officia im„ plorantem? „

PLATO
De opere diurno.

XCVIII. De diurnis actionibus sic ille generatim præcipit. Turpe est, ait, siquis civium nimio indulgens somno totam dormiat noctem; prorsusque indignum bono hero, nisi ipse domesticis suis surgat prior. Dominam autem ab ancillis, non ancillas ab domina excitari, ingens dedecus. Expergiscantur itaque bene mane cives, & vigil Magistratus ante lucem publica tractet commoda, patresque & matresfamilias privatam rem mature domi curent: sopor enim, neu animo, neu corpori utilis, officit plurimum negotiis gerendis.

XCIX. Nemo certe cum dormit, pluris faciendus est, quam si non viveret: ob idque ipsum, qui vivere, & sapere optat maxime, quam maximo vigilet tempore; dummodo habeatur ratio sanitatis, ad quam quidem haud opus est longo somno, si bene assueveris. Adde, quod Prefecti civitati, si sollerter excubent, malis civibus terrori sunt, impediuntque nequis hostili animo, & nocturnis armis, in urbem irrumpat. Hæc Plato graviter, ut solet.

C. In exercitationibus civium, præter agri culturam, urbanasque artes, venationem ponit. Venatio autem alia est inquit, aquatilium, alia ferarum, alia volatilium, alia hominum, quæ fit, cum quis libero capiti insidiatur, ut abducat in servitutem. Hoc posito discrimine, pergit dicere; quibus fortitudo, & membrorum robur curæ est, eos in primis fatigare cursu feras, & telo persequi, oportet. Auceps, & venator per inculta tantum loca, montesque vagari sinitor, ne satis agris, & natæ segeti noceat circumcursando.

CI. Piscationem Plato non probat, nescio cur: an quod remissior in piscando opera sit, & ipse nihil in civibus molle & languidum vult? Sed sunt piscationes quædam admodum operosæ, magnoque egentes

tes nisu Corporis : & certe in remigando, trahendoque reti levis labor non est. Piraticum latrocinium, & plagiarios, tamquam immania monstra, ac nefarias hominum pestes, merito detestatur.

CII. Jubet præterea amplum in urbe locum designari (campum Martium dixeris) ubi juvenes torquendis arcubus, mittendisque sagittis se se crebro exerceant. Etenim jaculorum usus, ait, hastarumque vibratio, atque alia hujus generis, ad corporis motum agilitatemque, & vires alendas juvant plurimum : ipsaque alioquin armorum tractatio est quodammodo militiæ quoddam specimen, & belli prolusio. Fœminas quoque (ut supra demonstravimus) bellicosas optat Plato, neque eas a palæstra publica arcet, & cavet maxime, ne otio corrumpantur, & torpeant.

CIII. Itaque & laborem ille utilem gravibus oblectamentis miscet, & oblectamenta vicissim gravia utili labori; idque digno legum latoris consilio; nisi enim civibus recreatio animi publica & licita identidem procuretur, quærent illi sibi clandestinam, & illicitam, magno civitatis malo, & luctuosa familiarum perturbatione. In puerorum denique opere diurno id servetur, inquit, ut oriente Sole ad gymnasia ire compellantur, nisi forte ipsi sponte eant. (Lib. VII. de Legg.)

GUARANII.

CIV. Profestis diebus in artes quisque suas incumbebant. Cum otium erat, vacabant aucupio per silvas, saltusque devios; tanta enim illac volucrum copia est, & tam illæ sunt pulcræ visu ob plumas versicolores, ut elegantius nihil, & venustius usquam videris, Venabantur etiam, & piscabantur, feris nam cibo bonis abundat regio, & plurimi sunt amnes piscosissimi. Michael Marimon, Guaraniorum olim cultor, & studiosus historiæ naturalis, reperiri ait ibi avium CIII. genera, quadrupedum XLV., piscium XL.; quorum omnium animantium nomina Guaranica sigillatim reddit.

CV.

CV. Diebus festis post vespertinum Officium simulacra belli quædam obibant viri in foro, vibratis ad scopum sagittis, quarum mittendarum ita sunt periti, ut sive fugientem feram, sive prætervolantem avem petant, vix umquam errent. Ludebant item pila compacta e gummi sic saltitanti, & tremulo, ut concepto simul impetu pergat diutissime subsilire, omnis moræ, & quietis impatiens, repetitisque e casu ipso altis plagis. Pilam autem Guaranii non (ut nos) manu, sed superiore parte nudi pedis mittunt remittuntque, idque expeditissime, ac dexterrime.

CVI. Piraticam artem adeo exosam Platoni numquam illi exercuerunt; immo infausta fuerunt præda immanium Mammalucorum, qui innumerabiles miseræ nationis turmas in vincula abductas, & infami venditas pretio, exauserunt. Sed quorsum hæc, quæ meminisse horret animus? Maximus Americæ Meridialis tractus frequentissimis habitabatur Guaraniorum pagis. Ubi nunc illi sunt? Quo gentis ceteroqui fæcundæ soboles pæne omnis recidit? Vastæ solitudines, deserti saltus, silvæ densæ, & horrida ferarum lustra priscas indigenarum sedes tenent. Neque tamen piratica Mammalucorum colonia captivis Indis crevit: fit quippe justo Dei Judicio, ut male parta male dilabantur.

CVII. Contra grassatores istos concessus fuit Guaranicis populis a Rege Catholico usus martiorum ignium, quibus prædatrix gens illa tandem aliquando repressa fuit, ne in neophitos, tamquam lupi in agnos, irruerent. Poscit hic locus, ut nonnihil dicamus de Guaraniorum militia. Inter eos, qui professione miles tantum esset, erat nemo, & tamen nemo non miles, si res exigeret; idque secundum instituta Platonis, qui ad necessarium bellum cives omnes exercitatos pugna vult, etiam fœminas, ut supra diximus. Quod autem Guaranii sæpe evocarentur in subsidium a Regio Prætore, ut ad hujus imperium parati essent, in quasdam divisi erant cohortes certis sub decurionibus, tribunisque.

CVIII.

CVIII. Milites hi nihil ab aliis Indis vel domicilio, vel veste differebant, neque militiæ nomine quicquam e re communi accipiebant, ibantque ab armis ad aratrum, ab aratro vicissim ad arma. Adsciti in auxilium Hispanorum (ut iterum atque iterum factum est pro oppugnanda celebri illa Lusitanorum colonia) e singulis oppidis tot distincti in turmas egrediebantur, quot opus erat ad numerum trium, quattuor, vel sex millium, quem Regius minister poposcerat: militabant autem suis stipendiis, id est, impensis sui quisque pagi; nec tamen sine remuneratione, ob hanc enim operam publice præstitam Philippus V. Rex, plurima Guaraniis, collaudato eorum in bonum regni studio, benigne ac liberaliter indulsit.

CIX. Fœminæ, tametsi nullam belli partem attingerent (neque enim tanti est præceptum illud Platonis de Martiis matronis, quas vel ipsa natura virium debilitate, & corporis habitudine, & ignavia timidi ingenii, ab usu tractandorum armorum sat eximit) nequaquam otiabantur. Cura domus in eas recumbebat: ipsæ lignatum ibant in silvam oppido vicinam, ipsæ aquatum in propinquos fontes, seu flumen, ipsæ viris aderant in privatis prædiis, si metendæ, si colligendæ erant fruges, si portandæ in ædem, ipsæ cibum parabant, ipsæ cantharos, & ollas, catinosque, & pateras in domesticos usus e subacta creta fingebant.

CX. Singulæ insuper matres familias in singulas hebdomadas certum gossipii pondus e publico nebant, netumque referebant ad oppidi Æconomos, qui e toto glomerum acervo texi curabant telas in vestem oppidanis dividendam: quidquid autem inde supererat, venumibat, ut e pretio emerentur necessaria artium instrumenta, & ferrum, & alia, de quibus postea dicemus. Hæc de fœminis. De puerorum vero exercitationibus, satis, arbitror, supra memoravimus.

CXI. Ceterum, quo diurna opera pie casteque (ut Christianos decet) viri fœminæque, & pueri, & puellæ exercerent, P. Ignatius Insaurralde, Guarani-

ranicæ linguæ peritiſſimus, duo ſcripſit volumina (edita typis Mariti ſunt) opera P. J. Eſcandon quæ inſcripſit ipſorum lingua *ARAPORUAGUIYEYHABA*, de recto uſu diei, ſive temporis, utrumque enim ſignificat Guaranica vox *Ara*; *poru eſt* utor, *aguiyey*, recte, bene; *haba* verbalis nota, ut vocant Grammatici : atque ecce tibi compoſitum nomen e quattuor vocabulis.

CXII. Jam vero his ille libris docet Indos ſigillatim, qua ratione ſancte & digne totum diem tranſigant ſive laborent domi, ſive agrum colant, ſive ſumant cibum, ſive in templum eant, ſive interſint Sacro Miſſæ, ſive Roſarii preces fundant, ſive quid aliud agant : ſed præſertim modum explicat, quo Sacramenta Eccleſiæ rite obeant, & pro re quaque officio virtutis, rei illi conveniente, fungantur. Quæ quidem Inſaurraldii inſtitutio pro neophytis ſimilis ei eſt, quam clemens Alexandrinus ritulo ΠΑΙΔΑΓΩΓΟΣ (*Pædagogus*) pro veterum Chriſtianorum diſciplina & cultu compoſuit. At hoc differunt, quod Guaranicus ſcriptor preſſe rem tractat, Græcus auctor variæ eruditionis, qua cives ſuos delectari norat, plurimum admiſcet.

PLATO
De conviviis publicis.

CXIII. Mirum eſt, Platonem cives ſuos veſci publice voluiſſe. Illum audi : ſervi in urbem ex agris tantum ferant annonæ, pomorumque, quantum ſatis ſit homini temperate viventi. Prandia fiant palam : his primus locus virorum eſto, alter propinquorum & affinium, tertius matrum, & puerorum puellarumque. Præficiuntor autem veſcentibus viri quidam primores, & matronæ, qui omnia quotidie obſervent. Poſtquam ad cibi finem ventum erit, magiſtri illi menſarum dimittant pranſos jam cives, atque hi, ubi diis, quibus præſens dies, ſeu nox dicata ſit, rite libarint, domum ſuam modeſte redeant.

CXIV. Quid? Prandiane hæc frequentia? Quidni? quotidiana erant, idque diserte explicat Plato ipse. Cur autem id præcipiat, hanc redit causam. Cum animantibus, inquit, omnibus innatum sit desiderium cibi potusque, quibus, si recte utimur, ad virtutem alimur, sin contra, trahimur in vitium victi ingluvie, ob id curandum est, ne appetitio ista, quæ homini communis est & belluis, frenum mordeat, sed dometur metu legis, & rationis ductu. Id autem fiet, si fuerint probi quidam censores publicarum commessationum, eorum enim oculos fugiet nemo.

CXV. Laudo hoc tuum, Plato, temperantiæ studium, illamque etiam probo legem, qua jubes, adolescentes usque ad annos duodeviginti abstinere prorsus vino: neque enim, ut recte mones, ferventi ætatis igni addendus est extrinsecus ignis alius, qui corpus & animum inflammet. Atque id quidem pro juvenum bono, ne lasciviant. De viris porro sic cavet: ubi quis gravem subire laborem cæperit, huic fas esto uti moderato vino, quod medicina quædam est tuendæ apta sanitati, reficiendisque membrorum fessis viribus: quæ ratio magis pro senibus valet.

CXVI. Hæc recte se habent, Plato; sed non item illud, quod progressus plus justo, indulgentia non ferenda, posuisti. Bibere ad ebrietatem, ais, numquam decet, præterquam in solemnitatibus ejus Dei (Bacchi) qui auctor inventorque vini fuit. Itane vero, obrui tum vino decet? Permissio hæc indigna est te Philosopho, qui sancte, casteque, & secundum naturæ modum, homini vivendum, esse toties, & tam graviter prædicas. Nam si temulentiæ inter sacra illa Lyei assueverint viri, senesque, quis ab illa, quæso, eos deinde retrahet? Quid si idem sibi arrogent in festis diebus Veneris, quandoquidem amica Baccho venus est? Nullum certe vitium postquam semel hominem occupavit, curatu difficilius est; citiusque tigris varia maculosam exuet pellem, quam ebriosus dirum vini hydropem (ut ita dicam) expel-

expellet victor abs ſe. Quocirca ſapientior te & prudentior hac in re fuit Rex ille Thraciæ Lycurgus, qui ne cives ebrii evaderent, cauſam e medio ſuſtulit, juſſis tota regione vitibus exſcindi. (Lib. II. VI. VII. de Legg. (*a*).

GUARANII.

CXVII. Guaranii patres matreſque familias cum liberis domi veſcebantur parce, & ſobrie, contenti agri frugibus, & bubula, quæ ſingulis publice dividebatur. *Cibi ſimplices*, ait de priſcis Germanis Tacitus, *agreſtria poma*, *recens fera*, *aut lac concretum*. *Sine apparatu*, *ſine blandimentis expellunt famem*. Atque is quidem alendi corporis modus naturam paucis contentam decet. Neque tamen Guaranii, ſi vel ferinam e venatione, vel piſces ex amnibus, vel, quos domi alebant, pullos gallinamve menſæ aliquando adderent, ob id deliciis indulſiſſe dicendi ſunt: temperantiæ quippe virtus hiſpida non eſt, neu adeo ſevera, ut vetet corpus nonnumquam juſta e cauſa benignius curari.

CXVIII. Convivia illic publica non fiebant niſi in quibuſdam ſollemnioribus per annum diebus. Tum in foro menſæ locabantur inſtructæ iis, quæ patreſfamilias e domo quiſque ſua in symbolam conferebant. E publico autem, quo lautius epulum eſſet, obſonia quædam liberaliter in ſingulas tribus præbeban-

---

(a) *Lacedæmones*, & *Cretenſes e legibus Lycurgi habebant convivia publica*, *ſed ſoli viri*.) *Ariſtoteles Politic. lib. II.*) *Quippe volebat ſeverus ille Legislator prandere patresfamilias palam*, *ne cujuſquam*, *vel opes*, *vel intemperantia in occulto eſſent*. *Equidem ad ſanctiorem cauſam refero*, *quod in benemoratis cænobiis omnes ſimul*, & *eiſdem obſoniis veſcuntur in communi triclinio*: *ut nimirum temperatiores ſint*, *liberique a parando ſibi cibo*; *diutius vacent rebus ſpiritualibus*.

bantur. Paratis jam ordine cibis varii generis bene-precabatur Curio, cui præeunti ſacra verba reſpondebat chorus Muſicorum, qui deinde inter prandium inſtrumenta ſua pergebant feſtive pulſare.

CXIX. Poſt captos hilare & modeſte cibos, convivæ illi bene Deo dicebant pro data ipſis dapum copia. Omnia ibi intra modum, cui procurando aderat ſingulis menſis unus ex Indis primoribus. Agapas diceres veterum Chriſtianorum: & quidem ſanctiora erant hæc prandia iis, in quibus nec inter initia, nec ſub medium, nec ad finem, largitoris omnium Dei mentio fit ulla, nullæque eidem redduntur grates, quas vel Plato referendas diis poſt menſam poſuit. Proh inverſi majorum noſtrorum pii mores!

CXX. Prandebant publice ſoli viri, neque ideo fœminæ expertes erant ſollemnis lætitiæ: cum enim cuncta abundarent, ad eas domum bona pars ferculorum perveniebat. Inter Guaranios autem nec vinum nec vites erant, has regio non patitur; illud ſi ex urbibus Hiſpanis importaretur, magno conſtaret pretio, nec vero ibi vendebatur. Nihil magis Guaraniorum cultores curarunt, quam ut longe abeſſet ab oppidis, quidquid ebrietatem ciet, norant enim hoc eſſe princeps Indorum vitium, quod optime deſcribit Luſitanus vates eximius Joſephus Rodriguez de Mello (*a*).

CXXI. Operariorum ſacrorum diligentiæ, & ſtudio reſpondit optatus fructus. Nulli apud neophytos illos ebrii: neque ego, dum ibi fui, ullo in oppido ullum vidi victum crapula. Sua illis potio ex herba Paraguayca, quam vehementer amant, ſatis erat: atque hunc quidem liquorem vel ſi millies ad horæ, vel

(a) De Mandiocæ cultura *&c. Edit. Romæ an.* 1781. *Huic carmini alterum addidit* de cultura boum in Braſilia, *&* *tertium* de cultura herbæ Nicotianæ. *Omnia lectu digniſſima.*

vel ſemihoræ ſpatium biberis, impune biberis. Rem, quam vidi expertuſque ſum refero: qui autem ſcripſit, potu illo, ſi large bibatur, ebrietatem pari, nec biberat ipſe, nec bibentes viderat. Americanæ vero maſſæ e fuſcis baccis, & ſaccaro temperatæ, nullus ibi uſus, quod pace dixerim Pavvii Philoſophi, qui delicias has liberaliter tribuit cultoribus Guaranicis, ut hac etiam eos parte caſtiget.

CXXII. Clemens Alexandrinus, qui plurimum Platoni defert, qualia eſſe debeant bonorum convivia erudite & ſapienter explicat in Pædagogo, vetatque illis intereſſe fœminas, maxime innuptas. Tum temperantiæ Chriſtianæ leges tradit, nequid a prandentibus inverecunde vel clamoſe fiat: præclare autem monet, tam eſſe fugiendam vinolentiam, quam cicutæ hauſtum, quoniam utriuſque uſus ad certam mortem raptat. At ſanctus hic ſcriptor in epulis publicis Guaraniorum, nihil, opinor, reprehendiſſet.

P L A T O
De Artibus.

CXXIII. Artifices, ait, ſinguli ſingularum dumtaxat artium opus factitanto. Unuſquiſque autem id opificii aggreditor, ad quod ejus ingenium apprime aptum eſt. Binas artes, vel duo ſimul rei gerendæ gravia negotia, recte tractare mens humana non valet. Hoc igitur ſtet, ut nemo ærarius ſit, & lignarius faber, ſculptorve & pictor; ſed ſuam quiſque artem obeat, ab eaque ſibi victum paret. Quod ſi aliunde, inquit, ad nos peregrinus aliquis advenerit, qui duabus artibus vacare pariter velit, is minis, & vi cogatur uni tantum inſiſtere, ac ſi id recuſet, in urbem aliam male mulctatus amandetur. De operum æſtimatione, & mercede opificum, deque injuria quam artifices forſan patiuntur, aut ipſi contra aliis inferunt; ædiles (ſi quidem intra drachmas quinquaginta damnum verterit) cognoſcant: ſin vero

fraus

fraus & noxa major ſit, res ad publicum conſilium delata ſecundum leges judicetur.

CXXIV. Qui animorum diſciplinæ præſunt, ii gymnaſiorum cultum & ornatum curent, edicantque, qui ordo a magiſtris tenendus ſit, dentque iidem operam, ut pueri puellæque ſeorſum ad ſcholas honeſte ventitent, modeſteque ibi agant cuſtodes autem legum eo incumbant, ut optimus ſuæ quiſque artis opifex ſit, & caveant, ne divitiæ, aut paupertas artifices corrumpant: quia ſi (exempli cauſa) figulus admodum dives ſit, is pigrior, negligentiorque ad artem ſuam fiet, parum jam ſollicitus ob partas opes de fingendo luto. E contrario, ſiquis figulinam exercens ob inopiam careat neceſſario inſtrumento, & rebus ceteris, quibus ad laborem indiget, opera deteriora faciet, ac filios, alioſque, quos artem docendos excipiet, male prorſus inſtituet. Ex opulentia igitur, vel egeſtate accidit, ut mali in urbe ſint artifices, & vilia artificia. (Lib. III. & IV. de Rep. VI. & VIII. de Legg.)

CXXV. Artem Dramaticam eliminat e Republica, cui ſcænica licentia plurimum nocet, cum videant cives, & audiant, quæ nec videre, nec audire oportet. Atque hac fortaſſe cauſa D. Thomas diſerte docuit: *ſi operibus alicujus artis plures aliqui male uterentur, quamvis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis a civitate exterminandæ ſecundum documenta Platonis* (*a*). Et vero qui dicunt theatra ſcholam eſſe virtutis, næ illi virtutem nimis ſibi blandam, & mollem fingunt, nec reputant, quam multi e bona illa ſchola, viſu audituque corrupti, tandem ingemuerint:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error (*b*).

Senaca autem graviter, *nihil eſt*, ait, *tam damnoſum*

(a) 2. 2. *queſt.* 169. *art.* 4. de Modeſtia.
(b) *Virgil. Ecl. VIII.*

nosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere (*a*).

GUARANII.

CXXVI. E Guaraniis, qui omnium aptissimi visi erant, ad artes rei publicæ necessarias deligebantur. Exemplo sit Musica, quæ triginta circiter cantoribus, & fidicinibus constabat in singulis oppidis. Cum pueri quotidie Catechismum alte recitarent, & preces aliquot mane canerent & vesperi; facile observatu erat, qui liquidiore, & gratiore voce essent: iique edocti prius a ludimagistro legere, & scribere, Musicorum choro aggregebantur, id quod eorum parentes magno sibi honori ducebant, quod *Tuparogmbaeupe*, id est domus Dei obsequio liberi sui addicerentur.

CXXVII. Erant illic utiles artes fere omnes. Erant fabri lignarii, & ferrarii, & ærarii ad conflanda æra campana; erant cæmentarii, pictoresque & sculptores, quique altaria, & templi columnas, & Divorum statuas partim vario colore, partim auro argentove obducebant; erant, qui ligna torno figurabant; erant curatores ægrorum, & medici. Hi, reliquique artifices artem quisque suam tractabant, neque se se immiscebant alienis opificiis. Serviebant autem rei communi, atque e publico præmium illis rependebatur. Magistris autem (ut futuro provideretur) adjungebantur idonei tirones, qui paulatim artem discerent, illisque deinceps succederent.

CXXVIII. Nolim vero, quod Indi essent artifices, rudes quosdam artium homines, abnormesque putes: tam enim dextre opificiis illi suis utebantur, quam egregii quique Europæorum sellularii. Mirareris profecto, si adesses coram, eximii artificii Organa pneumatica, & fabrefacta omnis generis instru-

(a) *Epist. VII.*

menta musica, tornatosque pulchre scyphos, textilesque labores, atque alia doctæ manus opera. Habuerunt nimirum e laicis Jesuitis magistros optimos, ut pro arte sculptoria Josephum Brasanelium, & pro architectonice Joannem Baptistam Primoli, & pro fabrili Carolum Franckium, qui omnes mortui sunt apud Guaranios. Gens autem Indica cum retinentissima sit rei sibi traditæ, doctrinam, quam ab iis, ceterisque acceperunt, sedulo tuebantur, atque alii aliis per manus tradebant.

PLATO
De artium progressu.

CXXIX. Ignorarunt quondam Novi Orbis incolæ culturam artium, quas ne colere quidem poterant, si Platoni vera dicenti credimus. Patere me, quæso, hic paulo longius digredi, agimus enim de argumento maximi momenti pro scriptore rei Americanæ. Profundi ille ingenii Philosophus, eventorumque latentium acer indagator, tempus ait fuisse, cum vel terræ insolens motus quidam, vel maxima imbrium vis, vel immane incendium, totum pæne hominum genus extinxerit. Pastores autem (nam ii soli ferme superfuere excelso montium culmine servati) post stragem ceterorum non modo caruerunt corporis ornatu, luxuque, sed etiam artes propemodum omnes amiserunt.

CXXX. Audi hujus rei rationem dignam Philosopho. Æs, inquit, & ferrum, & reliqua metalla, ingenti illa alluvione, vel voraci incendio, vel horrendo terræ motu, depressa, & confusa ita alte delituerunt, ut reperiri, atque in lucem proferri diutissime nequiverint. Sine ferramentis autem nec fabri erant, nec esse poterant. Siquod vero artis instrumentum supra montes forsan restitit (ut securis, ut serra, ut culter) usu ipso deteri, & brevi inter pastorum opera absumi necesse fuit.

CXXXI. Arma porro alia ad fabricandum nusquam erant, defueruntque penitus quoad iterum æs, & ferrum (vel pluvia, vel fluminum lapsu superinjectam humum eradente) paulatim emersere, artique ferrariæ materiam suppeditarunt, idque factum non est, nisi post plurimas hominum ætates: mille certe anni, vel etiam bis mille præterierunt ante tempus illud; quo quædam artificia in usus humanos invexisse dicuntur Dædalus, & Orphæus, & Palamedes. Quin etiam multa pro communi utilitate heri (ut ita dicam) & nudius tertius primo nobis palam apparuerunt.

CXXXII. Igitur artes omnes (pergit Plato dicere) quæ ferro & ære utuntur, jacuere tenebris sepultæ, abolitæque penitus, donec sensim tellus sinum rursus aperuit, & obruta metalla mortalibus patefecit. Illud tamen interea fuit boni, quod nec bella, nec seditiones, tumultusve sollicitarent eas humanæ gentis reliquias: cum enim pauci essent numero, inter se sancte amabant, neque ulla alioquin erat discordiarum causa vel ob pabulum, vel ob tectum, vel ob alia vitæ frugalis commoda; quandoquidem agrorum segetes, silvarumque baccæ & poma, omnibus abunde suppetebant, præter lacuum fluminumque pisces, & largam lactis copiam, & feras multiplicis fœturæ, & faciles captu.

CXXXIII. Rudes autem vestes, & stragula, & casas, & larem, & ollas, & cetera domi vasa, exiguo sibi illi labore comparabant. Namque opus fingendæ cretæ, & nendi, texendique ars ferro non egent (*a*): quo fit, ut siquando homines in summam generis paucitatem ob commune aliquod malum redacti fuerint, resurgere, & propagari iterum queant

 eo,

(a) *Testes hujus rei Americanæ matres, quæ sine ferri usu non nent solum belle, & scite, sed pulchre etiam telas texunt; facto e cannis textorio prælo miræ simplicitatis.*

eo, quod Dei, ait, providentia res usu magis necessariæ præsto sint superstiti prosapiæ.

CXXXIV. Ceterum gens illa, quæ publicam mundi calamitatem evasit, ut valde inops non fuit, sic nec fieri valde dives potuit, cum neque aurum, neque argentum, neque gemmas haberent. In hominum autem cœtu, qui nec opes possidet, nec premitur inopia, justissimi sint mores necesse est. Nullus quippe ibi e malesani spe lucri contumeliæ locus, nullus injuriæ, æmulationive aut invidiæ. Quocirca residui illi mortalium boni probique erant, idque maxime ob agendi simplicitatem, qua fiebat, ut neque rixæ essent inter eos, neque lites, quibus plerumque urbem sus deque vertit, & turbat civis aliquis injustus avarusque, qui aliorum paci, & bonis insidiatur: parvus vero ille priscæ gentis grex sedatior erat, & æquior, quietisque amantior, idemque modestior, & justior.

CXXXV. Ad hæc, familiis illis, agri silvæque cultricibus, nec libri erant, nec litteræ, contentionum non raro fomes. Vivebant (sine scripti juris tabulis) tradito sibi a senioribus more: nec tamen ob id parvo eidem populo deerat probabilis quidam & æquus rectæ disciplinæ modus. Etenim quicumque seorsum degunt, privatimque sibi consulunt propter egestatem ortam ab strage regionis, iis semper aliquis ætate provectior præest, moderaturque domi sine cujusquam offensione, querelisque; propterea quod fons & principium generis idem omnibus est, utpote ab eodem patre & avo genitis, eademque avia & matre. Liberis autem (instar avium cognatarum, quæ una volitant, & una cibum legunt) ducem illum domesticum ultro sequuntur, ejusque voluntate usi pro lege, reverentur sancte casteque paternum imperium, quod omnium imperiorum justissimum est. (Lib. III. de Legg.)

GUARANII.

CXXXVI. Guaraniis olim non æs fuit, non fer-

ferrum ; non plumbi quicquam, non ſtanni. Sacri cultores cum ſine metallis his nihil fere fieri poſſet domi, rurive, illuc ſecum ea metalla cum artium inſtrumentis importaverunt, curaruntque deinceps, ut adveheretur quotannis ex urbe Bonaurenſi infecti ferri magnum pondus, idque impendiis magnis: nam noſtra memoria centum libræ (*quintal* vocant Hiſpani) valebant ſedecim circiter aureos, ex quo fieri conjectura poteſt, quanta ibi eſſet æſtimatio mercium allatarum ab Europa. Nunc fortaſſe minoris æs ferrumque veneunt beneficio Caroli III. Regis, qui commercium in flumen Argenteum, atque adeo Bonaſauras liberaliter aperuit, tanta frequentia, ut prius vix centeſima pars navium illuc iret præ numero euntium in præſentia.

CXXXVII. De opificiis autem, quæ ferri & æris ope fiebant apud Guaranios dixi ſupra, ſed conſulto illic reticui de textoribus, qui ſingulari mentione digni ſunt. Horum habebant plurimos ſingula oppida pro texendis telis, quæ in veſtem publice dividebantur. Erant etiam ſeni quaternive, qui pro privatis Indis texebant. Quippe nuptæ fœminæ e goſſipio, quod patresfamilias ſuo in prædio colebant, globos nebant domi, atque ubi bonam illorum vim agglomerarant, afferebant ad oppidi Æconomum, qui allatorum pondus, & nomen afferentis in commentarium referebat.

CXXXVIII. Tum uni e quaternis illis ſeniſve textoribus, quorum modo meminimus, ea tradebat, ut telam texeret: tela dein (pondere ad trutinam rurſus revocato, nequid cui de ſuo perirer) Indæ, quæ attulerat glomera, reddebatur ab Æconomo gratis, nam textori præmium laboris e re communi pendebatur. Nempe matres familias præter amictum illum, quo donabantur publice earum liberi, his, & maritis, & ſibi veſtes alias conficiebant e proventu agri a viris culti proprios iu uſus.

PLATO

De populorum origine.

CXXXIX. Ut respiravit tandem a malis vel motæ, vel exustæ, vel demersæ terræ, superstes hominum stirps, convenere in locum unum alii atque alii, majorque sensim cœtus factus est. Hinc ex studiorum operumque similitudine, & desiderio mutuæ opis, communisque auxilii, conjunctis invicem animis, coaluit nova societas (*a*). Huic ante omnia pro cunctorum securitate & bono, ea fuit cura, ut ad montium radices, vicinosque fontes, sepem inducerent, tamquam parvæ urbis muros, contra ferarum repentinos incursus. Verum prima illa advenarum collectio cum e multis alibi, alibique natis educatisque, constiterit, id oriri necesse fuit, ut singulæ tribus colere pergerent, & revereri senem eum patrem, & ducem, quem antea secutæ fuerant. Habebant præterea suos quisque mores, ritusque, quibus olim assueverant. Ut vero nos nostra, magis quam aliena, delectant, priorem illam vivendi formam, cui seorsim familiæ singulæ institerant, unaquæque tribus volebat ceteris anteferri.

CXL. Ejusmodi intestina contentio nascenti illi oppi-

(b) *Homines in societatem vitæ, civitatisque convenire secundum instinctum naturæ humanæ est: singuli enim hominum, aut etiam familiæ seorsum agentes plurimis & ad utilitatem corporis, & ad animi institutionem disciplinamque necessario carerent. Ut autem debitus Dei amor, & cultus ex ipsa hominis intelligentis vi, & intima proprietate descendit, coeuntibus multis in vitæ societatem, officia religionis multo melius, mutuis civium exemplis, & præfectorum jussis, constant, curanturque: atque ob id ipsum voluntas Dei est populos communiter vivere, addito (ut in præsenti rerum ordine filiis Adæ cœleste regnum Deus destinat, &* vult omnes homines salvos fieri) *fine supernaturali.*

oppidulo obesse plurimum poterat, exorta discordia, ruptoque fædere, recens inito. Malo huic ita obviam itum est. Habito inter se consilio, designarunt quosdam arbitros, qui singularum tribuum consuetudines examinarent, & aptiores publico bono seligerent. Exin unum ex iis, qui mente, & animi altitudine, & prudentia, reliquis anteibant, sibi communiter præfecerunt, ut expensos jam mores, & probatos judicum illorum consensu, deduci in usus, & pro lege haberi juberet, ac plebem, & plebis item priscos duces, justo imperio regeret, adjectis, si opus esset, novis repagulis boni publici. Ecce tibi incunabula, atque exordia latarum legum, & principia inducti regni, jurisque communis fontem, & originem; idque vel Deo ipso auctore, qui humanæ providens naturæ alios hominum gubernari vult ab aliis, quorum persona & auctoritas divino humanoque jure sacra & inviolabilis est (*a*).

CXLI. Plato igitur, de populorum origine & societate sapienter disserens, mihi quidem videtur pæne oculis ipsis hausisse, quæ acciderunt post diluvium genti pristinæ e veteri orbe in Americam migranti. Sane Novum ille Orbem melius propiusque describit hoc loco, quam ibi, ubi acceptam a Sacerdotibus

 Ægy-

(a) *Cornelius Tacitus eam de priscis Germanis formam societatis refert, quæ proxima naturali regimini est:* Reges, *inquit*, ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec Regibus infinita, aut libera potestas; & Duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. *Nec dicere omisit Tacitus de eorumdem Germanorum religione; hujus enim populis omnibus vel etiam maxime barbaris semper cura fuit (major minorve pro gentis feritate.)* Cæterum, *ait*, neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem nisi sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam nec ducis jussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.

Ægyptiis narrationem de magna ATLANTIDE ultra fretum Herculeum reddit explicatis ſigillatim rebus & moribus hominum tranſmarinorum.

CXLII. Lege Timæum illius & Critiam. Hi libri tales ſunt, ut (ſive priſca hiſtoria, ſive prudenti conjectura uſus ſit ibi Plato) in eis eruditi viri expreſſa quædam Americæ veſtigia deprehenderint; adeo narratæ res rebus inventis reſpondent. Verum, ut ut pulchra hæc ſint, nihil ad pulcherrimum judicium iſtud, quod modo retulimus de perditis caſu artibus, eiſdemque paulatim inſtauratis, & de coeuntibus ſenſim in vitæ ſocietatem poſt generale terrarum excidium diſperſis hominum tribubus. (De Legg. lib. III.).

CXLIII. Equidem, qui fuerint mores, & qui vitæ modus, primis illis Novi Orbis incolis e Platonis iſta ſive divinatione, ſive deſcriptione, videre mihi apertiſſime videor. Video turmas hominum vagas, erranteſque, quales etiam num multæ ibi ſunt: video latentes ſub patrum moderamine teneros liberorum greges: video terræ opibus, ſilvarumque baccis vitam eos tolerare, & venari, & piſcari: video rudes artium vilibus in tuguriis degere, & cœli intemperiem, ac imbres, ventoſque, tectis e cæſpite ſtructis, & tomento arcere.

CXLIV. Video illos uti pro veſte conſutis tigrium pellibus, & pro lecto ſtratis arborum frondibus, proque domeſtica ſupellectili, vaſis fictilibus: video numerum indigenarum ſubinde creſcere, auctis ſenſim familiis, deligique unum e primoribus communi conſilio, qui toti tribui præſit Caciquii titulo: video pollentem viribus jam populum ſibi privatim conſulere, & ſeorſum agere, ut nunc ſunt in Paraguaya Pampæ, & Guaycurui, & Tobæ, & Mocovii, & Abipones, & Mbayææ, aliique plures in ſuas quiſque dinſtincti turmas, diviſique in contubernia ſe ſe tuendi cauſa. Hæc video, & intelligo placita Platonis optime convenire Americanis gentibus.

CXLV. Neque id tantum, (quod multo eſt gravius) video, & miror Philoſophorum maximi ſenſa quammaxime conſentanea eſſe iis, quæ divini nos docent libri de Sem, Cham, & Japhet, Noemi liberis, qui poſt diluvium ſub paterno imperio egerunt diu cum ſucreſcente prole, donec hac jam nimis aucta, ex eiſdem propagati generis ſtirpibus *diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis*. Ad extremum video ab iis ipſis tribubus Noemicis proceſſu temporis inſtauratas artes, quæ maximum ab obruta imbribus terra detrimentum paſſæ fuerant; & demum ædificatas (cum jam ad fabricandum inſtrumenta ſuppeterent) urbes, alias ab aliis, ut Babylonem, & Niniven, & Chalem, & Reſem (*a*).

CXLVI. Redeo ad indos: caruerunt hi, & plures eorum adhuc carent, ære, & ferro, & plumbo, quorum penuriam ſtudent utcumque ſupplere. Nam loco ſecuris, & ſerræ, & dolabræ, utuntur igne ad ſternendas arbores, quarum rectos ramos circum exurendo deducunt ſenſim in gracilitatem haſtæ vel jaculi; ſcabros autem ſinus, a foco relictos, acuta perpoliunt ſilice. Iidem quod deſint ipſis hami, ſubſilientes piſces ſagittæ jactu transfigunt, transfixoſque nando capiunt. Ad ſuendas autem belluarum pelles legunt duras dumorum ſpinas pro acu, proque textorio prælo craſſas implicant inter ſe cannas, quibus ſibi telas texunt in veſtes, & retia conficiunt e cujuſdam cardui fibris ad ſervandas domi agri fruges, & ſilvæ baccas.

CXLVII. Acuit videlicet Indorum induſtriam ferri inopia, quæ cauſa eſt, cur illic artium cultura tamdiu jacuerit. Quippe vis ingenii per ſe ſine idoneis

(a) *Lege caput X. Geneſeos.*

neis ad agendum armis parum valet. Vel in ipsa Europa ante reperta quædam præstantiora instrumenta minor artificum & elegantia, & nitor fuit: ac Nautica ars, & Astronomica, priusquam index magneticus, & telescopia in usus deducerentur, exiguos fecere progressus; dein vero illorum ope patuerunt nobis novum mare, novi cœli, nova terra.

CXLVIII. Mexicanæ quidem Peruvicæque gentes, quod venas æris, & argenti, & auri, jampridem reperissent, atque inde ad fabricandum instrumenta sibi comparassent, ante Europæorum illuc adventum exercebant plures artes, quarum exquisitus labor admirationi fuit non Hispanis tantum conquisitoribus, sed illis etiam litteratis viris e Gallia Bouguersio, & Lacondemine, ceterisque, quamvis hi reliquias dumtaxat viderint operum priscorum.

CXLIX. Quod si PAUVIUS Philosophus in suis illis disquisitionibus de America, exemplo, & norma Platonis philosophatus fuisset, haud ita longe abreptus esset, neque tot a vero aborrentia scripsisset de Novo orbe, ejusque incolis, & brutis animantibus, ut cum posuit de cane ibi non latrare, adeo inertem tellus pigra, & deses (ut vult ipse) illum reddidit: & tamen ego Americanorum canum latratu pæne obsurdui olim.

CL. Addo denique non satis esse copiam ferri ad cultum gentis, & artium, si fabri desint. Hebræis quondam, Saule Rege, non ferrum deerat, non æs, & tamen, cum a victoribus Philistæis eo angustiarum redacti fuissent, ut *faber ferrarius non inveniretur in omni terra Israel*, carebant apto instrumento agri, *retusæ* enim *erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium*. Et quod ad belli usum attinet, ita erant imparati, ut de eisdem dicatur: *non est inventus ensis, & lancea in manu totius populi* (a).

Con-

(a) *I. Regg. c. XIII vv. 16. 21. 22.*

Confer tu calamitosum hoc tempus cum fausto illo tempore Regis Salomonis, quo regnante, quidquid eximii, & magnifici efficere artes possunt, id totum in templi fabricam collatum est. Adeo & sapiens Rex, & parata ferri & æris copia, & fabri industrii bono prosunt publico.

GUARANII.

CLI. Poscit hic locus, ut de instituta apud Guaranios populos civili, & Christiana societate agamus. Gens illa longe lateque per Americam Meridialem diffusa linguæ communione vetus inter capita familiarum commercium retinere facile potuisset. Sed cum infinita propemodum multitudo succrevisset, vel necessarii, vel largioris victus causa insederunt seorsum silvas camposque, ut singulis libitum fuit tribubus. Ob id ipsum vicinitatem amnium, qui plurimi illac sunt, & piscosissimi, ac felicibus umbrosi arboribus, incolere cœperunt. Pars autem ingens secuta littus est Brasilici Oceani, qua is ad Austum, & ad solem orientem spectat.

CLII. Rex apud illos nullus: & sunt, qui in hanc rem trahant tria eis ex Alphabeto elementa F. L. R. defuisse, haud omnino, ajunt, absurde, quod *Fide*, & *Lege*, & *Rege* carerent. Verum nihil hic est præter ludum, & quidem falsum, ne dicam puerilem. Quippe R. linguæ illi frequentissima est. Paraguay, Parana, Uruguay, tria sunt nobilissima flumina, & nomina Guaranica, habentia R. quam illi litteram ita passim in loquendo adhibent, ut equidem dubitem, numcui Europæarum linguæ major ejus sit usus (*a*).

CLIII.

(a) *Error de negato* R. *Brasilicis Indis, nasci potuit, quod Guaranica gens numquam* R. *duplicet, velut*

CLIII. *L.* & F. vere illi carent, ac siquando peregrinum aliquod nomen his affectum litteris occurrerit, *L* per *R*, *F* autem per *P* efferunt, quocirca *Alferez Real* (id est Vexillifer Regius) Hispanum nomen, pronunciant ipsi *Arperez Real*. Tamen pueri in ludo edocti, geminum elementum *L* & *F* in legendis Hispanis, & Latinis libris expeditissime reddunt. Qui vero sit factum, ut in linguam ceteroqui numerosissimam utriusque istius elementi admissus usus non fuerit, haud facile dictu est. De re constat, de causa rei non constat.

CLIV. De Guaraniis Brasilicis Joannes Petrus Maffejus ex monumentis, ipsi ad scribendum datis refert hæc: " Fide, Lege, Rege carent..... Nudi
" æque viri ac foeminæ prorsus incedunt.... grega-
" tim peregrinantur ordine simplici, silentio miro:
" virum uxor anteit... numerandi rationem, ac
" litteras ignorant omnes, tantum tenui quadam tra-
" ditione nonnulla de Noe, deque diluvio a patri-
" bus accepisse dicuntur: ut probabile sit, post dissi-
" patos quondam divino jussu mortales, nullum huic
" genti cum nostri orbis hominibus fuisse commer-
" cium... Sub eodem tecto, ad inversæ modum
" carinæ prælongo, multæ simul familiæ degunt,
" noctu ad noxia vitanda animalia cubantes in re-
" tibus a terra suspensis: vivuntque in diem; &
" quidquid habent in commune facillime conferunt,
" nihil in posterum soliciti... Sparsis domiciliis ha-
" bitant, nullo magistratu legibusve constricti (*a*). "

CLV.

---

antiquissimi Romanorum nusquam litteram aliquam geminabant, & *ajebant* opidum *pro* oppidum. *Nec vero defuisse Guaraniis* L. & F. *mirum est*. *Nam vel cultiores linguæ aliquot carent elementis. Hebræa omnium prima habet dumtaxat litteras XXII.*, *Latina XXIII*, *Græca cæteris copiosior XXIV. aucto Alphabeto, quod ab Hebræis acceperunt.*

(a) *Maffej. lib. II. Histor. Indic.*

CLV. Hæc ille, quæ mihi e viſis Guaraniis Paraguaycis partim quidem probantur, partim non item. Et quoniam ſingula perſequi non eſt animus, unum ajo, Guaranios tam viros quam fœminas, uti olim veſte conſueviſſe. Nam ſi veſte prorſus caruerunt, quorſum apud eos priſca veſtium nomina? Veſtes generatim dicunt *Aò*; veſtem autem viri *Aobacì*: *Aocaracarà*: veſtem vero fœminæ *Tupoì*, *Carazà*, *Tupaì*: ſe ſe porro veſte induere explicant verbo, *Ayeaomonde*. Si veſtis igitur illis non fuit, cur hæc, dic, fuerunt nomina? Quære Guaranicum nomen calcei, aut tibialis; nuſquam reperies: quippe ut re caruerunt, carent etiam rei nomine: & calceos mutuata aliunde voce *zapatù* (zapato Hiſpanis) vocant. Quid multa? Chiriguani ſtirpis Guaranicæ ſunt, & virum penitus nudum (quamvis ethnici adhuc ſint) nudam apud eos fœminam non videris. Numerandi vero rationem, quam habuerint (ne dicantur eam ignoraſſe) ſupra docuimus.

CLVI. Negato Rege, non dat Maffejus ſaltem dynaſtas illis & duces, quos caciquios dicimus. Atqui Guaraniis & olim fuerunt, & etiamnum ſunt capita ſua, & tribuum principes, idque vel ipſo naturæ inſtinctu, vel exemplo accepto a Noemi liberis, quibuſcum eorum majores ante diſperſum genus humanum verſati, ſunt, & quorum deinceps (ut Maffejus ait) nonnullam memoriam retinuerunt. Itaque Guaranii populi indum aliquem e primoribus ſibi præficiebant, eumque in bellum ſequebantur, domique colebant aliquot obſequiis. Procedente poſt tempore Caciquiorum munus & jus hæſit hæreditaria ſucceſſione quibuſdam familiis atque id adhuc durat. Erant autem in XXX. oppidis Caciquii quingenti, quorum omnium avitam nobilitatem Philippus V. Rex, qui ſingulari amore Guaranicum nomen proſequebatur, dicitur condecorare voluiſſe inſignibus, & ſtemmate Equeſtris Ordinis S. Jacobi: ſed facta res hæc non fuit, quod dictum ſit Regi, Caciquios illos aſſuetos

ſim-

ſimplici & naturali vitæ generi haud curaturos pro merito ejuſmodi laudem, & decus. Ceterum priſcis Guaraniis perfecta ſocietatis urbanæ, & civilis formæ, conſuetudo non fuit. Hæc qua ratione illuc inducta ſit paucis expediam.

CLVII. Regii Prætoris auſpiciis, & Sacrorum Antiſtite bene precante, egreſſi ſunt ex urbe Aſſumptionis Paraguayæ, inermes, ſolaque innixi Cruce, quam pro baculo geſtabant, Jeſuitæ quidam. Hi longiſſimo, & deterrimo itinere penetrarunt in loca, ubi erat maxima Guaraniorum vis. Nacti linguæ uſum, id primo egerunt, ut ſibi Caciquiorum, plebiſque animos conciliarent. In hanc rem ipſis quam poterant cumque opem conferebant ultro: ſalutabant blande & comiter obvios quoſque, tuguria circumibant, mœrentes conſolabantur, ægros inviſebant, & morbi remedia monſtrabant. Iidem valentibus aderant conſilio, & ſiquid laboris erat ruri domive, manum admovebant, facti omnia omnibus, nec refugiebant ipſa mortis pericula, adeo, ut e nimia corporis defatigatione, & gravi rerum inopia occubuerint inſignes virtute viri Joannes Vaſſeus Belga, & Martinus Xavier Urtaſun, qui D. Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo propinquitate conjunctus erat.

CLVIII. Benignis humanitatis officiis addebant illi data tempore quædam munuſcula, quæ, ut ipſas feras mulcent, flexere barbaras Guaraniorum mentes. Crevit paulatim gentis amor in novos hoſpites, a quibus boni plurimum, mali nihil accipiebat. Ipſa illa alta confidentia, & animi ſecuritas, qua inter armatos ſoli inermeſque ſine ullo metus, aut lævæ ſuſpicionis indicio verſabantur, atque apertis in locis vel humi cubabant, vel ſtrati ad arborum truncos ſomnum capiebant, excitabat omnium admirationem, & cum admiratione quamdam in advenas Sacerdotes reverentiam.

CLIX. Ubi jam adveniſſe viſum tempus opportunum, injectus ſermo eſt de eximiis commo-

dis,

ctis, quæ consecutura eos essent, si e temere sparsis casis plures pluresque Caciquii cum clientium grege in sedem unam migrarent, & oppidum conderent, se seque collatis invicem operis consiliisque foverent: esse multa, quæ de artibus vitæ utilibus, & de colendo fructuosius agro, & de struendis melius tuguriis suis discerent: esse item quædam altioris cujusdam ordinis, quæ ubi compositis rebus quiete ac tranquille cæpissent agere, docerentur, de præmiis nimirum, vel pænis, hominem bonum malumve post mortem corporis, animo superstite manentibus, & de cultu item, qui debetur Deo optimo, maximo, cujus nomen norant, infinitam vero majestatem, & sapientiam, & justitiam ejus non norant: quod si paci studere cuperent, & hostibus suis superiores esse, id conjunctis in commune viribus factu facilius fore, utique si in potentissimi Regis Catholici fidem, & clientelam concederent.

CLX. Quid multis opus est? Ut Dei immensa est bonitas, divinus imber sparsus in terram bonam a sacris operariis e cœlo incrementum dedit, & persuasum est caciquiis, & horum clientibus, ut in locum consensu delectum undique convenirent, & domos ædificarent, & templum ponerent, & mysteria Religionis sanctæ susciperent. Primo oppido factum nomen Laureto. Hujus rectus ordo, & visa oppidanorum felicitas, alios aliosque in idem vitæ genus pertraxere; ac ponenda deinceps complura fuerunt oppida, crescente plurimum neophytorum numero. Ecce tibi initia Reipublicæ Guaranicæ ab Hispanis Jesuitis institutæ.

CLXI. Maffeus haud aliter factum esse narrat Brasilicæ genti ab Emmanuele Nobrega Lusitano, ejusque sociis, quorum unus fuit V. P. Josephus Anchæta tot editis illic clarus miraculis. “ Ad Bra-
„ silicam, inquit, linguam (*Guaranica est excepto*
„ *in vocabulis quibusdam pronunciandi modo*) addi-
„ scendam cuncti pariter animum adjiciunt: acrique

„ stu-

„ ſtudio, ac pia æmulatione perfectum haud magno
„ temporis intervallo, uti eſſent ad confeſſiones au-
„ diendas, & habendas conciones idonei ..... Sub
„ ejuſmodi rerum initia ſubito factum, uti neophyti
„ pæne omnes in morbum alvi, oculorumque, ac
„ varios abceſſus inciderent. hæc magi videlicet ad
„ baptiſma invidioſe referre; Lavatione illa tentari
„ valetudinem; doctrina ac prædicatione peſtem ac
„ perniciem populis importari calumniabantur. Sed ip-
„ ſorum mendacia & improbitatem, Dei beneficio
„ redita mox Braſiliis firmitas aperte redarguit. Ea
„ recepta, inſtitere cum aliis monitu patrum, ora-
„ toria ſacraſquæ ædes publice extruere, quo ad
„ conciones & cathechiſmum undique convenirent:
„ duæ duobus locis magno Chriſtianæ rei bono exci-
„ tatæ. Agitatum etiam a patribus (idque dein tempore
„ procedente perfectum eſt) uti quod de Theſeo ja-
„ ctat Græcia, ſparſos per tuguria indigenas, in pagos
„ & oppida cogerent; agris colendis adſuefacerent;
„ eorumque cœtus legibus ac magiſtratibus tempe-
rarent (*a*). „

CLXII. Hic ego non tam miror pulcherrimi ſcriptoris venuſtum dicendi genus, quam moveor, & gaudeo viſis ubique gentium humanæ culturæ veſtigiis, quæ vera impreſſit (quoquo pedem intulit) Religio. Sic profecto eſt. Poſt extinctum pæne ab inducta Idolatria rationis lumen, populi in cæcam caliginem relapſi ſunt, quouſque Evangelii lux obductas Orbi terrarum tenebras in Aſia, in Europa, in Africa, in America diſſipavit. Circumfer quoquoverſus oculos, & paſſim cernes hujus rei exempla. Vin horum unum e regione, quæ proxima Italiæ eſt, ubi hæc ſcribimus? Quidcultius nunc Germania? & quid eadem incultius ante acceptam legem Chriſti & doctrinam?

CLXIII.

(a) *Joann. Petrus Maffejus Hiſtor. Indic. lib. XV.*

CLXIII. „ Nullas Germanorum populis urbes
„ habitari, ait Tacitus (*a*), ſatis notum eſt, ne
„ pati quidem inter ſe junctas ſedes. Colunt diſcre-
„ ti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus pla-
„ cuit. Vicos locant non in noſtrum morem con-
„ nexis & cohærentibus ædificiis. Suam quiſque do-
„ mum ſpatio circumdat, ſive adverſus caſus ignis
„ remedium, ſive inſcitia ædificandi. Ne cæmento-
„ rum quidem apud eos aut tegularum uſus: mate-
„ ria ad omnia utuntur informi, & citra ſpeciem
„ aut delectationem.... tegumen omnibus ſagum,
„ fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum. Cetera
„ intecti, totos dies juxta focum atque ignem agunt....
„ Gerunt & ferarum pelles &c. „

CLXIV. Hujuſmodi erat, Trajano Imperatore, Germaniæ ſtatus, quam culturæ, quam artium indigens? Artes autem & culturam eo demum intulit Chriſtiana Religio, cui debent Germani, ut felices, & beati ſint, ut vivant ſecundum naturæ perfectius genus, ut tot habitent pulchris urbibus, ut tanto præſtent reipublicæ ſplendore, tanta opificum ſollertia, tantis ingeniorum ſtudiis diſciplinisque, ut nihil ſupra. Vecors vero & amens ſit, qui hæc Germaniæ bona non referat accepta Chriſtianis inſtitutis, quæ ut mores, ita mentes inſigni rerum converſione mutarunt.

CLXV. Plurimum ergo communi rei, publicæque felicitati contulit Evangelium, quo cuncta naturæ bona multo melius, multoque ſtabilius hominum ſocietati proveniunt. Et tamen liberiores Philoſophi (ſi nomine philoſophorum digni ſunt) legis naturalis, quam ne intelligunt quidem, decus unice & laudem prædicantes, Chriſtianam legem, ac inſpiratam divinitus Religionem, e medio tollere conjurarunt, qua ſublata, in vetus chaos provinciæ omnes (quæ & olim miſera malorum ſorte ſimiles Germaniæ fuerunt,

(a) *C. Cornel. Tacitus de morib. German.*

runt, & larga nunc bonorum copia abundant) relabantur necesse prorsus est: cujus rei recens, & coram est exemplum florentissimi paucis abhinc annis regni, & hoc infausto tempore horride silvescentis, & barbare efferati. Sed redeo ad Platonem, & Guaranios, qui nobis, originem populorum indagantibus, causa fuerunt de hoc argumento fusius disserendi.

PLATO
De commerciis.

CLXVI. Merces ait, peregrinas, præterquam necessarias, in urbem nemo invehito, neque contra evehito ea, quæ opus civibus sunt. Thuris, & purpuræ, aliusve rei pretiosioris non plus aliunde importetur, quam quantum templorum usus postulat. Augendæ pecuniæ causa neu in urbe, neu foris fiant nundinæ. Tritici, hordei, & ceterarum frugum, brutorumque animantium partes duæ pro incolarum annona, & victu reservantor; tertia dumtaxat pars venum exponitor advenis, siqui propter publicam, privatamque alicujus incolæ utilitatem inter cives commorentur.

CLXVII. Quidquid vendendum sit, in jusso fori loco veneat, tradito statim acceptoque pretio. Præfecti rebus venalibus, & legum Custodes, discant ab viris expertis, quid vitii & doli inesse possit mercibus expositis, deque eo vitio, & dolo moneant scripto cives, figantque in pila, seu columna publica, singularum rerum pretia. Siquis adulterinum quid vendidisse deprehendatur, non modo re vendita (mulctæ nomine) privetur, sed tot insuper virgarum plagis vapulet, quot drachmas in mercis pretium petiit, clamante inter verbera præcone causam supplicii.

CLXVIII. Peregrini tantum homines, & advenæ, qui boni sint, aut minus mali, caupones sunto, iisque Custodes legum (pretio mercis, & labore, quo merx constitit, juste expensis) æstimationem

lucri,

lucri, quod mediocre fit, edicto definiant. Ædiles autem cavento, nequis artificum pro opificio suo plus poscat, quam quanti res valet.

CLXIX. Artifex, qui ad certam diem opus recepit, nec condicto tempore absolvit, quantum valet idem opus, tantum solvito de suo, cogitorque opus illud ipsum gratis facere intra tot dies, quot diebus faciundum spoponderat. Civium nemo aurum, argentumve habeto. Et quoniam nummis opus est, ut heri servis, & conductores operarum his mercedem solvant, apud eos solum nummi sunto, apud alios ne sunto. (*a*) E mutuata pecunia nemo usuram, sive fœnus exigito; neminique item fas esto inhiare intemperanter lucro, quod generosos mores corrumpit. (Lib. V. VIII. XI. *Legg.*)

GUARANII.

CLXX. Guaraniis commercium aliud non erat, quam quo comparabantur res illæ, quas regio eorum non fert. Forma commercii hæc. Concessum fuerat regio diplomate evehi e triginta oppidis Guaraniorum duodecim millia *arrobarum* (nomen Hispanum est ponderis XXV. librarum, illoque utimur, quod multo expeditius sit ad rem, de qua agimus, declarandam) *Herbæ Paraguaycæ* (*b*). Duodecim autem millium nu-

(a) *Lycurgus usum pecuniæ civibus suis generatim probibuit. Vates Juvenalis corruptam veteris Romæ disciplinam, & gravitatem studio quæsitæ pecuniæ attribuit:* (*Satyr. VI.*)

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles.

(b) *De* Herba Paraguayca *sic disserit Pavvius Philosophus. Dederunt, ait, Curatores Guaranici* (*Jesuitæ*) *operam, ut undique locorum eradicaretur arbor illa* (*unde* Herba *fit*) *præterquam e ditione sua, ubi unice meræ*

numero in triginta illa oppida diviſo, reſpondent ſingulis oppidis quadringentæ *arrobæ*: hæc ſumma, neque amplior, permiſſa eſt Indis, ne officeretur fortunis Hiſpanorum urbis Aſſumptionis, quorum bona pendent maxime ex *Herbæ* commercio. (Scito hic *Herbam* dici recepto nomine: cæterum herba non eſt, ſed ſunt tritæ frondes ab arbore, imitanti formam Europeæ mali aureæ.

CLXXI. Tranſmiſſos *Herbæ* culeos, juſſum illud pondus, pro rata XXX. oppidorum parte, continentes (ubi jam a quæſtoribus Regiis diſcuſſum lemborum onus fuerat, nequid plus permiſſo inferretur) culeos, inquam, tranſmiſſos in urbem S. Fidei, & Bonaſauras vendebant procuratores, qui utrobique in

---

hæc pretioſa deinceps proveniret. Cavebant autem maxime, ne quod foras efferretur ſemen, quo e ſemine educi arbor illa poſſet; frondeſque ipſas ita pinſebant, commiſcebantque adjecta neſcio qua re, ut dignoſci ab ementibus verum arboris genus nequiret.

Hinc Curatorum illorum inſanæ divitiæ, quandoquidem Herbæ arroba *valuit aliquando aureis tricenis ſenis* (trente ſix piaſtres fortes.) *Annua autem venditio erat librarum ad quattuor milliones, quibus parandis occupabantur an. 1756. tercenta millia Indorum præter Æthiopas, qui tamen multi non erant.... Omitto alia (ut de impenſis in fabricas, & officinas, ubi* Herba *conficiebatur) quæ addit Pavvius tanto digna Philoſopho. (Tom. II. a pag. 411. ad pag. 415.)*

Hæc autem omnia quam ſint vera, tu ipſe, lector, judicato e ſequentibus propoſitionibus, quarum teſtes appello Urbis S. Fidei, & Aſſumptionis Paraguaycæ cives, alioſque præturæ illius Hiſpanos incolas, qui rem hanc probe norunt.

I. Arbor Herbæ Paraguaycæ *publica illic eſt; ac ſponte ſua provenit in deſertis ſilvis* Maracayù, Monday, Yeyù, Aracay, Mbaeverà, *alibique, quas in ſilvas penetrant, cum volunt Hiſpani omnes, & Indi. Ea autem loca longiſſime diſtant ab XXX. oppidis Guaranicis,*

in hanc rem deſtinati erunt. Addebantur autem *Herbæ* culeis volumina quædam telæ goſſipinæ, quæ ſuperfuerat poſt cujuſque oppidi uſus; manipulorum item ſicci tabaci nonnulla vis, bona enim pars oppidanis dividebatur.

CLXXII. Artificum porro lignariorum, & ſculptorum, & ceterorum opera, laboreſque intra oppida impendebantur, neque eorum quicquam evehebatur foras præter ſacras quaſdam icunculas, tornatoſque globos pro numerandis B. Virginis MARIÆ precibus Roſario deſcriptis: quippe cum rerum harum in Prætura Paraguayca, & Bonaurenſi, & Tucumanica, gravis ſit caritas, incitamenta iſthæc pietatis gratis dabantur Hiſpanis civibus, præſertim ruricolis, quibus id munus acceptiſſimum erat.

---

neque ullus ibi Jeſuita erat . . . . Pavvius ait ab Jeſuitis extirpatum undique (præterquam ex ſuis oppidis) id genus arborum, ut ipſi uni, & ſoli Herbam *colerent.*

II. Ad parandam Herbam *nulla eſt opus fabrica, nullis officinis, ideoque impenſæ in hanc quidem rem nullæ. In mediis illis ſilvis carpuntur arborum frondes; hæ ſemiuſtulatæ coguntur in ſcrobem ſubitaneo factam opere. Inde poſtea acervus ille frondium detritarum immittitur in culeos e bovilo corio. Culei devehuntur venum in urbes Hiſpanorum, Ecce tibi hic tota conficiendæ* Herbæ *ratio, & ars . . . Pavvius neſcio quas fabricas, officinasque comminiſcitur inſtar aerearum turrium, caſtellorumque, quæ famoſo Heroi* Quixotio della Mancha *paſſim occurrebant, faceſſebantque novo illi Herculi non leve negotium.*

III. Commercium Herbæ Paraguaycæ *commune eſt Hiſpanis viris Villaricianis, & Curuguatienſibus, & civibus Aſſumptionis, quæ urbs prætoria eſt. Hi omnes per flumen Paraguayum, quot volunt* Herbæ *culeos, & quoties volunt, devehunt in urbem S. Fidei (quæ adjacet Paranæ amni, in quem Paraguayus influit) & Bonasauras . . . . Pavvius ait, Curiones Guaranios arrogaſſe ſibi monopolium* Herbæ*, quam (ne dignoſci poſſet, unde fieret) ignotæ cujusdam materiæ adjectione com-*

CLXXIII. Onuſtos igitur lembos iis, quas modo diximus, mercibus, agebant ſecundo amni Parana, & Uruguayo Indi publico commeatu inſtructi, & quorum, dum aberant, privata prædia communibus operis curabantur; ut eſſet reducibus ſui meſſis agri. Ceterum procurator Sanfideanus, Bonaurienſis, pro ſe quiſque, quid a ſingulis oppidis accepiſſet, in rationum libros referebat ſigillatim. Vendebat deinde allata, eque pretio ſolvebat in primis annum tributum Regi; quod autem erat reliqui expendebat emendis rebus, quarum oppida illa indigebant.

CLXXIV.

---

miscebant cavebantque ſummopere nequod foras ſemen efferretur. O lepidum caput novi Philoſophi!

IV. Guaranicis oppidis ſolum permittebatur venum exponere XII. millia arrobarum, *ideſt, quadringentas* arrobas *ſingulis oppidis, quæ erant numero triginta. Vectigalium autem redemptores, & Regii miniſtri excubabant, nequid amplius inferretur a lembis Guaraniorum... Pavvius ait Curiones Guaranicos quotannis vendere ſolitos quattuor milliones librarum.*

V. Pretium Herbæ *craſſioris, & rudioris (* Yerba de palos *vulgo) erat binum aureorum in ſingolas* arrobas *pretium vero* Herbæ *minutioris, & purgatioris (* Caamini *) ternum, vel quaternum aureorum: Quod ſi alterutrius major erat aliquando caritas: primum* Herbæ *genus venibat binis & ſemis, vel trinis aureis, alterum quinis circiter.... Pavvius ait Herbæ arrobam veniiſſe nonnumquam ſex & triginta aureis (* trente ſix piaſtres fortes. *) Euge, Pavvi, eſt quo diteſcas brevi. I Bonasauras, edic te pro ſingulis* arrobis *daturum aureos duodecim. Guaraniorum nemo, nemo Paraguaycorum civium non tibi* Herbam *ultro vendet, Tu emptam venum expone non aureis tricenis ſenis (quod nimium mihi crede eſt) ſed vicenisquinis: redibunt tibi tum lucro e ſingulis* arrobis *undeni aurei. Quid vis amplius?*

VI. Herbæ *devectio ex urbe Aſſumptionis (hæc urbs illius emporium eſt, Villaricìani enim & Curuguatienſes cives eo Herbam ſuam deferunt, ut inde Bonaſauras tranſmittatur) erat ferme centum triginta millium* arrobarum

CLXXIV. Emebat videlicet artium instrumenta, serras, dolabras, malleos, ascias, secures, cuneos, acus, cultros, forfices, hamos item, & massas coloris pro pictoribus, oleum quoque & salem (quibus caret regio) aliaque id genus, ac omnium maxime telam lineam, sericamque, in vestes sacras, atque aurum textile, ductile, & ceram europæam ad usus templi, & vinum (vites enim illic non sunt) pro sacrificio. Hæc omnia in lembos ad oppida redituros imponebat procurator, perscribebatque seorsum singulis Curionibus, quanti res quæque constitisset; ut illi reco-

---

quotannis; ut auditus est olim dicere ex publicis rationum tabulis Prætor Assumptionis Jacobus Sanjust (quem novi.) Ab Guaranicis autem oppidis exportabantur (ut dictum est) XII. millia arrobarum. *Sed cum iter longissimum sit, & magnarum impensarum, fiebat, ut civibus Paraguaycis puri parum lucri restaret; Guaraniis vero, cum a singulis oppidis quadringenta dumtaxat* arrobæ *venderentur ne unus quidem aureus in capita respondebat .... Pavvius ait vel e sola* Herba *inæstimabiles divitias cogi a Curionibus Guaranicis.*

VII. Census ex omnibus triginta oppidis Guaranicis erat plerumque minor (ut constat ex tabulis quas habeo) centum millibus, idque inclusis censu pueris, puellis, matribus, viris, senibusque. Unus hoc sæculo (ut alibi docuimus) annus felicior fuit aucto vehementer numero: at ne eo quidem anno omnium census ascendit ad centum quinquaginta millia. Anno autem jussi exilii fuerunt censi 88864. ... *Pavvius ait, in sola paranda* Herba *an.* 1756. *occupata fuisse a Curionibus Guaranicis tercentum millia Indorum (viros, opinor, vult dicere, seclusa imbelli turba.) Si illis ergo addas pueros, & puellas, & matres, quanta erit cunctorum summa? Et vero hic, Pavvi, non capio, cur* trecenta millia Indorum *pararint dumtaxat in singulos annos* quattuor milliones librarum *Indulgentiores fuerint Curiones in imperando Indis labore necesse prorsus est.*

VIII. In oppidis Guaranicis ne unus quidem erat Æthiops ... Pavvius ait ad conficiendam Herbam *adjunctos*

gnoſcerent a tabulis accepti, & expenſi, numquid ſuo cujuſque oppido deberetur; an e contrario (nondum venditis uſquequaque mercibus, quæ miſſæ fuerant) oppidum ipſum deberet.

CLXXV. Nummi inter Guaranios nulli: priſcorum more mortalium res illi ſuas rebus permutabant: qui

---

Indis Æthiopas quoſdam, non tamen (*addit*) multos; *atque hoc extremum ſine ulla dubitatione verum eſt, nam ubi nullus eſt, multi non ſunt.*

Ex his octo propoſitionibus quæ omnes veræ ſunt, & quarum appello iterum teſtes Sanfideanos, & Paraguaicos cives argue tu, quam explorata, & quam ſincera, retulerit Pavvius de Herbæ Paraguaycæ *commercio, e quo immenſas ſibi divitias accumulabant Curiones Guaranici.*

Quatuor & viginti circiter anni ſunt, ex quo ſcripſit illuſtris quidam Preſul conſueſſe quotannis mitti a ſociis Paraguaycis ad Socios Romanos unum aureorum millionem e reditu Herbæ. *Quid dicam? Miror ſane, ſed non tam iraſcor Illmo illi Sacrorum Antiſtiti, quam Pavvio, Pavviique ſimilibus, qui falſo prædicando immenſas divitias ex* Herba Paraguayca, *vel optimis alioquin viris imponunt.*

Millio unus aureorum e toto ſimul Herbæ *mercimonio pluribus pluribusque annis non provenit civibus Villaricianis, Curuguatienſibus, & Paraguaycis, quantumvis vendant quotannis centum triginta circiter* arrobarum *millia; demendæ enim ſunt (ut dixi) graves impenſæ longiſſimi itineris. Quid fiet igitur e ſolis duodecim millibus* arrobarum *tranſvectarum in urbem S. Fidei, & Bonaſauras ex oppidis Guaranicis? quippe ex his oppidis millio ille Romanus extraendus eſt, quandoquidem collegia* Herbam *non habebant.*

Adde huc Guaranica oppida condi cœpiſſe an. 1610: *ab hoc anno ad annum juſſi exilii* 1767. *abierunt anni* 157.. *totidem igitur numero milliones aureorum ex* Herbæ *proventu tranſmiſſi fuiſſe Romam dicendi tibi erunt: ego autem rogo, quid actum ſit de tot millionibus? Num in aliquam illi altam caveam profundæ foſſæ abditi: cuſtoditique ſunt pro theſauro Jeſuitico? ſed de his hactenus.*

qui modus ad ſimplicitatem naturæ propius accedit: *interiores* (Germani) *ſimplicius*, ait Tacitus, *& antiquius permutatione mercium utuntur*. Pecunia quidem propter exteros potius recepta uſu eſt, quam propter cives, qui, conjuncti loco, & mutuis officiis, alter ab altero accipiebant quondam ultro citroque, quæ utilia ipſis viciſſim erant. Exteris vero, ſi pro merce merx ſemper obtruderetur, deſcendendum foret ad iniqua pacta, vel certe magno ſuo incommodo gravia onera in longum ſæpe iter avehere ſecum cogerentur: quibus malis obviam itum eſt ope pecuniæ, quam recte vocat Ariſtotiles (*a*) κοὶνον μετρὸν communem menſuram, ad quam omnia referuntur, æquata æſtimatione mercis & nummi. Atque, opinor, ob ortam e nummis facilitatem in paſciſcendo dicta pecunia Græcis eſt χρε͂ιμα α χράο, utor, quod in uſus commercii æs ſignatum commodiſſimum ſit.

CLXXVI. Vel ipſe Moyſes ex inſtitutione divina de annua rerum decima in uſus ſacros ſepoſita ſic cavet: *cum longior fuerit via, & locus, quem elegerit Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris hæc cuncta* (frumentum, vinum, oleum primogenita armentorum, & ovium) *portare, vendes omnia, & in pretium rediges; portabiſque manu tua, & proficiſceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus &c.* (*b*). Ecce hic quodammodo conſecratus uſus pecuniæ.

CLXXVII. Hiſpani Paraguayci, qui proxime attingunt fines Guaraniorum, commutatione rerum pacta fori exercent. Rarus apud eos uſus cuſæ pecuniæ, ſine qua tamen felices, vel etiam feliciores ſunt (ob eximiam agri fertilitatem, indigenarumque copiam fructuum, & aves plurimas, & feras captu faciles, & optimos piſces ad delicias uſque) ſunt, inquam,

(a) *Ariſtotel. Nicom. IX I.*
(b) *Deuter. c. XIV. vv. 24. 25.*

quam, feliciores aliis populis, quibus multum nummorum eſt, opum naturæ parum.

CLXXVIII. Igitur magiſtratus, quanti res quæque valeat, edicit publice, idque ex jure indico, quo cautum eſt: *las monedas de la tierra en Paraguay ſean eſpecies, y valgan a razon de ſeis reales el peſo* (*a*). Moneta regionis Paraguaycæ ſunto terræ fructus, reſque ipſæ ſpeciatim, quarum æſtimatio computator in aureum ſenum argenteorum. Cauſa ſtatuti hujus fuit, quod tellus illa neque aurum, neque argentum, neque æs gignat, unde cudi pecunia poſſit.

CLXXIX. Rerum igitur æſtimatio a magiſtratu edicitur. Exemplum eſto: compoſiti in manipulos tabaci *arroba* penditur quattuor aureis, quorum ſingulis ſeni tantum argentei reſpondent ex lege illa Indica. *Herbæ*, & item goſſipii *arroba* æſtimatur binis aureis ejuſdem generis; bos valet ſenis aureis. Hinc venditio, & emptio ſic fiunt: qui *arrobam* tabaci emit, dat venditori in pretium binas Herbæ *arrobas*: vendenti autem bovem traduntur ab emptore ternæ *arrobæ* goſſipii. Minutioris autem rei pactum fit ſecundum proportionem definitæ æſtimationis *in arrobam*: atque hinc uni libræ goſſipii par eſt pretio libra una *Herbæ*, ſemilibræ vero illius ſemilibra hujus; cum utraque ſpecies ſit ejuſdem pretii publici (*b*). His pactis Paraguayco-

(a) *Jus indic. Tit. XXIV. lib. IV. leg. 7. Aureum, qui ex hac lege æſtimatur ſenis tantum argenteis; vocant Paraguayci cives* PESO HUECO, *id eſt vacuum, ſive non ſolidum. Solidus autem aureus valet in America octo argenteis; idem in Europa, aucto pretio, valet argenteis denis.*

(b) *Cyriacus Morelli recte monet Paraguaycos fructus* Herbam, tabacum, mel, frumentum Indicum, *ſive* Maiz, *induere ex lege illa pecuniæ conditionem modumque, ob idque de eis perinde cenſendum, decernendumque eſſe in prætura Paraguayca, ac de veris nummis. Extra vero præturam illam reputantur ea ipſa terræ munera, ut mera merx, ſeu ut fructus venales, qui vene-*

guaycorum Hiſpanorum ſimilia erant Guaraniorum indorum pacta. Ager meus tuo plus mandiocæ extulit, tuus meo plus goſſipii; hujus tibi certum pondus do, da tu mihi pondus mandiocæ, quod tantidem ſit.

CLXXX. Plato pecuniæ uſum permittit ſolis heris, & conductoribus operarum, ut mercedem ſolvant ſervis, & conductis operis. Inter Guaranios permiſſioni iſti locus non eſt: præter enim quam quod ſervi illic nulli, nemini operæ conducendæ erant. Suum quiſque agrum colebat; & id ſi nequiret facere ob morbum, cauſamve aliam, vicini, vel conſanguinei, vel quos magiſtratus deſignabat, vicariam curam agri ſuſcipiebant, accepturi & ipſi viciſſim idem auxilii, ſiquando ab agri ſui cultura impedirentur. Domus autem, & publica ædificia ſine mercede fiebant & eficiebantur communiter.

CLXXXI. Forum venale apud Guaranios non erat, ideoque Platonis illa cautio, & tot edicta pro rebus vendendis, neutiquam neceſſaria, ſicut legibus nundinariis opus non fuit parvo illi gregi hominum e terræ vaſtatione ſuperſtitum, quos Plato ipſe ſapienter antea deſcripſit, ab his enim, ſimplici naturæ modo contentis, omnia ex æquo & bono tranſigebantur meris rerum permutationibus.

CLXXXII. Nulli itidem in pagis Guaranicis mercatores cauponeſque; nam qui ab uno oppido in aliud

unt, ementurque quanti poteſt juſte. Atque hinc fit ſex argenteos eſſe legitimum & publicum pretium aurei Paraguayci ficti, ſeu non ſolidi. Duo autem argentei, qui aureo iſti accreſcunt Bonis auris in Herbæ *venditione ſunt pro impenſis evectionis, quam gravem reddit difficultas trecentorum leucarum partim per flumen Paraguayum, partim per amnem Argenteum, ac præterea damnum ſæpe parit ipſa navigiorum debilis moles, qua evenit ut corrumpatur interdum* Herba, *vel etiam naufragio pereat. (Legeſis ipſum Morellium* de Rudim. Juris Nat., & Gent. *lib. I. diſput. XI. §. 2. ubi plura affert ſcitu digna de commercio Paraguayco.)*

liud ibant, aut per prædia commeabant, hoſpitio communi utebantur, alebanturque gratuito. Domi autem proprii agri frugibus, bubulaque publice data, victitabant, neque empti cibi venaliſve mercis indigebant. Quod ſi e cœli intemperie alicujus oppidi incolis annona defecerat, eis a vicinis oppidis ſubveniebatur, cum eo, ut redderent tantumdem, ubi ipſis felicior meſſis obtigiſſet.

P L A T O
De Peregrinis.

CLXXXIII. Civitati, quæ cumulandis opibus operam non dat, quorſum exteri? Et quid hi afferent boni? Solet, ait Plato, variarum gentium concurſio mores corrumpere; peregrinorumque conſuetudo turbat vehementer ſtatum urbis, quod malum Reipublicæ, utenti bonis legibus, nocet maxime (*a*). Populis autem prave inſtitutis nihil curæ eſt, num eorum ſenes, adoleſcenteſque pro arbitrio peregrinentur; num e contrario pregrini, vagique aliunde ad eos

(a) *Nocet peregrinorum conſuetudo 1. quia cum faſtidium ferme nobis generent ea, quibus aſſuevimus, ad novi in aliis viſa ultro ferimur. 2. nocet quia naturæ ipſius impetu (ut videre licet in pueris) ad immitandum propenſi ſumus, atque ex alio in aliud facile mutamur, ideoque exteros mores plerumque probamus & imitamur. 3. nocet, quia cum aliæ atque aliæ veſtium & utenſilium formæ uſu inducuntur, magna fit jactura rei familiaris, ac ſæpe jejunium familiæ indicitur, ut ſuperſit aliquid in peregrinum cultum. 4. nocet, quia ut utentem ornatu novi generis æquare poſſis, fraudibus non parcis, nec dolis, ſi opes domi non ſunt, & negas mercedem operariis, & mercatoribus acceptæ mercis pretium. 5. nocet ob alias cauſas, quas non libet hic perſequi.*

Generatim de Peregrinis ait optime Seneca „ Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium

eos ventitent. Sed tamen ne cives alio aliquando abeant, fieri prorſus non poteſt; omnes vero alicunde adventantes urbe noſtra penitus excludere, crudele quiddam & arrogans videretur.

CLXXXIV. Sic igitur (ut utrumque malum iſtud vitetur) de civium peregrinatione, deque peregrinorum admiſſione ſtatuendum eſt. Civi nondum nato quadraginta annos nullo modo fas eſto peregrinari: privato itidem viro id non liceat, legato publico liceat. Quod ſi vero legatorum quiſpiam e peregrinatione rediens diſputare auſit contra priſcam civitatis noſtræ diſciplinam, receptaſque uſu leges, morte mulctator, ne populi pacem, & tranquillitatem urbis, & Reipublicæ ordinem evertat. (Quid, quæſo, faceret Plato iis, qui nunc, ſpretis indigne majorum inſtitutis, revulſiſque juris ſacrati clauſtris, totam commovent Europam, vulguſque inſanum ad arma cient?)

CLXXXV. Jam vero advenas, qui (more modoque avium nova loca mutantium appetente vere) alias atque alias urbes circumvagantur augendi cauſa peculii, hos advenas ille, qui cum poteſtate ſuburbiis præſt, certo in loco extra mænia collocet, & caveat nequid novi moris inducant; nec ſinito cum civibus diutius agere, quam quamdiu coget neceſſitas. Ceterum cum aliquis ad nos publicus legatus venerit, is honorifice excipiatur, & apud urbis primores habitet. (Lib. XII. de Legg.)

GUARANII.

CLXXXVI. Contra Guananiorum cultores multæ multorum fuerunt querimoniæ, perinde ac omne homi-

---

„ *formas oſtendet, inuſitata ſpatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles... cæterum neque meliorem faciet, neque ſaniorem.... Quamdiu quidem neſcieris quid fugiendum, quid petendum, quid neceſſarium, quid ſupervacuum, quid juſtum quid honeſtum ſit, non erit hoc peregrinari, ſed errare. &c.* „ (*Epiſt. CIV.*)

minum genus exosi neminem in oppida admitterent. Dicam paucis quid rei esset. Prætoribus, eorumque legatis, apertum semper iter illuc fuit, itemque militibus, quos contra barbaros, aut tumultuantes vicinos, tribuni Regii secum deducebant. Liber item aditus Antistiti Bonaurensi, & Paraguayco, quoties pro munere oppida suæ quisque ditionis lustrare voluit.

CLXXXVII. Possem equidem ex indice (quem mihi olim confeci contra PAVVIUM Philosophum, mira prædicantem de Curionibus Guaranicis tamquam immanibus instar diri Busiridis exterorum omnium hostibus) longam seriem producere Regiorum ministrorum, Episcoporumque, qui pagos Guaranicos adierunt, redditis sigillatim annis, in quos singulorum adventus incidit: sed quoniam res hæc me longius abriperet, id unum hic dixerim, Antistitem Paraguaycum Il. D. Josephum Cajetanum Palavicinum Ordinis S. Francisci oppida Guaranica suæ diæceseos ter lustrasse, annis nimirum MDCCXLIII. & MDCCXLIV. & MDCCXLVII. Cur toties, & adeo frequenter? Quia voluit.

CLXXXVIII. Ad sex autem oppida transparanensia (sunt horum nomina S. MARIA de Fide, S. Ignatius, S. Rosa Limana, S. Jacobus, Ss. Cosmas & Damianus, ac Itapuà, quæ omnia, præter alia, jus sacrum accipiunt ab Episcopo Paraguayco) ad hæc sex oppida cuilibet Hispanorum ex urbe Assumptionis, aut aliunde adventanti, quovis mense, & quovis die, aditus patebat, & Hispanos cives ipsemet illic vidi. Præterea in oppidum Candelariæ, quod ad oram citeriorem amnis Paranæ situm est, ventitabant etiam Hispani ex urbe Fluentina (*Las Corrientes* vulgo) ut illac merces suas in præturam Paraguaycam transmiterent. Id ita fieri solitum testes sunt incolæ civitatum, quas retuli; iidemque coram inspexerunt, quæ esset administrationis Guaranicæ forma, hæc enim ubique par erat, adeo ut qui oppidum unum viderat, omnia vidisse dicendus esset.

CLXXXIX.

CLXXXIX. In alia porro oppida, quæ media ſunt inter Uruguayum flumen & Paranam, inque ſeptem pagos tranſuruguaycos, privati homines, inſtitoreſque (niſi gravis ſubeſſet cauſa) non admittebantur: neque vero erat, cur mercatores eo penetrarent, quandoquidem quæ opus ſunt Indis, abunde ii ex urbe Bonaurenſi onuſtis lembis, quos ſupra diximus, ſibi, & ſuis afferebant. Quoſvis autem peregrinos intro excipi haud intererat boni communis; non quin ſint inter Hiſpanos multi, quos probes; ſed quia ſi his neque a Prætore miſſis, neque fide publica munitis, patuiſſet aditus, patere eumdem neceſſe fuiſſet illorum mancipiis, & perfugis nigritis, & vagis hibridis, a quibus quid boni, quæſo, diſcerent neophyti? Immo vero quid non ab eiſdem didiciſſent mali (*a*) Plato quidem exteros omnes promiſcue urbe recipi, noxium in primis Reipublicæ eſſe (ut eſt re ipſa) exiſtimat, atque ob id ipſum prohibet.

(*a*) *Cl. V. Antonius de Ulloa, inclitum Hiſpanis nomen ab ingenio, & arte Matematica „ firmitas, ait, „ PP. Societatis in prohibendis Hiſpanis, Indis, Hibri„ diſque oppidorum aditu multarum adverſus eos calum„ niarum occaſio fuit; ſed prohibendi cauſas nemo corda„ tus non videt. Quippe, ſi aliter fieret, Indi, qua ſunt „ morum innocentia, perfectaque docilitate, qui unum in „ cœlo Deum, unum in terra Regem norunt, & quibus „ imbibitum animo eſt, nihil a ſuis paſtoribus pravum, „ nihil non ſanctum ipſis tradi, & qui alioquin igno„ rant injuſtitiam, vindictam, & cæteras humanarum per„ turbationum peſtes, brevi degenerarent, „ Hæc ille* in Relat. Hiſtor. itineris in Americam meridialem. *Sed de negato Hiſpanis aditu, quem ponit generatim, excipienda ſunt ſex illa oppida, quæ diximus.*

Locupletior rei ejuſdem teſtis eſt Il. D. Petrus Faxardo Ord. SS. Trinit. qui oppida Guaranica diœceſeos ſuæ Bonaurenſis luſtravit. Poſt luſtrationem ſcripſit ad Philippum V. Regem, & „ luſtratis, inquit, ſæpe eorum „ Miſſionibus teſtor nuſquam rerum ordinem vidiſſe me

CXC. Quod si quæras, cur in sex illa oppida transparanensia liber esset aditus Hispanis, in alia non item, cum vel in omnia admittendi, vel ab omnibus arcendi fuisse videantur; causa est, quod Paraguaycis civibus, ceterisque præturæ illius incolis, cum longissimæ distent ab aliis urbibus Hispanicis, voluntate Regis Catholici concessum fuit pro ipsorum bono, ut in oppida, quæ propius attingunt eorumdem fines, merces suas importarent: hæc autem ratio non erat pro aliis urbibus, possunt enim res suas, agrique fructus, facilius vendere seorsum a Guaraniis.

CXCI. De reliquo iis, qui in oppida (ubi permissum erat commercium) ibant, semotum ab Indis diversorium erat, & cum jam merces suas aliis mercibus permutarant, benigne dimittebantur. Nobilibus autem Hispanis, multoque magis Prætoribus, & omnium maxime Antistitibus (hi longe procedentibus obviam Curione, & ejus collega, ac toto magistratu, cum insigni pompa, & effusæ lætitiæ signis, inter gratulantium Indorum agmina, & festivos Musicorum concentus, ac lætum tinnitum æris campani e turri sacra, in oppidum, atque adeo in templum deducebantur) nobilibus, inquam, Hispanis, Prætoribusque & Episcopis in Parochi æde hospitium erat, non illud quidem elegans, & magnificum, sed decens, aptumque.

CXCII. Ejusmodi hospites vel in triclinio cum Curione, & ejus collega vescebantur; vel si major erat eorum dignitas, cui non congrueret cœnatio communis, in privato eis cubiculo mensa parabatur. Sic

---

„ *aptius constitutum . . . . Revera Missionarii cavent, ne*
„ *Indi frequentent Hispanos, nec temere cavent consue-*
„ *tudinem innocentibus exitialem, qua vitæ licentia, &*
„ *corrupti mores inolescerent . . . Certe commercium Hispa-*
„ *norum pestis Indorum est.* „ *(Has Il. Faxardi litte-*
ras datis 20. *Maj an.* 1721. *vide apud Charlevoixium*
Hist. Parag. lib. V. edit. Venet. lat. an. 1779. *cum adje-*
cto scholio ab interprete, & continuatore ejusdem historiæ.

Sic cum ad nos venit an. MDCCLXIV. in oppidum S. Ignatii *Guazù* Il. Antiſtes Emmanuel Antonius de la Torre, illi, illiuſque familiaribus epulæ ſeorſum apparatæ fuerunt. Atque hæc ſunt, quæ de peregrinis inter Guaranios teſtis ipſe earum rerum poſſum dicere.

CXCIII. Illud etiam erat ſecundum inſtituta Platonis (volentis pro bono publico aliquot aliquando majores natu urbes in alias ire) quod cum ex Europa appulerat Bonaſauras novus Prætor, illuc deſcendebant e ſingulis oppidis primores Guaraniorum, ut ei, tamquam Regis Catholici perſonam gerenti, publicum obſequium deferrent, debitamque fidelitatem profiterentur totius nationis nomine. Eidem autem Prætori (ſiquod bellum inſtaret) evocanti in auxilium Guaranicas copias, præſto hæ aderant ad tria, quattuor, ſex millia, ut ſæpe factum eſt pro obſidenda Colonia Luſitana, & tum quidem ſuis ſtipendiis militabant, ut antea docuimus.

CXCIV. Neque omittendum hic eſt arceſſitos quondam fuiſſe Guaranios magno numero ad muniendum Monſvideum, extruendamque arcem Bonaurenſem, de qua re Regem Catholicum certiorem per litteras fecit Prætor Bruno Mauricius de Zavala cum eximia illorum commendatione. Denique inſtitutam illam apud Guaranios adminiſtrationis formam, qua non quivis in omnia oppida peregrini admittebantur, Philippus V. Rex decreto ſuo ratam habuit an. MDCCXLIII., probavitque morem, quo ſuis Indi lembis *Herbam Paraguaycam*, conceſſo pondere XII. millium *arrobarum*, fructuſque indigenas in urbem S. Fidei, & Bonaſauras devehebant. Sed jam ſatis de commercio: atque hæc quidem ſi legerit PAVVIUS Philoſophus paulo, velim, æquior fiat in Curiones Guaranicos.

P L A T O

De veſtibus.

CXCV. Vellem ſcripſiſſet diſerte Plato, quale in civibus optaret veſtimenti genus. Quippe cum pe-

regrinationem quibusdam permittat, & vicissim admittat urbe sua quosdam peregrinos, facile erat factu, ut cives visa exterarum vestium forma, eaque probata, suas rejicerent, id quod nunc fieri nimium sæpe videmus, unus enim idemque vestimentorum modus vix annum durat; similesque sumus Chamæleonti, cui proprior color non est, sed eum excipit e colore rei propius eum positæ; Idem nobis mos. Si objicitur civium oculis transalpini viri, mulierisve amictus exter (vel si ridiculus sit) id sat est, ut ejus imitandi amor subeat omnium animos; fietve brevi, opinor, inter nos, quod factum olim dicitur a Græcis fœminis, quæ septies uno die vestem mutabant majoris cultus causa.

CXCVI. Atqui Plato nihil tam abhorrebat, quam novos mores. Mutatio, inquit, omnibus in rebus, præterquam in mutanda voluntate a malo in bonum, periculosissima est, ut videre licet in conversa repente cœli temperie, & in venti modo frigidi, modo calidi inconstantia, atque in usu novi cibi, rejecto veteri, inque (quod gravius est) contrariis inter se animi affectionibus, cum quis ardenter amat, quod nuper oderat. Quocirca non modo prisca civitatis jura, & leges mutare vetat, idque ne fiat, diligentissime cavet, sed ne ludos quidem, quibus assuescunt pueri, receptasque publice choreas, & antiquos cantus, variare patitur; quod siquis scilicet a puero instabilis esse cœperit; stabilis dein vir non erit. Proinde pœnam statuit in agentes contra firmatum diuturnitate usum probatamque consuetudinem.

CXCVII. Cur igitur, Plato, vestes non assignas aperte, & sigillatim, ut eædem semper in Republica sint? Causa forsan est, quod ab aliis alibi ab ipso latis legibus sat constet, temperatissimum atque modestissimum esse debere suorum amictum civium: hos certe omnes, etiam fœminas (quod antea commemoravimus) ad militiam institui vult. Quales autem ille milites informat? A teneris, ait, pueri bello proludant, discant-

que

que ab aliis duci, & alios ducere: in hanc rem corpus durent, frenata vitæ mollitie & licentia. Temperato viri fœminæque cibo ac potu utuntor, frigus toleranto; solem æstumque ferunto; strati cubilisque duritiem diligunto; nihil blandi delicative sibi indulgento.

CXCVIII. Ad hæc, vis nativa capitis, & pedum corrumpenda non est quæsito extrinsecus tegmine? nam extrema corporis naturali virtute in reliqua, ait membra robur diffundunt: sin vero pedes caput que adscititiis operimentis emollescunt, emollescat pariter necesse est ceterorum artuum vigor. Itaque cives suos vult Plato nudis pedibus incedere, & nudo capite (*a*). Hinc tu conjice, quæ ejus fuerit mens de vestium genere. (Lib. VII. & XII. de Legg.)

GUARANII.

CXCIX. Guaraniorum vestes tales erant, quales pro Republica sua probaret Plato. Viris femoralia, thorax, subucula. Super hæc injiciebant sagulum illud dictum ipsis *Aobacì*, quod membra omnia corporis operiebat, relicto usu brachiorum. Extrema, sive anguli, hujus saguli erant quattuor, quorum bina a tergo ad talos, bina a pectore ad extimas pedum partes defluebant. Simplicius nihil potest fieri. Genus explico, ut rem intelligas.

CC. Extende humi lodicem; hujus in medio scissuram fac sesquipedalem. Eleva eam dein, & caput scissuræ immitte. Quid fiet? Mediæ lodicis pars col-

(a) *Dura alicui videbitur hæc Platonis disciplina; sed durior fuit Lycurgi, qui sanxit adolescentes omnes una solum veste uti toto anno, nec alium alio ornatius indui, vescive opimius: quin etiam sine pulmento vitam eos tolerare jussit, idque inter agri labores, quousque viri jam facti urbe admitterentur. Hinc robusti illi, & fortes bello Lacædemones.*

collo tenus utrimque armos teget, & brachia: partium aliarum una hinc per humeros descendet ad pedum calcem, altera per pectus ad crura: cum autem pendulas has partes inter se nihil liget, ad latus dextrum lævumque, liber erit usus brachiorum, & manuum.

CCI. Ridiculam dices rem: atqui nec ridicula est, & eadem commodissima ad equitandum, sive quid aliud agendum sit. Sane Hispani vel nobilissimi cum equitant, vel ruri sunt, non alio utuntur illac sago, quod ipsi vocant *Poncho*. Hoc unum interest, quod his multo pretio ejusmodi amictus is constet ob exquisitiorem materiam, intextosque labores: Indis vero suus ille *Aobaci* fiat e tela gossipina (qui mos quoque est Asiæ populis ad Malabris, & Cambayæ oras, gossipio indutis) tantum pro oppidi primoribus, atque æditius, aliisque bene de publico meritis addebantur albo colori inter texendum lineæ quædam rubræ cæruleæve: ceteris unicolor vestis erat: habebantque singuli plus una, ut lavari alternis possent.

CCII. Fœminæ præter interulam utebantur palla sua (*Tupoì*) e gossipio item demissa ad talos usque, quæ palla sic eas tegebat, ut nihil nisi facies, & guttur apparerent: omnino modesta vestis erat, & quæ vel sacras Virgines deceat. Passos capillos sine tæniis ad tergum rejiciebant. Sed qui mundus earum muliebris? Aures ornabant æneis inauribus, collum, & manuum carpos varii coloris vitreis orbiculis circumdabant. Hæc monilia. Fucus, quo vultum inficerent, apud illas nullus: mos enim faciem tingendi barbararum fœminarum est, Christianarum non est. Palla ea, quam diximus, erat ad templum, publicasque functiones. Domi, & ruri, vestis levior, atque accommodatior ad laborem: ibi capillum crinali theca longiuscula, reticuli instar, includebant.

CCIII. Ceterum e Platonis instituto Guaraniis (si quosdam curæ industrioris excipias, quibus tibialia, & petasi erant) nullum capitis, pedumque operimentum, neque de hac re illi laborabant. Prætor

tamen

tamen, & magiſtratus ad ſollemniores anni dies, utebantur urbano calceamento, ſubtilibuſque tibialibus, ac galeris, & veſte reliqua Hiſpanienſis formæ e tela pretioſiore, quæ omnia ipſis e publico curabantur: poſt feſtum vero diem deponebant veſtes iſtas peregrinas (quæ in celebritatem aliam aſſervabantur apud Curionem) & ad ſuas redibant. Æditui, puerique, qui aris miniſtrabant, calceos induebant, & crurum tegmen præter ceterum ornatum, quem alibi deſcripſimus. Sed abſoluto ſacro miniſterio (quaſi cultus ille eſſet ipſis tædio impedimentoque) pedes confeſtim nudabant.

CCIV. Clemens Alexandrinus, Platonis premens veſtigia, non alia de cauſa nobis opus eſſe ait amictu, quam ut corpora contra frigus cœlique intemperiem, habita ſimul modeſtiæ ratione, tegamus, tueamurque: nimio autem cultu, fucatæque lanæ ſplendida tinctura, & quæſito pro vibrandis crinibus artificio, proceſſum, inquit, eo jam eſt, ut viri quidam fœminis ipſis (quibus ſe ſe comendi nullus eſt finis) effeminatiores evaſerint; tantuſque obtinuit luxus, ut alienis potius oculis, quam noſtræ ipſorum utilitati, forma & uſu veſtium ſerviamus.

CCV. Quid vero Clemens ipſe de calceis? Optimum, ait, exercitationis genus viro eſt, nudis (præterquam ſi militet, aut iter agat) ire pedibus, id enim & ad ſanam corporis habitudinem, & ad facilitatem rei gerendæ, operandique confert. Sin autem ſine integumento aliquo incedere nequeamus, utendum nobis eſt (potius quam alio calceamento) ſoccis, ſive crepidis, quæ quidem multo magis concedendæ ſunt fœminis utpote natura imbecillioribus. Hæc ille (*a*).

CCVI. Verum tanta iſta in veſtitu temperantia, quantam & Plato & Clemens volunt, optari quidem

 po-

(a) *Pædagog. lib. II. cc.* 10. *&* 11.

poteſt; ſperari (ut nunc ſunt mores, & luxus, quo plebejæ fœminæ matronas nobiles, matronæ nobiles æquare Reginas ſtudent) non poteſt. Rem omnem temperat breviter, & optime D. Thomas, cujus e ſententia (cum veſtium duplex ſit uſus, alter, ut corpus tegant, & muniant, alter, ut earum diſcrimine civium ordines inter ſe dignoſcantur) is in Republica tenendus eſt mos, & modus, ut ſuus cuique claſſi civitatis conſtet honor debitus. Hinc ille ſapienter, *exterior*, ait, *cultus indicium quoddam eſt conditionis humanæ .... moderatus autem ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus, & inverecundus, & impudicus*. O quantum hinc mali? Quanta vel in domo Dei ab habitu immodeſto ſcandali materies? Addit Thomas: *nemo veſtimenta pretioſa, ſcilicet excedentia proprium ſtatum, niſi ad inanem gloriam quærit* (*a*). At longius nos Guaraniorum indumenta abduxerunt. Illis, quippe quibus conditione paribus, pares erant veſtes, & ſimplices, eædemque ſemper; receptum namque a majoribus morem viri fœminæque adhuc retinebant (*b*).

CCVII.

(a) 2. 2. 169. *art.* 1. *qui eſt de ornatu corporis, & modeſtia*.

(b) *Eſſet hic locus dicendi aliquid de Indis aliis Americanis, qui, contra ac Guaranii, pæne nudi incedunt. Cyriacus Morelli quærit, an ſit de jure naturæ hominem veſte uti? In hanc rem refert ſenſa P. Benedicti Stattler Germani e Soc. J. qui ait (Eth. Univ. p. 3. s. 2. c. 1. de cura corporis pag.* 172. *&* 176. *) partes obſcænas tegere idoneo veſtimenti genere gravis, & generalis officii debitum eſſe (poſt Adæ lapſum) inter omnes homines. Vide eumdem Morellium, qui ex Stattlero ipſo ſententiæ hujus rationes dat.* (De Rud. Juris Nat. & Gent. *lib.* 1. *diſp. VII.* §.)

Noſtra memoria piratæ fluminis Paraguay Indi Payaguae, genus hominum impudens inita cum Hiſpanis pace, urbem Aſſumptionis penitus nudi (uſi ſunt inſtar piſcium ſub acquis pæne vivere) ſubibant. Id vehementer

CCVII. Prætor Bonaurensis, qui post indictam exilii legem Curiones Guaranios totum annum (cur tamdiu? norit ipse) in oppidis retinuit, dicitur scripsisse ad illorum præfectum esse rem prorsus intolerabilem a Patribus permitti Indos nudis ire pedibus. Sed hoc erat nodum in scirpo, ut ajunt, quærere: ac scire vellem, an post exactos tandem veteres Curatores Prætor is, vel novi illuc missi Sacerdotes dederint genti illi calceos, & tibialia? Non, opinor, nam litteris ab urbe Bonaurensi datis scriptum est: *mutato pristinæ œconomiæ ordine oppida laborant extrema rerum penuria, ideoque infelices illi incolæ, inedia, & nuditate compulsi, elabuntur turmatim alii in ditionem Paraguaycam, alii in fines fluminis Argentei, alii in silvas, quas eorum majores insederant. Templa vero corruunt, & ædes, non resarciendæ* (a). Atqui satius fuisset nudis pedibus oppido Indos retineri, acceptæque immorari disciplinæ, quam addita fame nuditati, vagos per rura, saltusque spargi magna morum labe, magnoque animarum detrimento.

CCVIII. Scilicet in præturis Bonaurensi, & Paraguayca, & Tucumanica, mos Indorum est non alio ad incedendum uti tegmine, & præsidio pedum, quam quo nascentes a natura donati sunt. Cultores Guaranici indigenas illos excalceatos reperere, & ex-

 cal-

offendit prestantissimum Prætorem Raphaelem de Moneda, qui edixit, proposita pœna, ne quis illorum urbem adiret, nisi inhonesta corporis modeste tectus. Ut autem Moneda non verbo tantum edicebat, sed serio urgebat edicta metu supplicii gens cæteroquin inverecunda paruit tum quidem: sed cum pratura jam abiisset Moneda, paulatim Paraguaye ad ingenium redibant. Quapropter P. Michel Crespo Lopez, acerrime e loco superiore declamavit id neque ferri, neque permitti ullo modo posse, quod civibus esset gravi scandalo.

(a) *Has litteras* 23. *Mart. an.* 1774. *datas reddit Continuator Charlevoxii inter historiæ documenta pag.* 595.

calceatos eosdem reliquerunt. Vel in ipsa Europa æstatis tempore agricolarum plurimi, nec pauci ex urbis plebe nudis eunt pedibus, quod gratum ipsis sit frui frigidioris terræ tactu, vel minore æstu.

CCIX. Inter Guaranios ver longissimum est, & mitis hiems; usuque ipso ita occallescunt, ut nihil calceamenta desiderent: cur igitur adeo timendum est ne noceat Guaraniis pedum nuditas. Sane Japones capite incedunt fere semper nudo, ac levibus crepidis, sive sandaliis, & nihilo minus diutissime vivunt, vel si hiems sævissima illic sit. Attamen mallem ego (ut verum fatear) a neophytis illis crura & pedes tegi; non quod nudi doleant, sed ut tutiores forent a morsu viperarum, quarum ruri ingens vis. Verum ipsi cum e ferarum corio, ac maxime e Nutriarum molli pelle, munire extrema corporis facile possint, id minus curant.

P L A T O
De Magistratibus.

CCX. Qui recte, inquit, magistratum gesturi sint, oportet eos ab adolescentia bonis fuisse, moribus. Comitia autem ad deferendum munus publicum benemerentibus in templo habeantur, ibique ferantur suffragia. Qui in pueritia, & juventute, & adulta jam ætate incorruptus fuerit probatusque, is totius civitatis Princeps deligitor, idemque eximio honore & vivus colitor & mortuus.

CCXI. Quot autem futuri sint magistratus, atque eorum officia, sigillatim, accurateque recenset. Sunto, ait, in urbe Prætor, & Ædiles, & Quæstores pro sacra pecunia, & Curatores rei agrariæ, qui quid ruri fiat, diligenter observent, & siquo derivandæ sint aquæ, aut alicunde contra arcendæ, tempore provideant, & judicent siqua lis, aut rixa colonorum orta fuerit. Sunto item militiæ Duces, & Custodes legum. Hos vero, aliosque quos rebus præficit, nihil pri-

privati possidere vult, sed ali contributo a civibus honorario, ita tamen ut ex annuis pro eorum victu sumptibus neque supersit quicquam, neque desit: summum enim, & præstantissimum ipsorum præmium esse debet testimonium conscientiæ de administrata sancte, & fideliter Republica.

CCXII. Nemo judicum præfectorumque immunis esto, inquit, a reddendis rationibus de gesto magistratu præter eos, quorum est extremum judicium ferre de rebus controversis. Jubet autem quotidie ante Solis ortum convenire Sacerdotes (his primas defert) & decem senes ex legum Custodibus, simul cum Censore morum; ut inter se de statu Reipublicæ consultent, & quid jubendum, quidve vetandum sit, deliberent.

CCXIII. Singulare vero quiddam est, quod de Judicibus, Medicisque (utrosque enim conjungit) admonet. Malæ, ait, & perversæ in civitate disciplinæ nulla certior fieri conjectura potest, quam si multis Judicibus & Medicis indigeat. Quid enim indignius quam neglecto cultu virtutis, qua sibi quisque recte consulat, & cum aliis juste agat, ad tribunalia confugere? Quanto esset æquius, & melius ita cives vivere, & inter se amare versarique, ut rei eorum componendæ causa adeundus judex non esset? Temperato autem homini vix opus medicina est.

CCXIV. Mavult idem, siqua controversia orta sit, bonis arbitris rem decidi, quam ad judicium publicum deferri. Qui litigant, inquit, vicinos primum, & amicos, & eos, qui negotii, de quo agitur, experti sunt, adeunto: quod si per illos definiri lis non possit, tum litigatores judicem appellanto. Invehitur dein acriter in rabulas, legulejosque, qui ob avaritiam, vel turpe lucrum; injustis causis patrocinantur. Videtur vero ita velle judicia agitari, expedirique, ut intra annum saltem institutæ actionis sententia feratur.

CCXV. Quod ad Medicos attinet, probrum homini est, ait, si opus ipsi sit Medico non ad curan-

da vulnera, quæ forte acceperit, vel ad opitulandum ægræ valetudini, quam contraxerit e cœli intemperie, ſed propter morbos ex otio, e deſidia, a deliciis, ab ingluvie ortos. Etenim ciborum varietas intemperantiam, & ſtomachi cruditatem parit; cibus vero ſimplex temperantiæ, ac ſanitatis altor, & cuſtos eſt (*a*). (Lib. III. de Repub. lib. VI. XI. XII. de Legg.).

GUARANII.

CCXVI. Magiſtratus Guaraniorum tot erant, quot eſſe jubet in oppidis Indorum, & urbibus Hiſpanis lex Indica. Omnium primi Prætor, ejuſque Vicarius (*Teniente de Corregidor*). Urbani conſules (*Alcaldes*) duo, & tertius (*Alcalde de la hèrmandad*) ad rem ruris. Senatores (*Regidores*) quattuor, Præfectus apparitorum (*Alguazil mayor*). Procurator publicus, & ſcriba (*b*). Præter hos erat Signifer Regius (*Alferez Real*) qui agmine militum ſtipatus Regis

---

(a) *Optime ſimplicis victus bona, & gulæ mala explicat Hiſpanus Seneca. (Epiſt. XCV.)*

(b) *Cum Guaranii hæc publica munera olim non habuerint, ne nomina quidem munerum habuere: ideo ad illorum linguæ indolem quædam Jeſuitæ vocabula finxere.* Corregidor, Poroquaìtara, *qui agenda jubet.* Regidores Cabildoiguara, *qui ad concilium, ſeu ſenatum pertinent.* Alguazil mayor Ibiraiaruzu, *primus inter eos, qui manu virgam præferunt.* Alferez, Aobebè rerequara, *is, cui vexilli cura eſt.* Eſcribano *Quatiaapobara: Scriba, qui ſcribit. Ipſi Scripturam non norant, ſed a pictura, quam rudi quodam modo norant, ſcripturæ nomen accomodarunt;* Aiquatìa *enim Guaranicum eſt Latinum* pingo. *Regem vocarunt* Mburubichabere, *qui ſuperiorum maximus eſt. Atque hæc quidem nomina jam inde ab initio aditæ regionis inducta illuc ſunt: ea enim ponit in Lexico Guaranico, edito Matriti an.* 1640., *P. Antonius Ruiz de Montoya, qui e primis Cultorum Guaranicorum fuit, & linguæ peritiſſimus.*

gis vexillum in maxima oppidi celebritate (cum Divo Præſidi recurrerat ſacer dies) inter tympanorum ſtrepitus, cantuſque tubarum deferebat ad templum, cujus ſub oſtium a Curione, ejuſque collega, & hoſpitibus Sacertotibus, qui invitati a vicinis oppidis convenerant, inſigni obſequio ob Regis perſonam, quam repræſentabat, excipiebatur, deducebaturque ad paratam ei ſedem ſelecto in loco. A templo autem (poſt factum majori cærimonia Sacrificium, habitamque Divi Præſidis laudationem) idem Signifer, eodem comitatu plauſuque vexillum ad forum referebat, & locabat in tabulato pro hac ipſa re affabre facto.

CCXVII. Modus eligendi magiſtratus erat is. Sub extremum menſem Decembrem, qui eo anno publicis muneribus functi fuerant, deliberabant inter ſe, qui in proximum annum deſignandi eſſent ad oppidi adminiſtrationem. Viſos præ aliis dignos referebant in album. Nullæ ad hæc preſanda munia (ut aſſolet) coitiones, nulli motus, nullus ambitus. Scriptum indicem ad Curionem deferebant. Curio ſiquem ſibi probe cognitum, nec merentem, deſignatum repererat, monebat, ut alium ſubſtituerent; idque ſecundum leges Indicas, quæ jubent Parochos intereſſe Indorum electionibus, ut fiant ordine.

CCXVIII. Calendis Januariis parabantur quædam ad templi porticum ſubſellia cum menſa, ubi poſita erant inſignia magiſtratuum. Is dies ſumma agebatur lætitia, feſtoque apparatu. Curio ſedens explicabat primum, audiente circum populo, quæ a bono magiſtratu in publicum bona oriantur, & quæ e contrario mala a malo. Deſignatorum dein nomina legebat, ſingulique (ut appellati fuerant) in medium prodibant, atque accepta ſui muneris teſſera, ſive ſymbolo, occupabant ſedem ipſis deſtinatam.

CCXIX. Verum hæc creatio magiſtratuum firma nondum erat; accedere enim debebat conſenſus Prætoris Bonaurenſis, ad quem nomina deſignatorum mittebantur, ut ipſe Regis Catholici nomine auctor ele-

electionis fieret. Ceterum Prætor nihil ferme mutabat, sed jubebat, qui delecti fuerant, magistratum gerere. His autem magistratibus attributus erat in æde sacra locus honoratior, ut ab oppidanis penderentur pluris; habebaturque etiam publice major ipsorum ratio in largitione bonorum communium. Eodem illo Calendarum Januariarum die eligebantur æditui, Æconomi, fabrorum præfecti, custodes censoresque puerorum, atque alii ad rectum oppidi ordinem. At pro horum approbatione (cum e magistratu non essent) haud requirebatur auctoritas Prætoris Bonaurensis, neque istud ejus intererat.

CCXX. Quotidie Prætor oppidi post sacrum Missæ Curionem adibat, & quid eo die maxime fieri oporteret, admonebat, renunciabatque siquid pridie animadversione dignum vel ruri, vel alibi accidisset. Curio, qui stabat pro cubiculi sui janua, quid sibi factu optimum videretur, ostendebat. Tum Prætor egressus foras opus publicum, ubi, & a quibus faciundam esset, indicebat: binis enim diebus laborabant communiter singulis hebdomadis, feria nimirum secunda, & sabbato; prætereaque quoties res aliqua instaret præsentis indigens operæ.

CCXXI. Lites facillime dirimebantur: paucæ erant, & de rebus parvis. Si vicini, amicique altercantibus non fecerant satis, uterque jus suum coram Curione exponebat; atque is, cognita causa, quid sibi justum, & æquum videretur, significabat, illiusque stabatur judicio; neque ullis tabulis, & actoribus, tabellionibusque opus erat: tantum testes audiebantur, si res testimonio niteretur.

CCXXII. Timeo, ne hic exurgat scriptor ille Regni Paraguayci, & clamet, hoc, hoc enimvero regium est, hoc est reges esse, judicia facere, sententiam ferre, lites dirimere. Concedo, Regis maxime esse, lites decidere, judicia exercere, sententiam pronunciare. Quid tum inde? An quisquis litem dirimit, Rex est? O bone? Plato rem controversam ad

arbi-

arbitros deferri vult; quod si ab his quidem utrique parti altercantium fiat satis, censet id civibus multo esse melius utiliusque, quam ad judices causam deferri.

CCXXIII. Curiones jam inde ab initio susceptæ institutionis Guaraniorum, ab his ultro arbitri, cognitoresque delecti sunt, siquid occurreret rei controversæ: illorum judicio pro publica tranquillitate, & pace familiarum stare maluerunt quam suo. Hic nihil regii est: immo vero hic Regis Catholici mens, & voluntas est, qui a Parochis benigne & leniter dissidia Indorum componi optat, atque id ipsum vehementer commendat. Ipsæ Hispani regni leges (quas Partitarum vocant) hunc modum litium decidendarum per æquos arbitros approbant (*a*). Denique Curiones Guaranici exemplum hac in re secuti sunt S. Francisci Xaverii, qui dissidentium causas Indorum arbiter cognoscebat, & dirimebat, sublata lite ex utriusque partis consensu (*b*).

CCXXIV. At enim Xaverio prudentia quædam cœlestis erat; Guaranicus autem Curio & errare poterat, & locum dare justis Indorum querelis. Hoc verum est: atque ut malo ejusmodi obviam iretur, Præfectus sociorum (quem vocabant superiorem Missionum) oppida frequenter obibat, ac siquis oppidanorum quicquam de Curione suo queri vellet, audiebat eum seorsum, & si quidem pro illo ratio & veritas facerent, contra Curionem pronunciabat, & remedium, pro longo usu rei Guaranicæ, quo erat ipse excercitatus, opportunum adhibebat.

CCXXV. Præterea tertio circiter quoque anno totius provinciæ moderator oppida illa lustrabat, ut gesta ipsius Præfecti, Curionumque recognosceret, statue-

---

(a) *Part. III. t. 4. leg. 23.* Jueces avenideros son de dos maneras *&c. Videsis Thomam Sanchez in Decalog. lib. VI. cap. 13. n. 66. & 67.*

(b) *Daniel Bartoli* dell' Asia *lib. V. pag.* 425.

tueretque, (ſalvo Antiſtum jure) quæ pro credito illis animarum miniſterio, aptiora ei videbantur. Ne vero id temere faceret, cogebat unum in vicum quotquot Patrum, ſine commiſſæ curæ neophytorum detrimento, adeſſe poterant, communicatiſque, inter ſe conſiliis, quæ vel jubenda, vel corrigenda eſſent ad ſpirituale temporariumque Indorum bonum deliberabant.

CCXXVI. De Medicis (quoniam quid de his ſentiat Plato ſupra docuimus) dicam brevi. In ſingulis oppidis quaterni ſenive Indi id muneris tractabant. Iis (appellabant *Cruciferos* ob Crucem, quam in extrema baculi parte ferebant) cura erat ægros inviſendi, monendique Curionem bis quotidie de illorum ſtatu, & ſiquis forte recens decumberet, ut Sacramenta, & alia Eccleſiæ ſubſidia mature deferret. Cubantes autem Curio ipſe, vel ejus collega frequenter adibat, ut ad virtutum excercitationem eos hortarentur; & audirent, ſi denuo confiteri peccata vellent.

CCXXVII. Interim Curatores illi (*a*) medicinam gratis faciebant ex natis ibi herbis ſalubribus, quæ multæ ſunt, & quarum vim explicarunt ſcriptis Guaranicis Jeſuitæ quidam hujus rei intelligentes. Quod ſiquid præterea cuperent Medici, petebant ab domo Curionis, qui in hunc uſum nonnulla ſibi comparabat. Ceterum inter Guaranios morbi non multi ſunt; ac niſi letales puſtulæ idemtidem oppida depopulatæ fuiſſent, gens Guaranica binis, vel etiam ternis partibus frequentior eſſet: ſed ea lues ingentem Indis ſtragem affert, ut ſupra commemoratum eſt.

PLA-

(a) *Hi* Cruciferi *(quorum ars ab uſu magis, quam a librorum ſtudio pendebat) reſpondent (ſi parva licet componere magnis)* PARABOLANIS *illis, qui heroicis temporibus Alexandriæ; aliisque in urbibus, decreto publico, nec ſine magno præmio, ægris Chriſtianis miniſtrabant. De eis meminit Honorii & Theodoſii lex* PARABOLANI. *(Cod. lib. I. tit. III.)*

PLATO
De Legibus.

CCXXVIII. Leges, quæ virtutis urgendæ causa ferri debent, si bonæ, & justæ sint (quæ ipsius legis necessaria conditio est) omnia omnibus pariunt bona. Bona autem duplicia, inquit, sunt, divina alia, alia humana, dependentque humana a divinis: utrorumque oportet a Legislatore rationem in jubendo vetandove haberi; ac de singulis recte & sapienter præcipi (Lib. de Repub. & de Legg. passim).

GUARANII.

CCXXIX. Instituta, quibus regebantur Guaranii, Christiana ante omnia erat lex, quæ Platonis, & omnium Philosophorum placita superat infinitis partibus, quippe multo plura aperit, & sancte præcipit de rebus altissimis, atque divinis, quam nova illa & vetus Academia, & gravis Stoa, ac tot antiquæ Atheniensium scholæ, tanta contentione, tantoque naturæ, & morum studio extundere valuerunt: erant illa hominum inventa, docta licet, & subtilia: at Evangelium Magistri Dei vox & oraculum est, gymnasiumque veræ sapientiæ.

CCXXX. Itaque legem Christianam explicabant assidue Guaranici cultores, exercebantque singulis hebdomadis (feriis II. III. IV. & VI.) Catechesi pueros puellasque. Concionabantur autem singulis diebus Dominicis de morum officiis, & laudabant cœlestium Herum (cum sacra illorum lux intercurreat) pia facta, quæ neophiti pro virili parte imitarentur.

CCXXXI. Concionem in templo habitam repetebat deinde unus e primoribus in atrio Curionis ad viros, ad fœminas vero extra illud senex quidam in idipsum designatus. Atque ego quidem legi justum volumen, quod Indus *Vazquez* dictus (nescio unde cognomen hoc illi hæserit, nam apud Guaranios cognomina Hispani-

ſpanica non ſunt, ſed ſua habent: fortaſſe ejus familia ab Hiſpano aliquo e gente *Vazquez* quædam aliquando beneficia acceperat, ob idque ita appellari cœpit) volumen, inquam, legi, quod ille elegantiſſime ſcripſit in omnes anni dies Dominicos ex iis quæ a Curione ſuo, vel ejus collega in templo audierat. Attentas nimirum concionanti aures dabat; ac ipſe dein domi memor dictorum cuncta ſtilo ſuo reddebat.

CCXXXII. Memini præſertim (placuit enim maxime) concionis in Evangelium Dominicæ II. poſt Paſcha: *Ego ſum paſtor bonus*. Pulcherrimus erat is ſermo, & explicabat Vazquez diſertiſſime, quæ ſint partes boni paſtoris in oves, & ovium in bonum paſtorem. Generatim vero dici poteſt apparere illo in volumine, quam pulchra, quam dulcis, quam copioſa, & quam elegans ſit, ſi recte tractetur, lingua Guaranica. Vazqueziano iſto libro multum ego quondam uſus ſum. Erat Indus Vazquez ex oppido Laureti.

CCXXXIII. Ceterum cum ipſemet Chriſtus Dominus aperte dixerit: *qui vos audit, me audit*, fas eſt Eccleſiæ Præpoſitis; civilibuſque Principibus leges (de his enim nunc agimus) condere tamquam adminicula quædam, & corollaria, innitentia firmo Evangelii fundamento (*aliud enim nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTUS JESUS* (*a*).) Quæ autem ſupra *angularem* iſtum *lapidem* ædificata ſint, ſtabunt immota: ſiquid vero quis ſuperſtruxerit inſtabili arenæ, ubi *deſcenderit pluvia, & venerint flumina, & flaverint venti* (*b*), tota demum fabrica corruat neceſſe eſt. Cujus rei quam multa exempla?

CCXXXIV. Inter Guaranios obſervabantur leges tum Pontificiæ e Jure Canonico, tum Epiſcopales,

---

(a) *I. ad Corinth. c. III. v. 11.*
(b) *Matth. c. VII. v. 27.*

les, quas, cum lustrabant oppida, ferebant Antistites, quorum etiam erat Curionum institutio. Parebatur item illis legibus, quas pro Indorum bono tulerunt Reges Catholici; atque id quidem constat auctoritate, qua esse nulla major potest in hac re, Philippi scilicet V. Regis publico testimonio. Audi illum: „ cum ex superioribus, inquit, Articulis (*XII. sunt*) „ atque ex antiquis, recentibusque monumentis in „ Senatu meo recognitis, & pro rei gravitate mature „ examinatis, factisque insuper certis, manifestum „ sit, nusquam in Indiis observatum fuisse jus meum „ regale, & dominium, melius quam in istis Missionibus „ (*Guaranicis*) neque regium patronatum, & Ecclesiasticam jurisdictionem, alibi sanctius in usum iisse, „ ut clare constat ex assiduis Episcoporum, Prætorumque lustrationibus, atque e cæca etiam Indorum „ obedientia, maxime cum a Prætore evocati ad tuendos fines præsto adsunt quaternum, vel senum millium „ numero, ob hæc censui dandum diploma &c. „ (approbat administrationem illam).

CCXXXV. Quæ hic laudat Philippus Rex, ut melius intelligas, explicanda quædam sunt, tibi fortasse minus nota. Martinus de Barua Prætor Paraguaycus detulit (post Bartholomæum de Aldunate) Guaranicum nomen ad Regem, atque in accusanda administratione illa liberalis admodum fuit. Philippus Rex, cum de re summi momenti, & fisci quæstu ageretur, jussit quæstionem severe fieri, legavitque an. MDCCXXXII. Joannem Vasquez de Aguero virum strenuum, & peritum juris, & Aulico clarum munere, qui navigans Bonasauras propius omnia cognosceret, referretque ad Indicum senatum. Aguerius, habita jam quæstione, retulit quid e juratis testibus deprehendisset, & causæ commentarios, quos præ se misit, secutus dein ipse est remenso Oceano, ut Regem, Senatoresque Indicos de re tota coram doceret.

CCXXXVI. Interea (ut Rex ipse ait) centum amplius annorum diplomata decessorum Regum,

 & ju-

& judicia Prætorum de rebus Guaranicis e regio tabulario prolata sunt, & diligenter excussa. Gaspar Roderius Guaraniorum patronus, priscis novisque auctoritatibus nitens, defendebat nihil in Guaranicis oppidis aut factum fuisse, aut etiam tum fieri, nisi e Regum Catholicorum testata voluntate.

CCXXXVII. Lis hæc plus decennio duravit, tanto Senatorum tædio, ut Præses senatus Indici significarit Joanni Rico, qui procurator nuper e Paraguaya Matritum venerat, satius fore quæstione ista supersedere, nec in recognoscendis tot veterum monumentorum chartis tamdiu immorari. Ad quæ ille, immo vero, inquit, optime Præses, peto quæsoque te, ut neu tu, neu Indici Senatores ab instituta cognitione desistatis, donec decretoria, & secundum jus sententia feratur; ac si quidem Curiones Guaranici peccarunt, pœnam luant; sin bene fecerint, ne (quod factum hactenus) molestia posthac afficiantur, vexenturque.

CCXXXVIII. Tandem Rex Philippus, auditis Senatorum suffragiis ad singula accusationis capita, anno MDCCXLIII. mense Decembri decretum fecit XII. Articulis distinctum, cujus summa est ea, quam paulo ante ipsius Regis verbis reddidimus. Jussit autem veterem Guaranicæ administrationis formam retineri, nihilque ex ea demi. Integrum Philippi diploma (quod longum valde est) legesis apud Cl. V. Ludovicum Antonium Muratorium in Christianismo felice (*a*); apud item Petrum Franciscum Xaverium Charlevoixium, Gallum, in monumentis Historiæ Paraguaycæ. Atque de hac quidem re satis dictum est.

CCXXXIX. Verum neque Reges, neque Episcopi vetant usquam, ne in urbibus oppidisque, addantur publicis legibus privatæ quædam institutiones, quas locorum conditio, atque usus ipse ostenderint aptas esse informandis populorum moribus. Idcirco Cul-

(a) *Christ. felic. parte II.*

Cultores Guaraniorum assidua experientia docti nonnulla inter clientes suos statuerunt, quæ conservando bono publico apposita esse cognorant: & hæc quidem consulta, sive præscripta, approbantibus, jubentibusque præpositis Provincialibus, compacta erant in librum, quæ habebant secum Curiones.

CCXL. Hunc librum (ut id obiter dicam) legit olim vir quidam clarus militia, & alter quidam, qui Theologus audire vult. Atque ut videas, quam sit hominum varia mens, & diversa voluntas; miles ille magni librum fecit, quod censuerit prudentissima ibi instituta contineri pro religiosa Curionum disciplina, & recto oppidorum ordine: Theologus, contra, id ipsum reputavit audax quoddam molimen, & equi Trojani machinam pro stabiliendo regno nescio quo. Itane vero? Miles regnum non videt, & librum probat; Theologus librum reprobat, & regnum videt? Unde tam contrariæ de una eademque re, & de uno eodemque scripto, sententiæ? Dicam quid istud sit brevi.

CCXLI. Miles militaribus oculis, quos neque livor, neque amor, neque odium in Guaranicos Curiones turbarat, librum legit, & ratus est cuncta illic recta esse & proba. Theologus bis e Societate ejectus, primum in Europa, dein in America, ardebat ira, ne dicam furore, in eos, qui semel iterumque abs se dimiserant. Hinc vidit, quæ nec miles ille, nec Aguerius, nec Philippus V. Rex (quorum supra meminimus) viderant; ac commentus est Regnum Paraguaycum, ut Curiones Guaranici invidia conflagrarent, inimicumque experirentur Jesuitæ, quem noluerunt socium & amicum. Opus est posthumum, diciturque auctor vicinus jam morti illud judicio cujusdam religiosi viri permisisse; sed vir ille gravis nihil potuit facere, liber enim ex scrinio, quod indicarat æger, sublatus jam raptim fuerat, ad editionem scilicet (a).

(a) *Continuator, & interpres latinus Petri Fran. Xav. Charlevoixii Galli respondet sigillatim ad objecta scriptoris hujus pro Regno Paraguayco. Edit. Venet. an. 1779. a p. 579.*

CCXLII. Ceterum haud licebat Curionibus Guaranicis novos mores, præterquam consensu receptos, contentosque illo institutionum libro, inducere: qua re factum est, ut uno modo omnia oppida administrarentur, & rectus ubique locorum constaret ordo sine veteris disciplinæ mutatione, quam tantopere oderat Plato, ut dictum est. Quod si morosior quispiam ad ista ipsa privata instituta auctoritatem publicam requirat, haud ea caruerunt Curatores Guaranici, & præfecti Provinciales.

CCXLIII. Quippe Paulus III. Pont. Max. Indicis Soc. operariis concessit, *ut in provinciis remotissimis possent Ecclesias, Hospitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit erigere; ac nunc, & pro tempore erecta reformare . . . . & quæcumque statuta, & ordinationes desuper necessaria facere, illaque postquam facta fuerint, mutare, alterare, ac illis addere, & detrahere* (a). Id Pontifex Maximus. Et Rex Catholicus concessionem ejusmodi Jesuitis factam pro Indorum sacris coetibus, sive Ecclesiis (alii *Reductiones*, alii *Doctrinas*, alii *Missiones* vocant) authentico diplomate ratam habuit (b).

CCXLIV. Fructus autem ex observatis publicis legibus, & privatis institutionibus, is fuit, ut Guaranii, ex quo illic radices egit Christiana Religio, numquam eam abjecerint, neque aliquod XXX. oppidorum contra aliud conjurarit; sed neophyti omnes inter se fratrum instar amarunt semper, foveruntque mutuis officiis. Quod si tyrannicum (ut obtrectatores administrationis illius volunt) imperium illud fuisset, qua fieret ratione, ut centum quinquaginta annorum (eoque amplius) spatio, conquiescerent misera mancipia (sic enim Guaranios vocat Pavvius) neque quemquam Curionum occiderent, aut male mul-

---

(a) *Paulus III. P. M. Constit.* Licet debitum. 18. *Oct. an.* 1549.

(b) *Philippus III Rex Cath. diplomate dato in S. Laurentii 5. Septemb. an.* 1620.

mulctatum fustibus extra fines suos abigerent? Atqui horum accidit nihil, postquam Rochi Gonzalez, Alphonsi Rodriguez, Joannis del Castillo, & Christophori de Mendoza nece institutionis Guaranicæ initia quodammodo consecrata sunt. Exinde omnia illic tranquilla, & quieta fuerunt. Plato suæ illi Reipublicæ, quam vocat divinam, tantum boni tribuit, ut vix timeat oriturum ibi tumultum aliquem, seditionemve, eo quod paternum imperium, quo nullum est justius, & dulcius, in cives suos inducere studuerit.

CCXLV. Idem Plato in rem nostram sapienter dixit: sicui in bene morata civitate (ubi vigil magistratus coercet sontes vi & pœnis) multa fuerint manicipia, tutum, dum ibi morabitur, illum fore ob supplicia, quæ male agentes manent. Sin autem in desertum aliquem locum, inquit, secesserit cum mancipiis, nihil non ei timendum est, libertatis enim amore conjurabit servum pecus, atque ablato publicæ potestatis metu, jugum excutiet, herumque destituet, aut etiam occidet. Audin, Pavvi? Hoc si tibi philosophandi genus placuisset, aliter sensisses de Guaraniis in avio positis loco, & procul ab urbibus Hispanorum, qui eos armorum, & mortis metu a seditione, maleficiisque coercerent.

CCXLVI. Mancipia erant, ais. Esto. Cur igitur numquam in inermem, imbellemque Curionem rebellarunt? Qua dic arte magica senex Sacerdos terna, quaterna, sena Indorum armatorum millia, quot in oppidis quibusdam erant, continuit, ne & ipsum, & ejus collegam solos in sola domo, telis, contis, sudibus conficerent? Non confecerunt autem; filii igitur, non mancipia: sic enim fit, Pavvi, ut patri, vel si in vasta solitudine degat, nihil a numerosa prole metuendum sit: pater est, liberos amat, & alit; ac liberi vicissim patrem colunt, reverenturque. Nobilis quidam Hispanus, cum versatus diu esset inter Guaranios, attenteque observasset, nullam toto die partem quietis esse Curioni satagenti qua spiritualis, qua

temporarii clientium suorum boni, hæc cum serio apud se reputasset, dixit tandem: non Indi, Curionum mancipia sunt, sed Curiones, Indorum.

PLATO

De recta disciplina.

CCXLVII. Disciplina civitatis firma sit necesse est, si e positis legibus, inter bona divina, suus Deo constet cultus cum pia sacrorum procuratione; inter bona autem humana, si magni a civibus fiat pietas in parentes, & patriam, si sedula, & vigil sit liberorum educatio, si prudens est, casta nuptiarum provisio, si mutuus civium amor, si assidua officiorum communio, si rei suæ civium singulis justa possessio, si frequens exercitatio operum, quæ ab studio virtutis, & recta ratione proficiscuntur. Hæc si recte se habeant, recte sit Reipublicæ necesse est.

CCXLVIII. Et quoniam optimus urbium status a recta puerorum, & adolescentium institutione pendet, ea erit probatissima omnium disciplina, quæ innitatur honesta morum consuetudine, atque æqua animi habitudine erga voluptates, doloresque, ita ut ab initio crescentis ætatis ad mortem usque oderit quis, quæ odium merentur, & amet, quæ amore digna sunt.

CCXLIX. Id unum est, quod viros probos, & fortes efficit, & utiles Reipublicæ; qui autem contrariæ horum insistunt viæ, magnum sibi malum parant. Sane ruina, ait? Medorum imperii, & Persarum, orta est ab educatione plena licentiæ, qua Cyrus, & Darius liberos suos institui passi sunt, ille Cambysem, hic Xerxem, quorum uterque nimia rerum affluentia, immodicisque deliciis, a pueritia corruptus est. (Lib. III. V. &c. de Repub. & II. III. &c. de Legg.)

GUARANII.

CCL. De Guaraniorum disciplina multi multa. Cl. V. Canonicus Bergier Gallus, eruditis ac doctis pro Religione clarus libris, in eo, quem inscripsit:

Cer-

Certitudo probationum pro Christianismo, producit, (*a*) testimonium Comitis Buffonii de recta Guaraniorum disciplina. " Missiones, ait, plures e belluis
„ homines effecerunt, quam victores Principum,
„ exercitus, qui eas armis subjugarunt. PARAGUAYA
„ haud aliter in deditionem voluntariam concessit.
„ Dulcedo, caritas, virtus constanter exercita a Mis-
„ sionariis, barbaros sensim delinierunt, ab eisque
„ pepulerunt diffidentiam, ferociamque. Sua illi spon-
„ te stiterunt se se petitum sæpe, ut legem doceren-
„ tur, quæ adeo institutioni hominum confert, am-
„ plexique ultro ejusdem legis onus, & jugum, in
„ vitæ societatem coaluerunt. Quapropter nihil Re-
„ ligioni gloriosus est, quam ab ea mites effectas ci-
„ vilesque gentes ejusmodi (*b*)? „

CCLI. Hæc e celebri Buffonio Cl. Bergier. Sed idem alibi (*c*) egregie pugnans pro Religione demonstrat quantum ex hac generatim derivatum boni sit in ethnicos, vindicatque ab Hæreticorum calumniis sacros Novi Orbis operarios cum aliarum provinciarum, tum Guaranicæ regionis, laudato eorum zelo ac sollicitudine pro amplificando JESU CHRISTI regno. Ne autem rem istam studio partium urgere videatur, appellat vel testem, vel judicem, martialem Philosophum Ladouceur (*d*), qui converso in stilum, & calamum gladio stat acriter pro cultoribus Guaranicis, ejus argumenta, quæ Bergier in medium affert, sunt sex, e quibus ego bina dumtaxat delibabo.

CCLII. Si Germani, inquit Ladouceurius, Sacerdotes (idem dic tu de Galliis, de Italis, de Hi-

(a) *Parte II. c. X. §. III.*

(b) *Buffon Histor. nat. tom. VI.*

(c) *In nova Encyclop. tom. I verb.* America. *artic.* Theologia.

(d) *De l' Amerique & des Americains. edit. Berlini an. MDCCLXXI.*

ſpanis) non zelo Religionis, fideique Catholicæ cauſa, ſed ut opes cogerent, quas in aliorum uſus Romam mitterent, navigabant in Americam, amentiſſimi omnium hominum, experteſque ſenſus communis fuiſſe dicendi prorſus ſunt. Quid enim? Objectabant ſuum illi caput ſæpe apertis mortis periculis; nullam habebant in oppidis quietis partem; magiſtri erant; Catechiſtæ erant; paſtores erant; & Indorum bona partim ſpiritualia, partim temporaria, non intermiſſo uſquam labore, procurabant. Illis autem vel aulam fuiſſe, vel luxum, vel regia commoda, vel veſtem magnificam, ne adverſarii quidem eorum dicunt (*a*).

CCLIII. Miſeram igitur Guaranici cultores, operarii vivebant vitam, idque pro Europæis Jeſuitis (ſic enim ferunt) ditandis. At id, quæſo,

---

(a) *Pace bic Philoſopbi Ladouceurii dixerim, non deeſſe, qui magnificentiam regiam, atque exquiſitas delicias Curionibus Guaranicis attribuunt. Gallicus liber (editus an. 1712.) ſic babet: Presbyterium (ideſt Curionis ædes) Aularum magno numero diſtinctum eſt cum aulæis, & fictis, pictisque ſimulacris. Preſtolantur foris oppidani egreſſurum Curionem, qui eos audiat. Amplæ illic apotbecæ, in quas Indi laboris ſui fructus inferunt. Reliquam domum atria valde multa occupant, & viridaria, & famulorum conclavia. Quæ quidem omnia complectuntur ſpatium ſexaginta jugerum, ſive ſex millia perticarum quadratarum, muro undique circumducto. Hæc liber ille.*

Et tu ad bæc quid Ladouceuri? An non id totum regium eſt? non luxus? non dignus Craſo apparatus? non domus voluptuaria? Enimvero non palatium modo, ſed urbem pro æde dicendus eſt babuiſſe Curio Guaranicus. Sed Gallum fabulatorem omittamus.

Illud ſcio (& olim præſens vidi) in æde Curionis Guaranici nullas fuiſſe aulas, nulla picta fictave ſimulacra (ſi quaſdam excipias Divum imagines rudis operis appenſas in cubiculo ad excitandam pietatem) nullum viridarium, ſed bortum unum pro colendis oleribus, nullas famulorum cellas, cum non alius Indorum, quem ſenex jam

ſo, quis credat? quid veri habet ſimile? Neminem certe illorum redire vidimus in Germaniam, qui, poſt hauſtas tot ærumnas, otio hic & partis divitiis frueretur; novimus neminem, qui vel auri lamellam e Paraguayca regione ſecum attulerit. Quam vero diverſa ratio inſtitoriæ ſocietatis Anglicæ in Oriente Curatoribus? Hi poſtquam aliquot annos ſua, & ſuorum, inter Indos negotia geſſerunt, properant tempeſtive in Angliam reverti, ut cum pleno ſuo illo peculio domi ſuæ tranquille, delicateque vivant. Reliquum ergo eſt, ut Guaranii Sacerdotes vel ſtolidiſſimi omnium mortalium fuerint, qui ad alios locupletandos immania mala perferrent, vel ut mero divinæ gloriæ ſtudio, & ſalutis alienæ deſiderio, illuc navigaſſe, & inter rerum aſpera neophytos ſuos inſtituiſſe cenſeantur.

CCLV.

---

nitor, ibi habitaret, & dormiret, nullam ſuperiorem contignationem, cum omnia plano ſolo inædificata eſſent, nullum murum præter maceriam horti, & parietem, qui Curionis atrio prætentus erat inſtar clauſtri domus religioſæ, ne cui fœminæ illuc aditus pateret.

Atria erant duo, unum pro Curionis, & ejus collegæ, hoſpitumque cubiculis, sex unoquoque ulnarum, a pro gymnaſio Muſicorum, & apotheca, qua fructus agri communis (non prædii, quod ſibi patresfamilias colebant) condebantur in uſus publicos. Atrium alterum continebat fabrorum officinas, & pars ejus erat pro macello, ubi bubula viritim dividebatur ex oppidi armento. Horum autem ædificiorum ſimul cum horto ambitus (quoad ejus recordari poſſum) erat octoginta ulnarum circiter. Appello teſtes viros illos religioſos, qui illic nunc habitant. En tibi quo reciderunt ſexaginta illa jugera, ſive ſex millia perticarum quadratarum *impoſtoris inepti*,

Cl. Bougainville certam menſuram non ponit contentus dicere domum Curionis vaſtam eſſe. Sitne vaſta jam ſatis explicui. Illud addit ridicule: Curionem ſemper foras egredi equo & magno comitatu? Quid? Egrediturne Curio ad inviſendos ægros, & ad Sacramenta admini-

CCLIV. Alterum argumentum Ladouceurii Philosophi est. Si Curionum Guaraniorum gubernandi modus erat autocraticus, durusque & tyrannicus, qua factum est causa, ait, ut barbari recens e silvis educti, assuetique nativæ libertati, eos patienter tulerint? Cur in nota latibula non refugerunt excusso jugo? Certe Æthiopes, abrepti in servitutem, circumspiciunt undique fugam, subducuntque se se, si possunt, ab eos abducentium manibus. Et vero Curionibus illis nullus erat Europæorum exe[illegible]s, qui Indos, si tumultuarentur, contineret. Hæc miles Philosophus, cujus cetera argumenta de hac [illegible] idesis loco, quem diximus, novæ Encyclopædiæ.

Quid de Guaranica disciplina senserit Philosophus Raynal.

CCLV. Philosophus is in suis illis de Indico commercio libris non poterat non meminisse Guaraniorum, quandoquidem his una cum Hispanis Paraguayensis *Herbæ* mercimonium est. Bene autem factum, quod ho-

---

stranda, etiam equo? Egreditur etiam equo ad vicina op-pido sacella? Immo vero & Curio, & ejus collegæ [illegible] semper pedibus ferentes manu baculum, cui Crux [illegible] erat, nisi si quando longum iter susciperent. Quænam [illegible]ro fuit illa magni comitatus *pompa? Dicam: cum ad [illegible]des Indorum eundum erat Curioni, vel ejis collegæ, pro sacro ministerio (alia causa non ibant) binos afferebant secum comites alterum, cui ægrorum cura erat, alterum ex æditiis. (Soli enim nunquam domo egrediebantur, ut religiosos viros decet.) Sin autem peregre proficiscendum duo item Indi, etiam ipsi equo vecti, Curionem, vel ejus collegam comitabantur.*

Atque hinc satis conjici potest quam recte posuerit auctor Moralis Practicæ (tom. III. pag. 67.) ædem Curionis Guaranici esse arcem munitissimam. *Præclara profecto, & eximiæ artis arx, quam Sacerdos unus, & ejus collega, & senex Indus Janitor, tria capita, contra sex Indorum armatorum millia noctu defendebant.*

homini ſupra quam credi poteſt libero, audacique, ſtomachum non moverint Curiones Guaranici. Stomachum moverint dixi? Immo vero miris eos effert laudibus præſertim ob inſtitutam bonorum communionem, quæ proxime, inquit, accedit ad auream naturæ ſimplicitatem. De reliquo adminiſtrationem illam vocat *THEOCRATICAM*, nec male id quidem, ſi eo nomine intelligit timore DEI, & amore, Indorum animos ad virtutis cultum, civilemque diſciplinam, excitari ſolitos a Curionibus, eorumque collegis. Sane nihil ibi frequentius audiebatur, quam Dei nomen, Dei ſanctitas, Dei lex, & legem ſervantibus Dei præmia, violantibus autem pœnæ a Deo. Illum ipſum agrum communem, unde viduis, & ægris, puerisque victus curabatur, appellabant Indi *TUPAMBAE*, Dei rem; ſingulorum vero privatos agros *ABAMBAE*, hominis rem, ut ſupra docuimus (*a*).

CCLVI. Erat igitur quodammodo *THEOCRATICA* Guaraniorum adminiſtratio, ſive diſciplina. Hanc vidit, & probavit Ill. D. Joſephus de Peralta Ordinis Prædicatorum; Adiit ille pro munere an. MDCCXLI. oppida ſuæ diœceſeos Bonaurenſis. Exin datis ad Philippum V. Regem litteris VI. Idus Jan. an. MDCCXLIII. ſic narrat, præter alia: „ e triginta his Doctrinis XVII. pertinent ad hanc diœceſin Bonaurenſem, XIII. ad Paraguaycam. Cum „ luſtraſſem jam oppida omnia meæ ditionis, ivi ad „ adminiſtrandum Sacramentum Confirmationis in aliquot oppida diœceſeos Paraguaycæ, cum id a me „ petiiſſet collegium Canonicorum illius Eccleſiæ, Sede vacante . . . Dicam quæ vidi oculis meis, ac manibus meis contrectavi . . . . Mœrens inde diſceſſi, „ &

(a) *De* Tupambae, *&* Abambae *Guaraniorum diſſerit Cyriacus Morellius, eique rem melius explicat, quod inter ipſos Guaranios olim verſatus ſit.* (De Rudim. Juris Nat. & Gent. *lib. I. diſp. VIII.* §. 2.)

„ & pio animi ſenſu ſic plenus, ut quotidie gratias „ agam Deo, quod ita gentibus illis benedicat.... „ Mihi erat gaudio inexplicabili templa cernere, & „ cultum divinum, & pietatem in ſacris functionibus, & elegantiam ornatumque altarium, & magnificentiam, qua illic Deo ſacrificatur, addito ſingularis artis cantu. „ Explicat deinde minutatim, qui ordo in oppidis eſſet, agitque de *Abambae*, privatis ſcilicet Indorum agris, & de *Tupambae*, id eſt Dei agro, pro publicis impenſis, de *Herbæ* item Paraguaycæ XII. millibus *arrobis*, & refert quos in uſus expendatur pretium ipſius *Herbæ* &c. Has litteras Rex Philippus (qui earum meminit in decreto de re Guaranica) edi in lucem voluit, & ſæpe illæ typis commiſſæ ſunt (*a*). Atque hæc quidem Il. Peralta.

CCLVII. Quod ad Raynalem Philoſophum attinet, vellem reputaſſet apud ſe eam rerum Communionem, quam tantopere laudat, non ab ſolo naturæ ductu, effatiſve ſæcularis Philoſophiæ, ſed e lege Chriſtiana, ſacriſque documentis petitam fuiſſe. Nam quid nos docent *Actus Apoſtolorum* de primævis Chriſtianis? *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia ... nec quiſquam egens erat inter illos* (*b*).

CCLVIII. Hæc legerant Curatores Guaranici, atque hinc quoque hauſere illum regendi Neophytos modum, qui tribus magnis viris (præter eos, quorum ſanguine irrigatus, ut dictum eſt, ager ille lætiſſi-

---

(a) *Auctoritate litterarum Il. Peraltæ uſus noviſſime eſt Cl. V. Maximus Mangold Doctor Theologus tom. I.* Reflexionum in R. P. Alexandri a S. Joanne de Cruce Carmelitæ excalceati continuationem hiſtor. Eccleſ. Claudii Fleurii. *Pagg.* 446. 447. 448. *edit. Auguſtæ Vindelicorum an.* 1783.

(b) *Act. AA. c. IV. vv.* 32. 34.

tissimam fidei, & virtutum messem extulit) tribus, inquam, viris magnis maxime debetur Marcello Lorenzanæ, Antonio Ruiz de Montoya, & Francisco Diaz Tano.

CCLIX. Lorenzana, qui primus fuit ad Paranam gentis Guaranicæ cultor (eo missus ab Episcopo urbis Assumptionis Paraguaycæ Il. D. Reginaldo Lizarraga Ordinis Dominicani, & regio Prætore Fernando Arias (*a*) quadriennio Theologiam Compluti audierat a Francisco Suarez Doctore Eximio. Montoya præstantis vir ingenii, ac peritissimus linguæ Guaranicæ, prout ejus editæ typis lucubrationes ostendunt, Indos ad Guairam in oppida coegit. Diaz Tanius, consultissimus, Juris Hispani Indici, & sacrarum legum (extat illius M. S. *de Indo converso* sanequam doctum, & eruditum) bis ab America Matritum, & Romam venit, ut Regis Catholici, & Pontificis Maximi auxilium imploraret pro Neophytis Guaranicis (quos inter plurima egit, & passus est) contra immanium Mammalucorum maleficia.

CCLX. Ars autem pia, qua triumviri isti feræ gentis colla leniter subdiderunt suavi legis Christi jugo repetenda est (quamquam de hac re nonnihil jam supra diximus) ex iis quæ Petrus Joannes Maffejus narrat (*b*) gesta a P. Emmanuele Nobrega Lusitano, ejusque sociis, in convertendis Brasilicis Guaraniis. Pulcher locus est, & qui docet Indicos Operarios, qua ratione barbarorum animos, cum auxilii cœlestis ope, sibi concilient.

CCLXI. „ Doctrinæ, ait Maffejus, Christianæ „ capita, certasque precationes, ut assolet, Brasilice „ vertunt. Dehinc vicos, & tuguria paullatim obire, „ modestia, comitate, beneficiis obligare sibi homi-
„ nes

(*a*) *Petrus Fran. Xav. Charlevoix Histor. Paraguay. lib. VI. sub. init.*

(*b*) *Pet. Joan Maffej. Histor. Indic. lib. XV.*

„ nes omnium ætatum ; ac simul de rebus divinis „ dicere per se ad populum incipiunt . . Mirificos in- „ solita prædicatio motus animorum effecit in rudi „ tenebrisque involuta barbarie ; satisque apparebat , „ cum alia , tum præsertim , quæ de omnipotentia „ & infinitate Dei disserebantur , ingenti cum admi- „ ratione æque a viris ac mulieribus accipi . . . post „ diuturnam institutionem , qui maxime idonei ad „ baptismum evasere , vitali fonte lustrati , cumque „ unica uxore , ceteris dimissis , rite conjuncti sunt . „

CCLXII. „ Infantes primum quam plurimos in „ tutum recipere (sicui forte ante usum rationis ob- „ eunda sit dies) & salutari summi Pastoris nota in- „ signire festinant . Patres dein matresque familias „ precibus , promissis, blandimentis adducunt, ut pue- „ rilem ætatem ac sobolem sibi in disciplinam dent. „ hosce postmodum ipsos , & cibo & crepundiis pau- „ latim illectos , omni arte mansuefaciunt , nec pœ- „ nitendus fuit labor . Siquidem & tradita facile ac- „ cipiebant , & retenta fideliter grandioribus natu „ quotidianæ consuetudinis & linguæ beneficio per o- „ tium inculcabant ; & suo ipsi exemplo sensim ce- „ teros a nefariis atque impuris moribus avertebant . „ Parentes interea (ut est etiam improbis ipsa per „ se virtus amabilis) filiorum obsequio , sobrietate , „ cultu , doctrina lætari eosque ultro ad proficiendum „ accendere : ac tantus erat Christianæ institutionis „ amor , ut pii catechismi carminibus ac beatis vo- „ cibus JESU & MARIÆ , litora , campi , luci per- „ streperent . „

CCLXIII. Hæc ille , quæ , quamvis paulo lon- giora , ideo exscribere voluimus , quod non tam hic quid actum a Nobrega , ejusque sociis sit in Brasilia , quam quid egerint in Guaranica regione gentis illius cultores , describere Maffejus quodammodo videatur . Antistes fluminis Januarii (quæ diœcesis contermi- na Guaraniis est) Il. D. Laurentius Hurtado de Men- doza : „ testis sum , ait , linguæ usu Guaranicæ , &

„ gran-

„ grandi atque Apostolico zelo, & tolerantia multo-
„ rum & gravium laborum, retulisse eum (*Monto-*
„ *yam*) & ejus socios maximum cum maxima Dei
„ gloria animarum fructum in convertendis ethnicis
„ illis, quos barbaros antea & silvestres non solum
„ instituunt divina fide, sed etiam Christiana politia
„ in eximium Dei, & Regis obsequium. „ & ne solis verbis, sed factis ipsis rem hanc probet, addit se se præfecisse in officina quadam saccari Brasilicis operis neophytum unum e discipulis Guaranicorum Sacerdotum, qui ceteros dulci illi labori addictos mysteria Religionis edoceret (*a*).

CCLXIV. Igitur administrationis Guaranicæ auctores valebant ingenio, valebant animi eruditione; sed non tam vis, & industria artis humanæ, & scientiæ (quamquam & hæc magni facienda est operariis Indicis) quam lux Evangelii, dux eis & fax fuit ad mirabilem illam regiminis formam stabiliendam. Ita, Raynal, est, e Christi doctrina præceptisque bonum publicum petendum est, non e recentium Philosophorum (quorum tu unus es) commentis pestilentibus.

CCLXV. Quippe Evangelium politicæ felicitatis (qui finis est societatis civilis) firmissimum præsidium est, adjectis ab eo fabricæ legis naturalis per se imbecilli novis eijsdemque validissimis munimentis, & propugnaculis, quæ ab hominum cœtibus arcent; quidquid turbare potest rectum rei communis ordinem. Atque is quidem ordo id exigit, ut tales sint cives, quales esse debent erga Deum, erga se ipsos, erga socios, quibuscum vivunt, quæ tria perfectam hominis vitam & conditionem continent. Ecce hic tibi summam doctrinæ Christianæ, cui si applices docilem & humilem animum (nam *sapientia quæ de sursum est* non revelatur superbis sed *parvulis*) disces profe-
cto

(a) *In approbatione Gramatices, & Lexici linguæ Guaranicæ editi a P. Montoya an. 1640. Matriti.*

cto nihil omiſſum in divina evangelii inſtitutione, quod urbes beatas efficiat.

CCLXVI. Paſſim ibi magiſter Deus concordiam & pacem civium prædicat (*beati pacifici* (*a*). *Pacem habete inter vos* (*b*) paſſim manſuetudinem, qua fit, ut cum aliis pacifice vivamus (*beati mites*)(*c*) paſſim miſericordiam, qua ſine manſuetudo ſterilis eſt (*beati miſericordes*) (*d*) paſſim recti & æqui amorem, quo & a malo abſtinemus, & bonum ſequimur (*beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam* (*e*) paſſim tolerantiam in flebili ac adverſa rerum ſorte ne deſperemus, paſſim tranquillitatem animi in paupertate, ne fracti calamitatibus, & cupiditate diteſcendi, alii ab aliis, boni publici damno, disjungamur (*beati, qui lugent: beati, qui perſecutionem patiuntur: beati pauperes ſpiritu* (*f*).

CCLXVII. Quam vero diligenter conſulit in Evangelio Chriſtus ſingulorum bonis, & ſecuritati! (*non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices* (*g*). Quam ſollicite urget, ut ſuum cuique ſtatim reddatur? (*eſto conſentiens adverſario tuo cito... non exies donec reddas noviſſimum quadrantem* (*h*). Quam ſtudioſe pactis cavet? (*quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo* (*i*). Quam enixe commendat ſinceritatem & candorem in agendo, ne Reſpublica mendaciis fraudibuſque turbetur? (*ſit ſermo veſter eſt, eſt: non, non* (*l*).) Quam aperte uſuram, & fœnus vetat, ut turpe lucrum reſecet? (*mutuum date, nihil inde ſperantes* (*m*).

CCLXVIII.

(a) *Matth. c. V. v.* 9. (b) *Marc. c. IX. v.* 49.
(c) *Matth. c. V. v.* 4. (d) *Matth. c. V. v.* 7.
(e) *Matth. c. V. v.* 6. (f) *Matth c. V. vv.* 1. 5. 10.
(g) *Matt. c. XIX. v.* 18. (h) *Matth. c. V. v.* 25.
(i) *Matth. c. V. v.* 41. (l) *Matth. c. V. v.* 37.
(m) *Luc. c. VI. v.* 35.

CCLXVIII. Quam idem nos ſevere revocat a nocendo, ut non manus ſolum ab injuria temperemus, ſed oculos etiam a libidine (*omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt* (*a*), & aures ab obtrectatione, & linguam a conviciis, & contumelia (*qui dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio, qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis* (*b*)) & a verbis etiam otioſis, quæ nec loquenti proſunt, nec audienti (*omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*) (*c*) & mentem a temeraria ſuſpicione, & cor a pravis deſideriis (*a corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ; hæc ſunt, quæ coinquinant hominem*) (*d*). Quam ſancte & provide caſtas ac ſtabiles eſſe nuptias vult; ut rem, & bona, & educationem prolis, aucturæ civitatem, firmet? *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, &c.*

CCLXIX. Ad hæc, quam ſtricte jubet, ne læſi lædamus, ſed potius lædentibus bene ultro faciamus? Quam crebro denunciat, ut detentis carcere, ut eſurentibus, ut ſitibundis, ut ægris, ut peregrinis, ut nudis opitulemur? Quam graviter inculcat liberis amorem & obſequium in parentes, ſervis obſervantiam & fidelitatem in heros, Regi ſubditis, & Principi obedientiam, & venerationem in Regem, & Principem; divitibus liberalitatem in pauperes, omnibus denique cultum, & pietatem, & religionem (ſine quibus civilis ſtatus ſtare non poteſt) in Deum, idque verbis adeo planis, atque ita appoſitis ſimilitudinibus exemplisque, ut vel infima plebs quid præcipiatur intelligat. Quo autem cuncta civium in cives officia generatim complecteretur, ea velut in com-

 pen-

(a) *Matth. c. 5. v. 28.* (b) *Matth. c. V. v. 22.*
(c) *Matth. c. XII. v. 36.* (d) *Matth. c. XV. vv. 19, 20.*

pendium redegit brevi hac ſententia: *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc eſt enim lex* (*a*). O lex? o divina lex, quæ hominum civitates cœleſtium civium beatæ Reipublicæ ſimiles reddis?

CCLXX. Adde huc, quod doceamur in Evangelio veræ virtutis naturam cum ſpe certa æterni præmii, ſi pii, & juſti fuerimus; cumque minis inevitabilibus pœnæ æternæ, ſi injuſti, & impii. Adde, quod oſtendatur illic nobis, quaſi intento digito, quid ab ira, quid a ſuperbia, quid ab ambitione, quid ab impudicitia, ceteriſque animi peſtibus timere debeamus, propoſitis ſimul in ſingula horum vitia opportuno remedio, & prudenti cautione. Adde, quod internam opem, & valida e cœlo auxilia det omnibus Chriſtus ipſe ad implenda ea, quæ jubet, atque id quidem nemini præſtare poſſunt legislatores alii. Adde demum, quod certa inibi aperiatur via, reſeraturque modus, quo, ſiquis peccarit, amicitiam divinam recuperet, eaque recuperata, melior & ſibi, & aliis civibus fiat. Philoſophi, utpote profani legis naturalis interpretes, cum quid culpæ quis admiſerit, in media illum veniæ deſperatione deſtituunt, neque quidquam ſuggerunt, quo admiſſa deleat, & reſurgat a lapſu. Ergo Reſpublica deſperatis reis plena erit; reſipiſcentibus, ſpe impetrandæ veniæ aſylum non erit.

CCLXXI. Explicui, Raynal, quæ ſit vera THEOCRATIA. Hæc eſt una, quæ Rempublicam juſtam, & tranquillam, & felicem reddit: neque alia fuit opus lege, & doctrina, ut populos illos Guaraniorum a barbarie ad civilem cultum, a licentia vitæ ad pudicos mores, a deſidia inerti ad laborem, & curam agri, a ſilveſtri & ferino victu ad humaniores epulas, a belli furore ad pacis otia, a vago errore ad ſedem ſtabilem, a connubio incerto ad cer-

(a) *Matth. c. VII. v. 12.*

certas nuptias, a rudi consuetudine ad artes utiles, ab inscitia rerum omnium ad cœlestem sapientiam, a Satanæ servitute ad Christi libertatem lenibus officiis, & divinæ opis præsenti auxilio, traducerent præcones divinæ philosophiæ.

CCLXXII. Restat, ut ab Raynali me tandem expediam, singulare ejus de administratione Guaranica argumentum expendere. Casu scripsit de oppidis illis sub ipsum jussi exilii tempus. Norat cultores Guaranicos ab aliis dici Regis Catholici jura fideliter tueri, & augere; ab aliis contra, non Regis, sed suam eos rem agere, & quæsisse sibi clandestinum quoddam regnum. Atqui adest, inquit, jam dies, qui ostendet palam, utrum istorum de illis judicium verum sit. Si jussi illinc abire Jesuitæ, parent, abeuntque pacifici, neque Indos ad arma instigant; bene est: fideles erant, curabant rem Regis, non suam. Sin autem abitioni resistunt, & oppida turbant, & vim parant; perduelles erant, curabant rem suam, non Regis, regnum usurparant.

CCLXXIII. Non quæro, Raynal, quæ, & quanta huic tuo argumento vis insit: poterant siquidem sine ulla Curionum culpa Guaranii tumultuari, illorumque exilio obsistere, neque audire suadentes otium, quantumvis aliis illos in rebus revererentur, & amarent. Nam quoties in Europa plebs, & mobile vulgus, mota seditione, virorum gravium, & Sacerdotum, quos ceteroqui diligit, consilia & monita de debita Principi obedientia, respuit, & pergit insanire?

CCLXXIV. At stemus, Raynal, præsagitioni isti tuæ philosophicæ. Arbiter tu ipse sis, & judex. Et ne diutius animi pendeas, scito Curiones Guaranios nihil omnino exilium impedisse, totumque annum (quod nusquam in ceteris Hispani imperii provinciis tum accidit) postquam lex illa lata est, hortati Indos sunt qua privatim, qua e loco superiore, ut quiescerent, ut se se voluntati Regis submitterent, & omnia, mutatis etiam Parochis, sperent. Sic est.

Franciſcus Bucarelius duodecim ipſos menſes diſtulit (Laurentius illum Balda Sociorum Guaranicorum præfectus ardentibus litteris nequicquam ſtimulabat, ut veniret, ut ſe ſe quam primum, & ſuos cura liberaret) diſtulit, inquam, Bucarelius ex oppidis Curatores evocare, & alios ſecundum voluntatem Regis ſubmittere. Totum vero iſtud tempus impenſum eis eſt in Indorum parandis animis, donec tandem adfuit Bucarelius ipſe, ac, nemine contra hiſcente, abierunt illinc, datis ſucceſſoribus, Jeſuitæ. Tu, Raynal, hinc, quod malis infer; niſi forſan annuum ſpatium nimis breve fuiſſe exiſtimaris ad concitandos Neophytorum animos, omneſque aditus occludendos, ne inde Curiones amoverentur.

Alia aliorum judicia de diſciplina Guaranica.

CCLXXV. Gallus quidam ſcriptor, *ſiquis eſt*, ait, *felix populus, is non alibi quam in Paraguaya eſt. Indutus, nutritus, apte occupatus, & re præſenti contentus, debetne Indus ſolicitus eſſe, quid ſuperfluo fiat* (*a*)? Verum ſi auctor is, partium liber ut de ſe ipſe profitetur, contentos ait Guaranios re preſenti, quaſi nihil privati habuerint patresfamilias, rem plane ignorat, nam *Abambaæ* proprium uniuſcujuſque prædium erat, cujus fructum ſibi & ſuis ſervare in poſterum poterat. Sin autem quærens *quid ſuperfluo fiat*? intelligi vult poſt impenſas ex *Tupambae*, ſive agro communi, in ægros, & viduas, & pueros, & neceſſaria inſtrumenta in oppidi uſus, *ſuperfuiſſe* aliquid; errat rurſus, nihil enim ſupererat, & aliquando etiam deerat.

CCLXXVI. Rectius rem explicat anonymus Anglus, qui librum edidit de *Paraguayæ rebus* (*b*). Hic,

---

(a) *Hiſtor. Impartiel des J. MDCCLXVIII. A. S. M. le Roy de Pruſe.*

(b) *Converſus eſt is liber in linguam Germanicam, & recenſus Hamburgi an.* 1768.

Hic, desipimus, inquit, Europæi, cum Curiones Guaranicos reprehendimus. Cur vero? quia nobis optanda est potius sors illa, quæ sine ulla vi, ullisve impendiis, Guaraniorum genti contigit. Eorum in oppidis singuli laborant pro omnibus, & omnes pro singulis. Non vendere, non emere opus illis est, & tamen unicuique nec ementi, nec vendenti cuncta ad manum sunt, ut commode Vitam toleret: suppetit nimirum cibus ipsis, & vestis, & domus, & animi institutio, & medicina corporis e publico. Europæi, si pecunia desit, deesse sibi omnia rentur, & dolent: at Guaranii (quamvis illis aurum, argentumque non sit, & numis careant) quotidie usu sentiunt illud priscis dictum: *dii laboribus omnia vendunt*. Pro sexus, & ætatis, ac virium conditione, laborant; numquam tamen labore opprimuntur. Nesciunt delicias, neque assuunt rebus supervacaneis; sed non propterea fit, quin tam illi beati sint, quam nostrum opulentissimi. Quippe felix, non cui multum est, sed cui parum satis est. Hæc Guaraniorum conditio.

CCLXXVII. Sic ille, qui fortassis eo res Guaraniorum melius, quam alii, norat, quod Angli ob diuturnam commorationem Bonisauris (ubi permissu Regis Catholici ædes, & collegium institorum habuerunt pro vendendis Nigritis) Guaranios illuc sæpe descendentes viderint, & quæ apud eosdem esset disciplina, ab Hispanis, qui pagos illos adierant accuratius didicerint.

CCLXXVIII. Hallerius, qui magnum sibi in republica litteraria nomen peperit, non modo instituta Guaranica eximie laudat, eaque componit cum aureo felicis ætatis sæculo ob miram incolarum æqualitatem, bonorumque communionem. Sed etiam disciplinæ illius auctores vindicat ab obtrectatorum querelis (*a*). Montesquieus autem suo illo in opere de

 na-

(*a*) *Traite sur divers sujets interessants de politique & de morale §. III. pag. 120.*

natura, & ratione legum, Guaraniorum vivendi modum magnifice commendat (*a*).

CCLXXIX. Quid multa? Recentiſſimum (ne te aliis onerem) teſtimonium accipe. Antonius Fridericus Buſchingius quinis (non minus) paginis amplæ formæ de origine progreſſuque Guaranicorum oppidorum differit, ita narrationem orſus (*b*): *Paraguaya* adeo in Europa celebris ob tantam viciſſitudinem illorum Jeſuitarum, de quibus tot fabulæ & ſparſæ, & creditæ hoc extremo ſunt tempore...... Pergit inde & meminit *Regis Nicolai*, cujus nomine inſcriptum vidiſſe ſe nummum ait, additque commentum hoc tale eſſe, ut aliquando Europæis pudori futurum ſit advertiſſe aures tam impudenti ineptæque calumniæ (*c*).

CCLXXX. Quod porro ad initia attinet quæſitæ illius gentis opus fuiſſe ait & Martyrum conſtantia, & Angelorum patientia in educendo e ſilvis, & retinendo, inſtituendoque inconſtantis ferique populi grege. Quid vero fieret in oppidis fuſe dein narrat, & de diſciplinæ genere non dubitat dicere neophytos Gua-

(a) *L' eſprit des Lois. cap. VI. pag. 40. & 41.*

(b) *Novæ Geograghiæ tom. XXXIII. edit. Venet. apud Ant. Zatta. an.* 1781. *Art.* Governo de Buenos Ayres. §. Paraguay.

(c) *Adeo famoſus fuit* NICOLAUS I.: *ut Ripert de Monclar Procurator generalis Aquenſium Conventus, ſive Parlamenti, in Scholiis ad ſuam contra Jeſuitas actionem (Nota XXXVI.) non dubitarit aſſerere, novi iſtius Regis Paraguayci potentiam eo deveniſſe, ut ſi tres quattuorve annos firmare opes ſuas ſineretur, verendum eſſet, ne omnes ille Europæ Principes e ſolio deturbatum veniret. Riſum teneatis amici. Immo vero lacrymis digna res eſt. Bonus procurator docebat Aquenſes de periculis numquam futuris e Novo Orbe. Atqui multo ille melius eoſdem monuiſſet de imminente jam jam totius regni Gallici occaſu, & ruina, idque non a Nicolao I.*

Guaranicos a Curionibus regi ſolitos, ut pater filium regit, ut magiſter docet diſcipulum. Sed eo lapſus Buſchingius eſt, quod autumet fuiſſe Indorum numerum, cum illinc exacti ſunt Jeſuitæ, ad trecenta millia, quam ſummam poſuit etiam Argonauta ille Bougainville, qui minus errare debuit, quandoquidem Boniſauris rem noſſe facilius potuit; edidiſſent enim illi, ſi rogaſſet, Regii quæſtores e tabulis vectigalium publicis verum Guaraniorum cenſum, qui anno MDCCLXVII. ad centum millia capitum non aſcendit. Sunt & alia quædam, quæ corrigas, in Buſchingiana deſcriptione. Id tamen auctori tam longe ab America ſcribenti benignius condonandum eſt.

CCLXXXI. Dicet hic mihi forte quiſpiam: laudatores rerum Guaranicarum profers, vituperatores non profers. Numne nulli ſunt? Immo ſunt fere innumerabiles, præſertim extremi temporis, cujus meminit paulo ante Buſchingius, poſtquam videlicet buccinator quidam claſſicum cecinit ob diſturbatum ab Indis Guaranicis fœdus limitum, e quo Luſitani (tradita pro ſeptem oppidis ciſuruguacis Colonia Sacramenti) aureos ſibi montes ſpoponderant. At pro theſauro (victis tandem Indis) carbonem, ut ajunt, reperere, ſeu, ut ipſorum Luſitanorum unus non inſulſe dixit, *coiros* tantum & *cornos*, id eſt, *coria* & *cornua*: & certe abundabant illic utraque, cum quotidie multa boum capita mactarentur in ſingulis oppidis pro dividenda communiter bubula.

CCLXXXII. Per id igitur tempus, quo Guaranii omnia tentabant (ut ſua cuique patria dulcis eſt) ne avitis finibus expellerentur, Æolus ille (Carvallium volui dicere)

...... Cavum converſa cuſpide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant...
Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Treucorum ex oculis, ponto nox incubat atra.

Haud aliter medio hoc ſæculo immanis quædam

tempeſtas volitantium hinc & illinc libellorum in res Guaranicas exorta eſt, quam magnæ undique tenebræ conſecutæ ſunt. Equidem, ſiqui poſthac probarint falſa eſſe, quæ de adminiſtratione illa poſui, & mox ponam, non recuſabo, quin eos iraſci merito Curatoribus Guaranicis profitear. Interim patienter ferant noſtra, ſi libenter nequeunt. At me longius provexit ſuſcepta explicatio diſciplinæ Guaraniorum (*a*): redeo illuc jam, unde diſceſſi.

PLATO
De ſuppliciis.

CCLXXXIII. Norat Plato, ubi homines ſunt, quantumvis bonæ ſint leges, & recta diſciplina, & prudens ac vigil magiſtratus, fieri non poſſe, quin multi frenum mordeant, recalcitrentque: Quapropter ea omnium optima Reſpublica eſt, non in qua ſontes nulli ſint (nuſquam enim hujuſmodi civitas, & cœtus mortalium eſt) ſed ubi, ſiquid a quopiam peccatur, confeſtim reus corripitur, ne pravo exemplo cives alii corrumpantur. Atque hinc pœnarum neceſſitas; quarum nulla, inquit, mali cauſa eſt, ſed e contrario juſta criminum animadverſio efficit alterutrum, vel ut melior, vel ſaltem ut non tam ſit malus, qui punitur.

CCLXXXIV. Itaque nullum in Republica ſcelus impunitum, ait, eſto; ſed aut ignominia, aut plagis, aut carcere, aut mulcta, aut exilio, aut morte, qui culpam admiſit (prout erit quiſque meritus) plectitor. Explicat deinde ſigillatim, qua quodque facinus pœna vindicandum ſit. In nullos autem ſeverior

---

(a) *Guaraniis ſolatio fuit Carolus III. Rex, qui fœdus illud limitum, a deceſſore ſuo Fernando VI. initum, voluit irritum eſſe: Guaranii autem ex ejus voluntate oppida ſua retinuerunt, hodieque retinent.*

verior eſt, quam in impios, & ſacrilegos (quibus quid fieri vellet ſupra docuimus) & in patriæ hoſtes, ſeditioſoſque, & in parricidas, & in eos, qui ſibi mortem conſciſcunt, quos quidem deſerto in loco ad extremos regionis fines ſine ullo prorſus honore ſepeliri jubet, aut etiam projici inhumatos, niſi quis forte ſervus ſit (non liber civis) qui eos humet. (Lib. IV. de Repub. & IX. de Legg.)

G U A R A N I I.

CCLXXXV. E Platonis pœnis binæ tantum apud Guaranios uſu receptæ erant, carcer nimirum, & verbera. Et nequis miretur de adhibitis illic virgis, pœna hæc decreta olim fuit divino inſtinctu in reos a *Moyse*: *ſin autem*, inquit, *eum qui peccavit*, *dignum viderint* (judices) *plagis*, *proſternent*, *&* *coram ſe facient verberari*. *Pro menſura peccati erit plagarum modus* (*a*). In Novo orbe mos is obtinuit pro Indis, & in Philippinis etiam inſulis idem fit: nam Sinas apud quos cum inſigni crudelitate cives crebro vapulant, non moror. In Europa etiam contra quoſdam ſontes vibratur ſcutica, ſed rarius.

CCLXXXVI. Ceterum haud opus fuit illic Platonis ſeveritate in impios, & parentum percuſſores, inque inimicos patriæ, eoſque qui ſibi manus inferunt; ſcelera enim hæc inter Guaranios inaudita erant. Levioris culpæ rei vel certis flagri ictibus, vel carcere, qui in foro erat, & unde vinctos quotidie deducebat cuſtos ad Sacrum Miſſæ, plectebantur. Quod ſiquis crimen aliquod mortis dignum admiſiſſet, cautum erat, ut anno uno arctis vinculis, iteratiſque identidem plagis, & præparco cibo, maceraretur; poſt annum vero extruderetur oppidi finibus, qua iter brevius eſt in Hiſpanorum urbes.

CCLXXXVII.

(a) *Deuter. cap. XXV. v. 2.*

CCLXXXVII. Hic miras tragœdias excitat (ut abripi œstro solitus est) scriptor *Regni Paraguayci*. Videte demum, o Hispani, & tandem aliquando cognoscite, quo vos habeant loco Curiones Guaranici. Qui omnium sceleratissimi, qui capitalia ausi, qui immedicabiles sunt, hos illi amandant ad urbes vestras tamquam ad fœda facinosorum hominum receptacula, ubi pares cum paribus vivant. Huccine decus, & sanctum, & inclytum Hispanorum nomen recidit? ... Hæc ferme ille. Sed o bone? o Theologe (nam Theologum te esse nos doces magnifica illa tui prædicatione YO THEOLOGO SOI) pone paulisper iram, neque Hispanos patres, & plebem, frustra instiges in Curiones immerentes.

CCLXXXVIII. Ego te (quando sacra sic doctrina præstas) consulo usus exordio sapientis illius fœminæ Thecuitidis ad Davidem Regem: *ancillæ tuæ erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum, & ecce consurgens universa cognatio adversus ancillam tuam dicit: trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum* (*a*). Hoc digno mœrentis matris exemplo, & pio dolore, compello te pro Guaraniis, qui quamvis amarent inter se fratrum more modoque, humanæ conditionis, & naturæ labilis expertes non erant.

CCLXXXIX. Audi ergo me, & dubium animi doce. Neophytorum unus, iræ impotens, inter rixandum occidit ruri tribulem. Occisor intercipitur a prætore, qui illum intrudit in carcerem. Quid fiet hic, o Theologe? Indus prætor nihil molitur majoris momenti sine consilio Curionis, idque e mente animoque est Regis Catholici. Dicetne Curio adeunti ipsum prætori, i, occisorem occide? id meruit. Non, opinor,

(a) *Lib. II. Regg. c. XIV. vv. 6. & 7.*

nor, sed benigniora respondebit cum Davide ad precantem illam Thecuitidem: *non cadet de capillis filii tui super terram* (*a*).

CCXC Præter enim quam quod prætori jus vitæ necisque in oppidanos non est, Curioni ipsi sacris est vetitum minis, ne se se causæ sanguinis ulla parte immisceat: sin aliter, & certum hominem re, vel etiam nutu, ad mortem designet, cadit gradu suo, vel (ut vos Theologi dicitis) fit irregularis: nefasque ei deinceps est divina mysteria (quæ administros suos volunt quam mitissimos) tractare, nisi sancte expiatus in pristina templi munia, aræque ministerium restituatur.

CCXCI. Interea percussor ille culpam luit, vapulat sæpe, rigida inedia atteritur, umbraque & squalore carceris contabescit, ut scilicet alii a maleficiis deterreantur, recte nam ait ille: *oderunt peccare mali formidine pœnæ*. Sed jam lapsus est annus. Homicidam diutius detineri onus foret admodum grave custodiæ præposito, qui ei adstiturus assidue serviturusque est: atque ipse alioquin reus alendus esset e publico. Quod si domum remitteretur, ut sibi victum quæreret, libereque cum suis ageret, id non fieret sine plurium, & maxime occisi consanguineorum offensione. Illud restabat unum, ut mitteretur in exilium. Esto, inquis (neque enim adeo crudus es, ut capite illum plecti a prætore, cui id non licet, velis) mittatur in exilium; sed cur Hispanas urbes versus? Hispanorum odio. Meliora quæso; non hac, mihi crede, fit causa.

CCXCII. Iterum audi. Si reus in barbarorum silvas protuderetur, viveret freni omnis expers, & barbarico more, proculque a sacris, proculque a Sacerdotibus, evaderetque e Christiano ethnicus, aut etiam (ut assolet, qui præceps ferri cœpit) ethnicis ipsis

(a) *Ibid. v.* 11.

ipſis pejor, gravi injuria violatæ Religionis. Atque huc attinet, quod cum pro Hebreæ Reipublicæ ſontibus varii generis ſupplicia juſſu Numinis edixerit Moyſes, nuſquam in quemquam ſanxit pœnam exilii e finibus Iſraeliticis. Cur id? quia cum in ſola Judæa verus eſſet Dei cultus, ſiquis inde penitus excluderetur, foret ei occaſio quædam labendi in idololatriam; quæ erat pia Davidis querela adverſus illos, qui inſtigato in ipſum Saulis odio, compulerant eumdem vagari per exterorum fines: *ejecerunt me hodie*, ajebat, *ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: vade, ſervi diis alienis* (a).

CCXCIII. Accommoda iſtud ſonti Guaranio, quo de agimus. Si in greges circumvagantium barbarorum, denſoſque lucos ſecederet, e contubernio exlegis gentis in vitia ſenſim, & animi perniciem, nullo retinente, rueret: ſin vero contenderet in urbem aliquam Hiſpanorum, exemplo bonorum civium mores fortaſſe mutaret, & reſipiſceret. Sacerdotes quidem viventi adeſſent morientique. Quod ſi (ut *perverſi difficile corriguntur*) aliquid morte dignum denuo admitteret, Prætor Hiſpanus, cui id licet, extremo illum ſupplicio afficeret, & tunc tandem veteris culpæ, & novæ pro merito pœnam penderet. Ex his vide, o Theologe (ſiquidem nulla illinc contumelia in Hiſpanos redundabat, ſed gloria quodammodo & laus, quod ab ipſorum conſuetudine bonum homini ſceleſto peteretur) quam tu temere accuſes Curiones Guaranicos, & quam hi nuſquam inconſulto progreſſi ſint.

CCXCIV. Ad extremum, Guaranicæ adminiſtrationis modus, miti illa reorum animadverſione, ſeſquiſæculum recte atque tranquille retentus argumento eſt majore pœnarum ſeveritate opus illic non fuiſſe. Luſtraturus olim publica auctoritate oppida Guara-

ra-

(a) *Lib. I. Regg. c. XXVI. v. 9.*

ranica Senator ampliſſimus Joannes Blazquez de Valverde, ſecum adduxit Indum quemdam advenam, qui profeſſus fuerat, ſe auri venas, quas ad Uruguayum amnim exercebant Guaranii, oſtenſum ire: hunc Indum (cum nuſquam venæ illæ apparerent, neque ullum earum extaret veſtigium, ac præterea affirmarent metallicæ rei periti, qui ſenatori ipſi aderant, terram illam gignendo auro aptam non eſſe) deluſus Blazquius tamquam falſum Indicem, & cauſam tot impenſarum ea in expeditione factarum, ſuſpendio, poſt bis centum flagri plagas, addicendum cenſuit lata e jure ſententia (*a*). V. Kal. Octobr. an. MDCLVI.

CCXCV. Erat tum Guaranicorum Sociorum præfectus Franciſcus Diaz Tanius (quem ſupra laudavimus). Is triſtem indi illius ſortem miſeratus, oravit, obſecravitque Blazquium Judicem, ut mortem condonaret homini infelici, qui in iſtud falſi indicium non ſua ſponte deſcenderat, ſed impulſu heri, quondam ſui (*b*). Valuere preces, & lenius cum illo actum eſt citra necem. Equidem hæc Diaz Tanii viſcera miſericordiæ multo malim induere, quam cum ſcriptore Regni Paraguayci declamatorem agere, vel abjecta Sacerdotali manſuetudine auctorem eſſe cuiquam in quemquam mortalium ſecures, ferrum, rotas expediendi.

P L A T O
De funere & cœmeterio.

CCXCVI. Plato (quo erat ingenio) omnia Rempublicam ſpectantia complexus mente, de ſepulcrorum etiam ſitu, & de funere cavit, ne ſumptuoſiora

(a) *Hanc Blazquii ſententiam ſecundum acta cauſæ reddit Gallus Charlevoixius inter documenta. Hiſt. Parag.*

(b) *Is erat Chriſtophorus Ramirez de Fuenreal, qui jam jam moriturus, quæ dixerat de venis auri ad Uruguayum revocavit coram teſtibus.*

ra eſſent, neu ſordidiora, quam civem ingenuum decet; ſed modus ſervaretur. Nullum, ait, in agro ad culturam apto ſepulcrum fiat: neque enim par eſt mortuos officere vivorum alimentis. Elatio autem functi fato, nec citius acceleretur, nec protrahatur diutius, quam quanto opus eſt tempore, ut ſat conſtet, eum vere mortem obiiſſe. Atque id quidem de corpore: namque animus, inquit, noſter immortalis eſt, ſolutiſque terrenis vinculis ad deos evolat, actæ vitæ, operumque, rationem redditurus: quo in judicio bonis quidem fiduciæ, & gaudii, locus erit, malis contra terroris, & infelicitatis extremæ, quippe quibus illic nullum aliunde auxilium futurum eſt.

CCXCVII. In funerum pompa moderatus eſto ſumptus. Ad ſepulturam ejus, qui maximi cenſus ſit, non amplius quam quinque minæ impenduntor; tres vero, ſi ſecundi ſit cenſus; duæ, ſi tertii; una, ſi quarti. Æquum autem eſt eos civium publicis ornari laudibus, qui vel corporis robore, vel dotibus animi, præclara quædam atque ardua geſſerunt pro Republica, quique ſancte, & conſtanter legibus paruerunt: atque hæc quidem ſollemnis laudatio parentalibus virorum, feminarumque virtute præſtantium communis eſto. (Lib. IV. VII. XII. de Legg.).

GUARANII.

CCXCVIII. Ut Guaraniorum vita, & victus ſimplex erat, ita & funus ſepulcrumque. Viri omnes fœminæque tela tecti goſſipina (ut Hebræi olim ſindone) efferebantur ritu Chriſtiano. Pueris puelliſque major in feretro ornatus, feſtivoque ſacri æris tinnitu ſepeliebantur. Ceterum digna commemoratu eſt forma cœmeterii. Hoc ad alterum templi latus erat, æque ac templum ipſum longum, ſed paulo latius.

CCXCIX. Totum cœmeterium diviſum erat in partes quattuor: tumulabantur enim viri ſeparatim fœminæque, ſeparatim pueri puellæque. Quattuor autem

tem illæ partes, quæ inter ſe pares erant, diſcriminabantur iterum quaſdam in areas, quarum ſingulæ dena, duodenave corpora capiebant. Surſum vero & deorſum, atque in latera quoquoverſus, aditum euntibus aperiebant directi calles, quos longa utrimque ſerie leniter obumbrabant alternis immiſtæ malis aureis palmæ virentes. Ad margines autem minorum arearum eminebant ſatæ nardi, quibus ne innaſcerentur herbæ inutiles, curabant fœminæ, ſolitæ circum loca, ubi ſuos ſepultos norant, flexis genibus orare.

CCC. Totum cœmeterii ambitum tegebat protenta porticus cum periſtylio, ut poſſent, qui ſacris cærimoniis humandorum cadaverum intererant vel ab imbri, vel a ſole defendi. Sacellum ibi quoque ſtructum pulchre; & Crux ſtabat ſublimis, Chriſtianæ poſt mortem ſpei ſacrum ſignum, & pignus. Itaque ſi rei inſcius locum illum adires (binæ erant portæ, altera parieti adhærens templi, altera forum verſus, atque hujus quidem fores non ſolidæ, ſed cancellatim ſtriatæ, ut intro pateret aſpectus) ſi adires, inquam, illuc rei ignarus, crederes, non te ſepulcra (nulla enim apparebant uſquam nuda oſſa, nullum mortui veſtigium corporis) ſubire, ſed viridarium aliquod: nam ut nihil triſte oculos offendebat, ſic nec fœtor nares: immo vero (ſi tepidum eſſet tempus, ut ibi fere ſemper eſt) omnia ſuaviter flagrabant tot nardorum, aurearumque malorum odorifera vi. Atque ipſe ſitus cœmeterii, cujus pars poſtica vergebat ad agros, purgatioribus auris perflabatur, quo etiam fiebat, nequid graviter ſpiraret.

CCCI. Jam vero cum (adſtante Sacerdote linteato, funebreſque preces fundente) mandabatur corpus aperto tumulo, humuſque injicebatur, tum demum erumpebat (nam antea ſiluerant) fœminarum planctus (quem Guaranii *Guaju* vocant) interque flendum recenſebant illæ mortui laudes, memorabantque, quæ pro oppido fecerat, quæquæ facturus eſſet, ſi perrexiſſet vivere. Ah! (exempli cauſa)

ſiquis

ſiquis immature obierat expolitioris mentis, fuiſſet is quondam, ajebant gementes præficæ, Ludimagiſter, Æconomus, Muſicæ præfectus, Senator, Conſul, Regius vexillifer, Prætor: hæc enim munèra maximæ apud eos laudis erant & gloriæ. Lamenta autem illa tot interjectionibus, tot reconditis, exquiſitiſque fandi formulis efferebant, ut nullus in Guaraniorum lingua eſſet locus difficilior ad diſcendum.

CCCII. Denique, ſi cujus inſignia fuerant merita in publicam rem, is in templo ſeorſum ſepeliebatur, qui honos & plurimi ab indis fiebat, & accendebat ceteros ad conſectandam virtutem; ſemper enim, & ubique gentium, attributæ vita functis laudes, & decreta a majoribus præmia, ut columnæ, ut illuſtrior tumuli locus, ut ſtatuæ, ut arcus, ut alia ejuſmodi, incitamento vivis fuerunt ad præclare agendum, ſtudendumque recti æquique officiis, quo & ipſi poſt mortem idem ſibi decus pararent, pergerentque vivere in perenni civium memoria, & gratis animis.

Epilogus inſtitutæ comparationis.

CCCIII. Ecce tibi, quæ de adminiſtratione Guaranica collata cum Platonis Republica dicere habuimus. Erant quidem plura, quæ huc adduci poſſent; ſed nos ſpecimen dumtaxat quoddam dare rei voluimus; atque id ipſum, quod dedimus, haud deerit fortaſſe, qui nimis longum putet. Verum defenſioni nobis eſto idem Plato, quem ſecuti ſumus, ait enim de longa, aut brevi dicendi ſcribendique forma, quemquam angi ineptam prorſus ſollicitudinem eſſe: quippe non breviſſima, aut longiſſima, ſed optima (ſive brevia ſint, ſive longa) eligenda prudenti viro, vel dicat, vel ſcribat, ſunt.

CCCIV. Quod ſi Ariſtoteles magni magiſtri ſui ſtilum, ut redundantem in Republica, carpſit, fecit id immerito, ut ego quidem ſentio. Certe Orator ſummus, & Philoſophus, Tullius, Platonis, non Ariſto-

riſtotelis dicendi genus probavit, ſecutusque eſt in tractandis rebus Politicis, ut ſat liquet e particula, quæ extat, ſomni Scipionis.

CCCV. De reliquo, cum auctor elegantiſſimus Joannes Baptiſta Noghera adminiſtrationem Guaranicam laudarit, eamque prætulerit Reipublicæ Platonicæ, operæ pretium erit eximia ipſius de Indis illis ſenſa pro epilogo huc tranſcribere. Agens contra liberiores Philoſophos de bonis, quæ Religio Chriſtiana Orbi terrarum peperit, " me, ait, preſertim „ rapit ad ſe recentiſſimum exemplum. Integra at„ que adeo innumerabilis natio eſt, quæ (ſibi ipſa „ vix prius ſat cognita) perpetuum cum vicinis ge„ rebat bellum, & bellum ita dirum, & atrox, ut „ victi non præda ſolum, ſed cibus etiam victorum „ eſſent. Ubi autem Religio Chriſtiana eo penetravit, „ egitque ferali in regione radices, ecce tibi in op„ pida coeunt palabundi antea homineſne an feræ? „ Et tamen hi, depoſitis inimicitiis, nunc inter ſe „ ritu fratrum obſervant, ac colunt, aliiſque alii „ adverſis in rebus opem ferunt, caritate ſic con„ ſpicua, inſignique, ut barbari finitimi tanta mo„ rum converſione obſtupefacti, id de novis Chri„ ſtianis dicant, quod de priſcis dixiſſe ethnicos nar„ rat Tertullianus (a): en ut iſti invicem amant, „ paratique ſunt pro aliis alios vitam ponere. Quæ „ autem prior ſe ſe ſubdidit Chriſto tribus, ea aliam „ dein exemplo ſuo ad illum trahit, atque e genti„ bus indole, & more variis unus coaleſcit populus, „ cui cor unum, & unus ſpiritus eſt, ſpiritus pacis, „ ſpiritus innocentiæ, ſpiritus caritatis. Quocirca e „ crudelium antehac ferarum, immaniumque antro„ pophagorum plurimis turmis una jam conſtat RES„ PUBLICA MULTO ILLA MORIBUS MELIOR, „ MULTOQUE FELICIOR, QUAM EA, CU-

K „ JUS

(a) *Tertul. Apolog. c. XLIX.*

„ JUS SIBI IMAGINEM ET MEMBRA FINXIT
„ PLATO. "

CCCVI. „ Nemo non videt hæc me dicere de
„ populis Paraguaycis. Neque eſt cur hoc nomine
„ commoveantur Philoſophi liberiores, remque iſtam
„ cum faſtu ad fabulas rejiciant. Etenim ſunt nobis
„ teſtes locupletiſſimi, qui illuc penetrarunt data o-
„ pera, oculiſque hauſerunt, quæ de iis oppidis præ-
„ dicamus: ſunt incorruptorum Prætorum idem te-
„ ſtantium litteræ: ſunt tabulæ utriuſque magiſtratus
„ ſacri profanique: atque hi quidem omnes circum-
„ ſpectiſſimi erant, ne vel ſibi imponi ſinerent, neu
„ ipſi aliis imponerent. Et vero idem eſt doctorum
„ virorum judicium, nec ſolos dico Muratorios, ſed
„ etiam Monteſquievos, Buffonios, & Hallerios, quo-
„ rum verba hac de re ita omnibus nota ſunt, ut
„ opus non ſit, huc ea producere. „ Hæc ille (*a*).

APOSTROPHE
Ad liberiores Philoſophos.

CCCVII. Poſt abſolutam comparationem Guaranicæ adminiſtrationis cum Republica Platonis, ſiquis recentium Philoſophorum (qui more veterum Athenienſium *ad nihil aliud vacant niſi aut dicere, aut audire aliquid novi* (*b*) me forte rogarit cenſeamne fieri poſſe quicquam illius formæ ſimile in Europa? Potuit olim, nunc non poteſt, reſpondero. Potuit tum, cum Europæi ante cultas artes, poſitaſque urbes, turmatim vivebant, atque ita vagabantur, ut parum, aut nihil different a gentibus Americanis. Nunc autem non poteſt, quandoquidem rerum Europæarum ordo politicus tot jam abhinc ſæculis plane mutatus eſt.

CCCVIII.

(a) *Rifleſſioni ſulla Filoſofia del bello ſpirito part. I. Rifles.* 10.
(b) *Act. AA. c. XVII. v.* 21.

CCCVIII. Guaranii, ubi primo eos adiere sacri cultores, ita agebant inter se pari conditione usi pro domo rudibus tuguriis, atque pro cibo piscatu, & venatione, agrique & silvæ fructibus, ut facile, siquid melius proponeres, aliam illos in partem (favente Deo) flexurus esses traducturusque a gravi penuriæ statu ad uberem copiæ sortem, idque ne ipsis quidem invitis Caciquiis, quorum victus, & vitæ ratio, dispar non erat miseris clientium rebus, relicta eis in bello auctoritate quadam, & imperio levissimo.

CCCIX. His tu si pares divideres agros, si parem laborem & facilem indiceres, si paria tecta strueres, si civilem cultum, si commoda, si vestem largiorem, si liberaliores epulas curares, si Orphei instar eosdem sensim mansuefaceres, si utilibus artibus erudires suavi & leni modo (*humanitatis* enim *dulcedo*, ait Valerius Maximus, *barbarorum ingenia penetrat*) si ita, inquam, communi illorum bono consuleres, ultro ea gens omnis grates tibi maximas ageret tamquam patri optimo, atque e superis sedibus delapso divinitus genio propitio.

CCCX. Quod si quondam in Europa (quod narrat Aristoteles) (*a*) Œnotriæ Rex palantes inter Scyllaceum & Lamedicum sinum indigenas agriculturam docuit (erant prius vagi pastores) illisque leges posuit, allexitque ad communia eos convivia; Regi isti Œnotrio ita prudenti haud difficile fuisset infelix illud hominum genus ad parem fortunarum modum leniter pertrahere.

CCCXI. Idem fere potuit fieri ibi, ubi nunc CAPUT ORBIS est, cum Ausonidum sic exiguæ erant opes, *& rara domorum tecta* (*quæ nunc Romana potentia cælo æquavit*) ut hospes Æneas *pauperis Evandri* angustum subiens larem, locatus sit *solio effulgenti*

(a) *Aristot. Politic. lib. VI.*

effulto foliis, *& pelle Libyſtidis urſæ*, pro copia ſcilicet parvi tum Regis, qui (Caciquium diceres) *Tyrrhena pedum* circumdabat *vincula plantis*, *demiſſa ab læva pantheræ terga retorquens* (*a*).

CCCXII. Nam ſi dinaſtæ hujuſmodi tenuibus clientibus benigne ſuaſiſſes bonorum æqualitatem, probaſſent eam utique, quippe qui antea aſſueti caprino lacte, & nucibus caſtaneis, & parca leguminum dape duram vitam vivere. Idem dictum eſto de priſcis Gallis, Hiſpaniſque, quibus informis quidam & abſurdus fuit agendi modus, aſperque victus, & labor durus.

CCCXIII. Cornelius Tacitus de veteri Germania differens, non tam Germanorum, quam Indorum in America videtur mores deſcribere: accipe hæc paucula. *Coeunt*, inquit, *niſi quid fortuitum & ſubitum acciderit*, *cum aut Luna inchoatur*, *aut impletur* (eadem in idem rei momenta Lunæ ſervant Indi). *Quoties bella non ineunt*, *non multum venatibus*, *plus per otium tranſigunt dediti ſomno ciboque* (is Indis mos piger). *Litterarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorant* (par Indorum inſcitia). *Diem noctemque continuare potando nulli probrum* (ne Indis quidem iſtud probro eſt). *Potui humor ex ordeo*, *aut frumento in quamdam ſimilitudinem vini corruptus* (ſic *Chicha* fit, Indicæ deliciæ). Hæc ille generatim de priſcæ Germaniæ gente.

CCCXIV. De Fennis autem (quos dubitat Germanis an Sarmatis adſcribat) refert ſpeciatim: " mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates. Victui herba, veſtitui pelles, cubile humus. Sola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſ-
,, ſibus

(a) *Æneid. lib. VIII. Scio Virgilium licentia hic uſum poetica; ſed ſcio item memorem hic eum fuiſſe præcepti illius:* ficta voluptatis cauſa ſint proxima veri: *quo ſine poeta bonus erit nemo.*

„ ſibus aſperant, idemque venatus viros pariter ac „ fœminas alit, paſſim enim comitantur, partemque „ prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum im- „ briumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum „ nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc ſe- „ num receptaculum. Id beatius arbitrantur, quam „ ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienaſ- „ que fortunas ſpe metuque verſare. „ Hi Fennis mores, hi mores ferme Indis Americanis.

CCCXV. Poſtquam vero crevit paulatim Europæarum nationum cultus, conſtititque communi conſenſu legum vis, & auctoritas principum, horum auſpiciis ductuque, e parvis initiis magnam ſibi fecerunt populi privatam rem & publicam, auctique ſunt divitiis & gloria domi militiæque, diviſis procerum & plebis claſſibus, e quibus rectus ordo, & felicitas Reipublicæ pendet.

CCCXVI. Sed tamen communio rerum, & par omnium ſors in Republica, eſt, ais, optima. Optima eſt? Quid ſi ne induci quidem generatim potuit, poſt Adæ lapſum, in genus humanum, prout ſunt hominum diverſæ animi, & corporis dotes, diverſa ingenia, diverſi rei tuendæ, augendæ que labor conatuſque? At id non diſputo: unum illud contendo poſt factam vel induſtria vel caſu rerum diviſionem velle quempiam æquatam civium ſortem, tantumdem eſſe ac velle in urbes revocare triſtem & horridam publici mali confuſionem confuſioni illi ſimilem, qua

Unus erat toto naturæ vultus in Orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum (*a*).

At leges, inquies, modum, & mores civium tem-

 pera-

(a) *Ovid. Metamorph. lib. I. ſub initium.*

perare poterunt. Ne id quidem, obſiſtent quippe certatim populus patreſque.

CCCXVII. Fac Petrum, cum Romam pauper, vili veſte, nudis pedibus, ingreſſus eſt, genti patriciæ, & Senatoribus, & Ædilibus, & militum tribunis, & Augurum collegio, & Conſulibus, atque adeo Imperatori ipſi, ſuadere palam cœpiſſe, ut abolitis honorum titulis, & revulſis prædiorum terminis, allatiſque in medium domeſticis opibus, opumve pretio, omnia cum plebe communicarent, & pari conditione viverent. Quid dic tum fieret? Hæc ſi Petrus ſtatim propoſuiſſet, putaſſet Senatus Populuſque Romanus adveniſſe ſibi e Græcia diſcipulum Platonis, juſſiſſetque male affectum verbis navigare eum in Cretam, quando pro Cretentibus, non pro Quiritibus Rempublicam ille ſuam adumbrarat.

CCCXVIII. At enim idem Petrus multo difficiliora Romanis perſuaſit; utique, ſed ut Chriſti diſcipulus, ejuſque Vicarius. Et quæ perſuaſit? Quæ nimirum natura ipſa, & recta dictat ratio, quæque hominis ſublime genus a ferina turpitudine diſcernunt. Quod ſi populum patreſque ſancta ſenſim myſteria & quæ ſupra ſenſus ſunt, docuit, ea certis, & publicis prodigiis (quibus ſana mens refragari non poteſt) & divina auctoritate ſanxit, confirmavitque. Verum omnia eſſe omnibus paria e naturæ præceptis non eſt, neque id Deus umquam pro recta civitatum forma ab humano genere poſtulavit. Immo in metatione illa terræ promiſſæ voluit diviſionem fieri quam diligentiſſime minutiſſimeque *in funiculo diſtributionis: quam dividetis*, ait, *vobis ſorte. Pluribus dabitis latiorem, & paucis anguſtiorem. Singulis, ut ſors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus, & familias poſſeſſio dividetur* (*a*). Quin vero, facta jam agrorum

(a) *Num. cap. XXXIII. v. 54.*

rum divisione, familiæ arte, vel pretio, plura sibi adquirerent (dummodo in eadem tribu) & ditescerent præ aliis, vetitum lege non fuit: atque adolescens ille, qui *omnia* alioquin *mandata servarat*, dicitur *habuisse multas possessiones* (*a*).

CCCXIX. Hierosolymis quidem, atque Alexandriæ, communio bonorum inter Christianos inducta est, sed id ipsis sponte volentibus, ut de pretio venditi agri dixit diserte Petrus ad subdolum Ananiam: *nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate?* Adde huc, quod æqualitas illa ad certum dumtaxat piorum numerum pertinuit, non ad ceteros cives; ad solos videlicet Apostolorum discipulos in urbe sancta, & ad Essenos, quos ex Alexandrinis S. Marcus instituit.

CCCXX. Doctor gentium Paulus commonens Timotheum Episcopalis officii (*b*) haud id exigit, ut præcipiat divitibus divitiis cedere, sed eisdem recte uti, ac *bene agere, & facile tribuere*; neque heris usquam denunciat servos manumittere, ac pares sibi facere; sed *justum* illis *& æquum præstare* (*c*). Per se autem ipse Onesimum, fugitivum mancipium, Philemoni cum commendatitiis litteris restituit, nec petiit, ut eum libertate donaret, sed haberet, utpote jam frugi factum, & Christianum, tamquam filium, concessa fugæ venia (*d*).

CCCXXI. Idem olim Athenis mysteria Religionis docens illius Reipublicæ patres, illud præter alia divino instinctu dixit: *ex uno homine omne genus hominum fecisse Deum habitare super universam faciem terræ, & definisse statuta tempora, & terminos habitationis eorum* (*e*). De communione vero bo-

(a) *Matth. c. XIX. v. 22.*
(b) *Ad Timoth. I. c. VI. v. 18.*
(c) *Ad Colossens. c. IV. v. 1.*
(d) *Epist. ad Philemonem.*
(e) *Act. AA. c. XVII. v. 29.*

norum, quam norat a pio fidelium cœtu jam usu receptam Hierosolymis, nihil significavit, idque cum dissereret apud Areopagitas, quibus ea res minus accidisset nova, cum sat scirent quantopere commendata fuisset a cive suo Platone æquatio fortunarum.

CCCXXII. Et vero isthæc Platonica rerum communio, & par omnium modus, quantas, & quam graves secum difficultates affert? Nusquam certe ex hujusmodi institutis ulla adhuc civitas constitit, nec, ut conjectare licet, constitura umquam est. Vel ipse æquatæ sortis auctor nobis, velim, explicet, qua fiet ratione, quod jussit. Nempe in civium domibus impari sæpe sunt numero domesticorum capita. Est, qui plurimos habet liberos, est qui pauciores, est qui nullum. Si bona feceris paria, minus fœcundo viro suppetet sat alimentorum, fœcundiori non suppetet; infœcundus autem affluet rerum omnium copia: & tamen secus fieri recta poscit ratio, patri scilicet familias, qui plures sustulit filios plura publice deberi (quod aucta prole Rempublicam auxerit) quam alii sterili, cujus domus plane vacua est.

CCCXXIII. Inter cives iterum (ut anima præstat corpori, & pedibus caput) varii sint gradus & ordines necesse est, nisi forte malis cives omnes (exempli causa) magistratus esse, omnes senatores, aut e contrario omnes fabros, omnes agricolas. Jam vero, qui altiori in loco est, ei oportet largior fiat sumptus, nec fieri poterit, si pares sint opes. Quid? quod, sicuti contra justitiam est meritis æquales inæqualibus affici præmiis, ita & contra eamdem est inæqualia promeritos præmiis æqualibus remunerari? Sine æqualibus autem inæqualibusque partibus, vel membris, consistere nequit rectus ordo, qui est (ut sapienter docuit Augustinus) *parium impariumque rerum sua cuique tribuens dispositio*.

CCCXXIV. Ceterum ille idem Plato summi ingenii Philosophus, qui tantum tribuit arti Musicæ (ut alibi diximus) ad rectam adolescentium educationem,
vel

vel ex ipſa Muſica debuit diſcere ſine honorum, & graduum diſcrimine æquam in Republica diſciplinam eſſe non poſſe. Nam qui erit symphoniæ concentus, ſi par canentium ſit vox? quæve harmonia ab Organo pneumatico, ſi æquales ſint tibiæ, & tubi, neque alius alio major, alius alio craſſior? Apage barbarici melos modi. Ita eſt, e vocibus paribus, e paribus tibiis, non gratus naſcetur auribus ſonus, ſed inconditus, & rudis ſtrepitus, ac murmur intolerabile.

CCCXXV. At quorſum tenuia nobis, & levia exempla, cum graviora, & ſanctiora ſuppetant? *In magna*, ait Doctor gentium, *domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea, & fictilia* (*a*). Reſpublica inſtar eſt domus magnæ, in qua nobilibus (quorum alii aliis illuſtriores ſunt) reſpondent vaſa aurea & argentea ab opifice fabrefacta; ſecundo autem civium ordini, & plebi, quæ manu laborat, ſimilia ſunt vaſa lignea & fictilia.

CCCXXVI. Illud vero ejuſdem Pauli quam pulchrum? *Corpus unum eſt, & membra habet multa.. Si dixerit pes: quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore?* Et *ſi dixerit auris: quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi, odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra unumquodque eorum in corpore ſicut voluit* (*b*). Hoc audiant, hoc intelligant liberiores Philoſophi, providente Deo fieri, ut alii in Republica *oculus* ſint, ut Rex, magiſtratus, nobiles: alii *auris*, qui juſte præcipientis vocem audiant, & pareant, ut plebs, ut vulgus: alii *pes*, & *manus*, ut artifices, qui, dum ordo ſupremus bono, & felicitati publicæ invigilat, vi corporis, & opere impleant, quæ ad pacem, ad tranquillitatem, ad rem communem ſpectant.

(a) *Paul. II. ad Timoth. c. XII. v. 20.*
(b) *Idem I. ad Corinth. c. XII. a v. 12. ad 18.*

CCCXXVII. Sed ecce tibi exſurgit contra nobiles (ut plebi palpet, eaque ad perturbandam Rempublicam utatur) neſcio quis, ac malis, quæ ex bonorum, & ordinum æqualitate oriri argumentamur, obviam iri poſſe contendit, ſi Magnates, ſi Duces, ſi Comites, ſi Equites non ſint, ſi honoris inſignia deleantur: tum enim pares inter ſe cives paribus erunt opibus. Quid? nobiles ne ſint in Republica? Hoc vere ſapientum, & Philoſophorum, dixit adhuc nemo. Vel inter barbaros Americanos, quorum res communis admodum informis eſt, nobilitatis gradus non deſunt, nec præmia iis, qui præ aliis fortiter agunt in bello, tuenturque ſuæ tribus agros, & ſilvas, ac tribum ipſam promovent. Inter Guaranios autem Chriſtianos retentus eſt gradus, & dignitas Caciquiorum, quorum noſtro tempore erant quingenti, ut dictum jam antea eſt.

CCCXXVIII. Ne ſint rurſus in civitate tituli nobilitatis? Ubi tum grata beneficiorum memoria in eos, qui rebus præclare geſtis, vel providis conſiliis, vel ſumptis armis, vel partis victoriis, vel acceptis vulneribus, patriam defenderunt, amplificaveruntve? Ubi juſtitia, ſi conceſſos ob merita honores, & cum honoribus auctas juſte opes, per vim auferas? Inhumanitas id ferina eſt, rabies eſt, furor eſt: neque odium iſtud in nobiles ab eo differt vecordi, & inſano Epheſiorum veterum decreto: *nemo de nobis unus excellat* (a).

CCCXXIX. Præſtantia virorum illuſtrium, & nobilitas orta ab egregiis factis maximus omnium ſtimulus civi bono eſt de Republica benemerendi, ob collatum enim dignis honorem ſtudet dignitate præeuntes æmulari. Sane heroica illa de Gethæo gigante victoria, quæ toti Iſraelitarum populo ſalutem peperit, ab ſperatæ nobilitatis laude, ſecundum Deum, profecta eſt. Audiit generoſus adoleſcens illud: *virum*,

(a) *Tullius Tuſcul. V. v. 36.*

rum, qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israel (*a*). Tot illis & tam præclaris accensus præmiis animum colligit, it, pugnat, vincit. Quod si tam læta spes, & nobile calcar deforent, an fuisset David ad tantum certamen descensurus, nescio.

CCCXXX. Itaque si nobiles in Republica necessarii sunt (ut sunt) opes etiam iis majores sint, quam plebeis, necesse est. Et quidem apud Hispanos inter regni primores illi censentur, quos ipsi vocant *RICOSOMES*, id est dites homines, decet enim nobilem simul ditem esse, ita tamen, ut divitiis rite utatur, & *bene agat*, & *facile tribuat*, ut supra e D. Paulo docuimus. Atque id quidem multo valet magis in summo Reipublicæ moderatore, cui nisi fiscus sit, urgere bonum publicum, ac benemerentes, & præmio dignos vel ob præstantem doctrinam, vel ob militarem gloriam, vel ob eximiam divini, humanique juris peritiam, vel ob insignem fandi, & agendi prudentiam, vel etiam ob singularem industriam & dexteritatem in aliqua arte utili, liberaliter habere (ut debet) non poterit.

CCCXXXI. Neque huic formæ rem publicam administrandi officit communio illa bonorum nascentis Ecclesiæ: nam ea non fuit generalis pro omnibus lex, sed sanctissimi illius cœtus sublime quoddam decus, & mirus vivendi modus, & status quidam virorum perfectorum, quem Christus quondam proposuit adolescenti illi, cujus alibi meminimus: *si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me*. Quod vero attinet ad cives, qui minus alta sequuntur, æquum est divisis eos rebus, & agris uti, ne jurgia, & lites sint, quemadmodum Abrahamo, & Lotho factum est, quamvis ejusdem essent stirpis, & amarent inter se.

(a) *Lib. I. Regg. c. XVII. v. 25.*

CCCXXXII. Haud tamen, quod æqualia nunc omnibus bona non sint, propterea cessatum est a provida egentium cura; successere enim primævæ rerum communioni certa, & firma vel in necessitatem, vel in utilitatem privatorum civium præsidia. Primum horum est Antistitum, & Clericorum opes, ac reditus, qui sunt pauperum patrimonia. Atque is est veluti publicus Ecclesiæ fiscus, Quo autem singulis quibusque malis per species subveniretur, instituta ubique locorum sunt nosocomia, orphanotrophia, Xenodochia, periclitantium puellarum, maleque nuptarum asyla, & infantium, quos vel a pudore, vel a paupertate, parum piæ matres abjiciunt, receptacula, & ne amentium quidem & furiosorum omissa est benigna custodia, admisto metu, ne noceant.

CCCXXXIII. Ad hæc, sunt sacri virorum coetus, qui pueros gratis elementa litterarum, & mysteria Religionis docent, sunt pia Parthenia, quæ eiisdem rebus puellas erudiunt magno Reipublicæ bono. Sunt, præter communes Academias, Religiosi homines, qui grammaticam, qui Philosophiam, qui Theologiam, qui officia virtutum sine pretio tradunt. Sunt, qui domi quosvis excipiunt ægros, ac lecto, & cibo, & medicinis fovent. Et quoniam recentes a morbo multa circumstant salutis discrimina, sunt etiam, qui convalescentes privatim curant. (Ordo is Bethleemitarum nomine in America ortum habuit.)

CCCXXXIV. Sunt, qui insanabili affectos lue, quibus possunt commodis, recreant, & tristi levant sorte. Sunt, qui temere vagantes per urbem, & sordidatos orphanos colligunt, & tecto, & veste donant, & victu alunt, & rerum cœlestium cognitione, & honestis moribus imbuunt. Sunt, qui captivos & a gravi jugo, & a periculo abjurandæ fidei, magna mercede redimunt. Sunt, qui præternavigantes a piratarum insidiis paratoque maleficio, armata classe defendunt. Sunt, qui moribundis, etiam peste aflatis, extrema auxilia deferunt, ad id ipsum nuncupato sacra-

cramento devoti. Sunt, qui ruricolas, quibus minor audiendi verbi divini, disciplinæque animi percipiendæ, occasio est, sponte sua adeunt, & Cathechismo instituunt, & rite jam expiatos *exhortantur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant* (*a*).

CCCXXXV. At infinitus sim, si cuncta persequar quæ vel pro bono fidelium, vel etiam infidelium (quod amplius est) promovendo, aut pro avertendis publicis privatisque malis, inventa sunt pia subsidia, ut communionem rerum quodammodo suppleant, & quidem thesaurus inexhaustus est pro miseris divini Magistri denuntiatio illa, & oraculum: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (*b*). Hinc felicitas pauperum; hinc etiam divitum infelicitas, si pauperibus necessaria negent, audient enim olim: *quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis* (*c*).

CCCXXXVI. I, licet, totoque vagatus terrarum orbe circumspice, num alicubi (exceptis provinciis Christianis) quicquam hujusmodi institutorum fit. Nusquam vestigia tantæ in commune beneficentiæ caritatisque reperies. Joannes Petrus Maffejus, magnificus ceteroqui Sinarum laudator, ad extremum non dubitat dicere: *totius humanitatis multis in rebus videntur expertes* (*d*). Atque hi sunt illi, quos Philophi liberiores, ut Christi religionem deprimant, ad insaniam usque commendant. De Japoniis autem (hi secundum Sinas politica re ad orientem Solem præcellunt) idem historiarum Indicarum scriptor post recensita eorum bona, non minora addit mala: " prægnantes fœminæ, ait, partum haud raro medicamentis abigunt, idque Bonziis auctoribus ac magistris (*adeo boni sunt religionis illius antistites*) vel etiam editos in lucem infantes, alendi tædio inopiave, cru-

de-

(a) *D. Paul. II. Corint. c. VI. v. 1.*
(b) *Matth. c. XXV. v. 40.*
(c) *Ibid. v. 46.*
(d) *Joan. Petr. Maffej Histor. Indic. lib. VI.*

„ deliter injecto præfocant pede. Egentibus, ægrotis „ aut peregrinis publica & gratuita diversoria nulla. „ Sub dio pernoctant, miseramque trahentes animam „ deserti ab hominibus vel ipsa die sanantur, vel ex- „ tincti morbo, abjiciuntur in sterquilinium. Eo ma- „ jore cum approbatione Japonii Christianam carita- „ tem erga destitutos, & calamitosos, itemque sepul- „ turæ ac funerum instituta mirantur (a). „ Hæc ille. Quæ omnia, ut contraria propius & invicem composita magis eminent, Religionis, quam nos docuit Deus Homo, sanctitatem, & excellentiam quam maxime prædicant.

CCCXXXVII. Redeo jam ad comunionem pristinam bonorum. Eam certos in cœtus hominum fœminarumque inducere haud difficile est, sequunturque etiamnum primævos illos Christianos viri quamplurimi Religiosi, Sacratæque Virgines, quibus omnia communia sunt: victusque id genus, & paris sortis æquatio, si rite servetur, magnarum virtutum fons & origo sunt. Sed vivendi hunc modum ad omnes civium ordines extendi optandum quidem esset, sperandum non est. Fac (rei, quam supra egimus, exemplo utimur) ut delicatæ matronæ pro publico bono neant (ut Guaraniæ nebant Indæ) quæ vel pro paranda liberis veste edignantur fusum tractare. Fac, nobiles communem agrum una cum privato colant (ut Guaranii viri colebant) qui vix sua prædia revisunt, ne tantisper domestico careant otio, urbanisque deliciis.

CCCXXXVIII. Quæ cum ita sint, siquis liberiorum Philosophorum contenderet in Europam transferre Guaranicam administrationem, turpiter erraret, pessimeque (ut nunc sunt res) de Republica mereretur, turbato rerum omnium ordine, confusisque civium classibus, & officiis. Vel sola rogatio, & proposita quondam lex de dividundis, regundisque aliter agrorum finibus, quantum in discrimen (nisi ob-

---

(a) Idem lib. XII.

obstitisset tribuni plebis conatui Marcus Tullius Consul (*a*) Romanam Rempublicam adduxerat? At vero nihil mali, & boni plurimum ortum est inter optimos neophytos ex institutione illa approbata a Rege Catholico: neque ullis ibi litibus, querelisque, & discordiæ locus erat: ac præterea cavebatur, ut e bonis communibus, quod e proprio agro forte alicui deerat, suppleretur.

CCCXXXIX Illud huc addo, ne inter ipsos quidem Guaranicos eam boni publici œconomiam retineri diutius posse, nisi XXX. illa oppida mutuo sustentent, & fulciant se se. Etenim ad res multas alii aliis indigent, ideoque reciproca caritate subveniant sibi alternis necesse est. Urbs Lais, ejusque cives misere olim perierunt. Causam quæris? eam reddit divinus auctor: *sexcenti*, inquit, *viri . . . percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam societatis, ac negotii* (*b*).

CCCXL. Atque id quidem agmen illis fatale civibus revocat mihi in memoriam Chacenses barbaros, qui trajecto sæpe amni Paraguayo in magnas redegerunt angustias oppida Guaraniorum quattuor S. Mariæ de Fide, S. Jacobi, S. Rosæ Limanæ, & S. Ignatii Guazù. In hoc ego quondam eram, cum Abiponum, seu Guaicuruorum (utros nescio) prædatorum cuneus ita proxime ad oppidum accessit, ut oppidani raptim arma ceperint, & aditus omnes occuparint. Tristissimus ille mihi dies fuit: procella tamen feræ gentis dæseviit tum in oppidum S. Jacobi. Ob hos igitur grassatores, causasque alias, quas explicare hic opus non est, nisi Guaranii, qui lon-

ge

(a) *Extant M. Tulli Orationes tres* de Lege agraria *in P. Servilium Rullum Tribunum plebis. quem vehementer exagitavit, quod novis rebus studeret, coegitque tandem ab instituta rogatione desistere.*

(b) *Lib. Judic. c. XVIII. vv. 27. 28.*

ge ab urbibus Hiſpanis poſiti ſunt, inter ſe ament, & benigne foveant, actum de eis erit: quod malum Deus Optimus Maximus avertat.

FINIS COMMENTARII.

CCCXLI. De Europæ provinciis (quoniam de iis mihi hic ſermo eſt) id unum dixerim, ſiqua gravis mutatio adminiſtrationis priſtinæ in illas induceretur, novi ordinis modum, diverſumque rerum, & legum ſyſtema, felicitati populorum, & civili ſocietati ruinam ac cladem allaturum fore; haud ſecus, quam annoſæ virentiſque arboris ſi vivas radices reſeces. Quapropter parendum nobis eſt divino illi oraculo: *ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui* (*a*). Quippe quæ æqua, & prudens a majoribus noſtris inſtituta fuit forma Reipublicæ, longo corroborata uſu, ſervanda ſancte eſt, neque ſuſque deque vertenda, *beatior* enim *erit*, ſi ſic permanſerit, ut alia de re agens monet nos Doctor gentium (*b*).

CCCXLII. Huc pertinet viri perquam eruditi ſolida diſſertatio, cui titulum fecit *Laſciamo ſtar le coſe come ſtanno*, id eſt: Eunto res, ut eunt (*c*). Diſcerint ille quidem de diſciplina Eccleſiaſtica, ſed argumento noſtro res tota congruit maxime, cum vere Philoſophiæ, & recepti dudum moris prudentum conſenſu, eadem utrobique ſit ratio. Sapienter D. Thomas, " habet, ait, ipſa legis mutatio, quantum
„ in ſe eſt, detrimentum quoddam communis ſalu-
„ tis, quia ad obſervantiam legum plurimum valet
„ conſuetudo, in tantum quod ea, quæ contra con-
„ ſuetudinem fiunt, etiamſi leviora, de ſe graviora
„ videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur
„ vis conſtrictiva legis, in quantum tollitur conſuetudo:

(a) *Proverb. c. XXII. v. 28.*
(b) *D. Paul. I. ad Corinth. c. VII. v. 40.*
(c) *D. Thom. t. 2. queſt. 79. a. 2.*

„ do: & ideo numquam debet mutari lex humana,
„ nisi ex aliqua parte tantum recompensetur commu-
„ ni saluti, quantum ex ista parte derogatur... Un-
„ de dicitur a Jurisperitis, quod in rebus novis con-
„ stituendis evidens debet esse utilitas, ut recte re-
„ cedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est."

CCCXLIII. Hæc vera sunt: videant proin ii, qui nihil veterum institutorum salvum, & integrum volunt, an isto novarum rerum studio *evidentem* sequantur *utilitatem*. Evidentem utilitatem? Immo vero pernicies evidens boni publici rectique ordinis (ut viri cordati clamant) oritura est, atque oriri jam pridem cœpit. Gallicus conventus e liberiorum placitis Philosophorum conatus est nova statuta, formamque aliam in regnum inducere. Quid, quæso, boni accidit? quæ inde consecuta est populi felicitas? Res toti nota Europæ est. Quantum o mali! quanta fortunarum eversio! quanta perturbatio familiarum! quantum sanguinis innocentis effusum! quæ rixæ! qui facinorosorum hominum furor! quot latrocinia! quot ausa sacrilega! quam inverecunda impietas! quam detestabilis morum licentia! quam vecors juris omnis æquique abrogatio! quam mœsta publicæ privatæque securitatis conditio! Agis modo domi tuæ cum tuis nulli mortalium noxius, & momento post, ni pareas prava juoentium dictis, indicta causa, in patibulum ageris, & pendes tumultuantis & armatæ plebis victima. Truncatum dein caput, & laniata membra ferali spectaculo per forum viasque raptantur. At cur nomina obscura queror! Regi ipsi, regiæque stirpi quietis esse non licet: coguntur solio exscendere, coguntur domo fugere, coguntur latere, coguntur trepidare, coguntur convicia insani vulgi audire, coguntur... sed quis sat explicet qua coacti sunt pati, & patiuntur etiam num?

CCCXLIV. Veniet profecto tempus, veniet, cum tantæ vel insaniæ, vel crudelitatis, vel perfidiæ, seros immanium parentum avorumque nepotes pudebit. Sed hæc cultæ alioquin nationis non tam peccata sunt,

 quam

quam efferi partus insanientis philosophiæ. O Philosophi! o exleges Philosophi! Illud possum vere dicere, & contenta voce, quam omnes intelligant, profiteri, ne inter quidem barbaros Paraguaycos, Tobas, Guaycuruos, Abipones, Mbayas, aliosque, hujusmodi inhumanitatis exempla videri. Sæviunt, sed in hostes; trucidant, sed in bello; prædas abigunt, sed solo ab extero. Inter se vero ejusdem tribus, ejusdemque contubernii familiæ, amant, & sibi parcunt, & tranquillius vivunt, quam Europæi quidam populi philosophicæ libidini, & libertati, tamquam impatiens freni equus, penitus mancipati. O tempora! o mores! Sed finis sit.

CCCXLV. Venio ad Paraguaycorum virorum vitas, ubi multa iterum de bonis, quæ a Christiana institutione in Indos manant, dicenda nobis erunt. Sed prius, quam eo venimus, monitum te, lector, volo (& id quidem pertinet ad volumen aliud anno editum superiore) excidisse mihi per errorem in Vita Vicentii Sansii pag. CCXX. V. P. Franciscum Gil de Federich, ejus propinquum, qui pro Christi fide in Tunquino occisus est, fuisse e sacra Capuccinorum familia, cum fuerit (ut postea rescii) ex illustri PP. Dominicanorum Ordine. In vita item Emmanuelis de Vergara pag. XXXIV. scripsi *pridie Kal. Octobr.*, *die sacra D. Ignatio*, quod mira incogitantia positum est, cum dies ille sit pridie kal. Augustas. Pag. autem CXCIX., linea III. verbo, quod ibi est *præferens*, substitue *postferens*, id enim poscit res, quam illic narramus. Hæc me erraſſe pudet, errorem confiteri non pudet.

PROTESTATIO.

De reliquo, quidquid de virtutibus, factisque virorum Paraguaycorum scribimus, judicio submittimus S. R. Eccl. cujus est de vera sanctitate, verisque miraculis pronunciare, ejusque sententiæ ab omnibus omnino standum est, tamquam doctrinæ, & morum regulæ divinæ.

IGNA-

TABULA DISTANTIÆ

XXX. OPPIDORUM GUARANICORUM

AB ULTIMO OPPIDO

S. IGNATII

TRANS PARANAM FLUMEN

OCCIDENTEM VERSUS


AD OPPIDUM YAPEYU SIVE SS. REGUM

QUOD PRIMUM EST AD ORAM AMNIS URUGUAY.

Loculus, in quem bina conveniunt oppida, includit numerum leucarum Hispanicarum, quibus illa inter se distant.

Ignatius Guazu.																													
3	*N. de Fide.*																												
5	3	*S. Rosa.*																											
13	11	8	*S. Jacobus.*																										
12	20	17	14	*Ss. Cosmas, & Damianus.*																									
6	34	31	28	14	*Ytapuà, sive Incarnatio Domini.*																								
1	39	36	33	19	5	*Candelaria.*																							
6	44	41	38	24	10	5	*S. Anna.*																						
8	46	43	40	26	12	7	2	*Lauretum.*																					
0	48	45	42	28	14	9	4	2	*S. Ignatius Miri.*																				
5	53	50	47	33	19	14	9	7	5	*Corpus.*																			
3	41	38	35	21	7	12	8	6	4	6	*Trinitas.*																		
6	44	41	38	24	10	15	11	9	7	6	3	*Jesus.*																	
[illegible]	48	45	42	28	14	9	14	16	18	23	21	24	*S. Josephus.*																
1	49	46	43	29	15	10	15	17	19	24	22	25	3	*S. Carolus.*															
4	52	49	46	32	18	13	18	20	22	27	25	28	3	4	*Ss. Apostoli.*														
[illegible]	58	55	52	36	24	19	24	26	28	33	31	34	9	10	6	*Conceptio.*													
[illegible]	63	60	57	41	29	24	29	31	33	38	36	39	14	15	11	5	*S. Maria Major.*												
[illegible]	68	65	62	46	34	29	34	36	38	43	41	44	19	20	16	10	5	*S. Franciscus Xavier.*											
[illegible]	63	60	57	41	29	24	29	31	33	38	36	39	14	15	11	5	3	8	*Ss. Martyres.*										
[illegible]	66	63	60	44	32	27	32	34	36	41	39	42	17	18	14	8	8	17	11	*S. Nicolaus.*									
[illegible]	75	72	69	53	41	36	41	43	45	50	48	51	26	27	23	17	17	22	20	9	*S. Aloysius.*								
[illegible]	81	78	75	59	47	42	47	49	51	56	54	57	32	33	29	23	23	28	26	15	6	*S. Laurentius.*							
[illegible]	85	82	79	63	51	46	51	53	55	60	58	61	36	37	33	27	27	22	30	19	10	4	*S. Michael.*						
[illegible]	90	87	84	68	56	51	56	58	60	65	63	66	41	42	38	32	32	37	35	24	15	9	5	*S. Joannes Baptista.*					
[illegible]	95	92	89	73	61	56	61	63	65	70	68	71	46	47	43	37	37	42	40	29	19	14	10	5	*S. Angelus.*				
[illegible]	68	65	62	48	34	29	34	36	38	43	42	45	19	19	19	25	30	35	30	20	22	28	32	37	42	*S. Thomas.*			
[illegible]	71	68	65	51	37	32	37	39	41	46	45	48	22	22	22	28	33	38	33	23	25	31	35	40	45	3	*S. Franciscus Borg*		
[illegible]	90	87	84	70	56	51	56	58	60	65	64	67	41	41	41	47	52	57	52	42	44	50	54	59	65	22	20	*S. Crux.*	
[illegible]	97	94	91	77	63	58	63	65	67	72	71	74	48	48	48	54	59	64	59	49	51	57	61	66	72	29	27	7	*Yapeyu*





IGNATIUS MORRO

SCHOLASTICUS.

SI annos reputes, quos vixit Ignatius Morrius, parum vixiſſe eum arbitrere, multum vero, ſi ponderes virtutes, quibus eminuit, & plurima, quæ paſſus eſt, atque equidem non dubito, quin accommodari illi poſſit ea divini oraculi vox: *conſummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius.*

PATRIA IGNATII ET PRIMA LITTERARUM STUDIA.

I. NAtus eſt an. MDCCXLI. in Balearis inſulæ celebri municipio, cui nomen Beniſalem, patre Bartholomæo, & matre Catharina Ordines. His præter nobilitatem generis amplæ erant opes, ſed major pietas, quæ pluris eſt opibus & nobilitate. Sane diligentem illi operam adhibuerunt, ut Ignatius a teneris optime inſtitueretur domi, quæ prima debet eſſe parentum cura: dein eum, ubi jam præſtantis ingenii acumen oſtendere palam cœpit, miſerunt Palmam, quæ totius inſulæ princeps urbs eſt, ut majori in theatro avidius certaret pro litterarum honore & præmiis.

II. Neque eos fefellit concepta ſpes: brevi Jeſuitis magiſtris grammaticæ præceptionibus & rhetorica arte inſtitutus Ignatius in Philoſophiam ſtrenue incubuit. Sunt Palmæ adoleſcentes acri ingenio, & ſi, qua ardent, vim animi ad ſtudia diſciplinarum applicant, inſignem in litteris progreſſum faciunt cupidi pugnæ ſimul & gloriæ. Hæc condiſcipulorum contentio ſtimulos Ignatio ſubdidit, ne ſe vinci ab ullo

pateretur: immo vero, teste Petro Llovera, quo ad philosophiam magistro usus est, omnibus palmam præripuit, idque (quod inter ingenii lites rarum est) nulla aliorum obtrectatione invidiave.

III. Conjungebat Morrius cum acuta mentis acie eam morum innocentiam, eumque animi candorem, ut facile sibi omnium conciliaret voluntates & plausum, quo non ad jactantiam & vanam ostentationem, sed ad virtutis litterarumque incitamentum utebatur: hæc enim duo erant, quæ totum Ignatium occupabant, libri & pietas, atque hac quidem æqualibus ad omnem honestatem ita præluxit, ut numquam, tametsi attente a magistro, cujus ante meminimus, observatus, quicquam aut egisse, aut dixisse visus sit, quod generoso & ingenuo puero dignum non esset: libri autem interdiu noctuque pro iis ei erant deliciis, quas vel a noxiis spectaculis, vel a familiaritate amicorum otio diffluentium aucupantur sæpe incauti adolescentes.

IV. Absoluto summa cum laude philosophiæ curriculo, patris jussu, non thelogiæ, quod mallet ipse, sed legum studio, & sacrorum scientiæ canonum operam dedit, eo successu, ut utriusque juris lauream in Palmensi academia meruerit, facto ingenii doctrinæque periculo. Constabant sic nobili parenti vota in bene morato & sapienti filio. Et jam de nuptiis cogitabat, suumque de hac re consilium communicavit cum Ignatio. qui unica erat stirps virilis & spes servandæ augendæque familiæ. Neque abhorruit is a justo desiderio patris, qui in matrimonium ipsi legit puellam clari generis & piam ditemque. Sed hæc præcise respondit: sicui nuptura forem, non alii equidem nuberem, quam Ignatio, cujus dotes moresque jampridem novi: at ego sponsum mihi cœlestem volens elegi JESUMCHRISTUM, sacrarumque Virginum claustris, relicta parentum domo, memet includam propediem. Repulsa hæc patrem vehementer conturbavit, agitabatque secum de sponsa alia quærenda di-

digna filio: verum is cogitationem rei hujus jam omnem abjecerat, indueratque sensus piæ illius & prudentis Virginis pares sensibus.

V. Novo Ignatii consilio inopina res, seu potius providens Numen favit. Ut cupidissimus Morrius librorum erat, incidit forte in ea volumina, quibus titulus est: *LITTERÆ ÆDIFICANTES ET CURIOSÆ*, quæ gallice primum editæ in hispanum sermonem conversæ sunt. Continent hæ plurium Jesuitarum tum in India veteri, tum in nova, susceptos labores, haustasque ærumnas in procuranda barbarorum salute, quos e silvis eduxerunt. Legens ista Ignatius exarsit præclara quadam operarios illos imitandi æmulatione: cumque aliquid pie fortiterque factum repererat, subsistens paululum interpellabat ipse se se. Quid? non tu poteris, quod hi ad Orientem, illi ad occidentem solem? Aude jam aliquid, atque aut Ignatii, quod geris, nomen depone, aut magno Ignatio indue dignum spiritum, quo tot pro Dei gloria, & hominum salute orsus est, & egit.

VI. His facibus incensus decrevit Societatem petere, & Indicam missionem. At qua ratione patri, nuptias circumspicienti, sacræ fugæ voluntatem indicaret? Rem, ne festinatione corrumperet, pedetentim aggressus est, modo hæc, modo illa sermonibus domesticis de industria miscens. Næ pia Virgo mihi primum destinata magis me, ajebat, sapit; sibi consulit, fugit profanum vulgus.... O quot quantisque molestiis suorum cura stat patrifamilias.... Equidem, si optio detur..... Ut molliorem aditum reperturus sibi visus est, quid vellet palam aperuit. Vix id audiit pater, æstuare, turbari, pallescere: mox haud ego, inquit, istud a te expectabam, Ignatii. Tu unicum domus columen, tu stirps sola, qui fulcire eam & nobilitare possis, tu nostri solamen senii. Matrem, sorores, me deseres? Ad hæc ille: si me Deus alio vocat, quid agam, ait? Nec plura: satis enim prima illa congressione fecisse se se ratus est: cetera permi-

ſit tempori & Divis, quos ſibi deprecatores advocavit. Pater, qui filii conſtantiam norat, eadem ſæpe & multum iteranti reſpondit quondam: i jam, fac quod facturus es; ſive dolor, ſive timor (quod verius puto) ne Numini diutius obſiſteret, hæc verba expreſſerit. Accepit Ignatius quod dabatur, & ſtatim (ne violentus ille conſenſus, ceu amotum ab igne ferrum, frigeſceret) ſocietatem petiit, nihil tum quidem de Indicæ miſſionis deſiderio ſignificans, ne ægrum patris animum inſuper exulceraret.

ABIT IN TIROCINIUM.

VII. ITaque Morrius compoſitis rebus, exoratoque provinciæ Aragoniæ præfecto, navigavit in continentem, & Gandiam (Divi Borgiæ patriam, & aviti Ducatus ſedem) venit, ut de tota philoſophia periculum rurſus ſubiret. Magiſtri non modo illum recte inſtitutum naturæ ſcientia repererunt, ſed eximium etiam ingenium admirati, erant jam tum, qui cuperent ei omnia, & augurarentur Ignatium in ea Academia, quam curabant Jeſuitæ, futurum olim Canonici juris (cujus, ut antea diximus, Doctor renunciatus fuerat) publicum profeſſorem. Poſt id perrexit ire in tirocinium Torrentinum.

VIII. Torrens vicus eſt tribus circiter paſſuum millibus diſtans Valentia urbe nobiliſſima. An. MDCCLV. conditum ibi fuerat tirocinium munificentia virginis lectiſſimæ Eliſabethæ de Monpalau, quæ in eam rem ampla vectigalia reliquit moriens, & (quod omittendum non eſt) mortem obiit in feſto ipſo die, quo colitur intemeratus Deiparæ conceptus, cujus illa myſterii fuerat obſequentiſſima, ut Virgo Mater clientem Virginem lætiſſima ſibi in luce ad ſe evocaſſe videatur. Igitur ingreſſus eſt Morrius novam tironum ædem an. MDCCLXIII. pridie Kal. Aug. qui dies ſacer eſt D. Ignatio, ut tanti ducis militiam auſpicaretur in anniverſaria ejuſdem celebritate.

IX. Vigebant illic tum maxime ſtudia diſciplinæ religioſæ. Quippe vidit, qui domui illi præpoſitus fuit, Joſephus Valdejuli magno in poſterum momento fore quales primi tirones fuiſſent tamquam forma & exemplar futurorum. Et vero in hanc rem vix ille optare poterat meliorem Ignatio candidatum, utpote qui non rudis & recens tiro, ſed jam veteranus, factuſque ad normam ſocietatis confeſtim apparuit. Agebat tum annum ſecundum & viceſimum, ætatemque ipſam judicii maturitas & prudentia ſuperabant: ac profecto miræ ſunt laudes, quibus eum efferunt, qui inibi cum eo verſati ſunt.

X. Joannes Carolus Serra magno ait meo bono vixi Torrente cum Ignatio Morrio, qui vel ab ipſo primo die ſummi in virtutibus exempli nobis fuit. Modeſtiſſimum induit corporis habitum, ſine ulla tamen affectatione, quem ille modum ſemper deinceps retinuit. Erat fervidi ingenii, pronique ad iracundiam, ut videre licuit in quibuſdam ſubitis faſtidiis, quorum vel inter tirones nonnumquam occaſio eſt: ſed æſtus omnis illico, inſtar flammæ in aere accenſæ extinctæque repente, deferveſcebat; promptiſſimuſque erat Morrius in coercendo animi concitati motu.

XI. Eidem Serræ peregrinaturo additus comes & ſocius eſt Ignatius. Id ut melius intelligas, dicam brevi quid rei eſſet tirones Societatis peregrinari. Inter alia perfectioris vitæ præludia, quibus candidatos ſuos exerceri voluit D. Ignatius, unum fuit pia peregrinatio ſine viatico, ut pati victus penuriam uſu ipſo aſſueſcerent, diſcerentque ſola inniti divina providentia. Bis id per annum in Aragonia provincia fiebat, vere, & autumno. Prodibant bini, alii, alio, atque in oppidis, quæ magiſter tironum ſcripto deſignarat, non modo oſtiatim cibum emendicabant, & dein ſe ſe in hoſpitalem ægrorum domum recipiebant; ſed etiam, petita a Parocho venia (quam dabat facile, ſciens id eſſe e voluntate Antiſtitis) catechiſmo pueros in unum locum coactos inſtituebant

pomeridiano tempore, & ſub occaſum ſolis concionem, quam in tirocinio didicerant, atque experiundi cauſa coram patribus fratribus recitarant, in templo habebant magno populi concurſu. Durabat hæc peregrinatio utroque illo tempore, quod diximus, tricenos circiter dies; & (quæ ſumma Dei eſt bonitas) numquam accidit, ut tironum aliquis (quamvis eſſent omnes pæne pueri) verbo aut exemplo quemquam offenderet (*a*).

XII. Ceterum tirocinii magiſtro cura erat, ut meta peregrinationis foret (quoad ejus fieri poterat) collegium aliquod Societatis, ubi ante reditum paulisper tirones requieſcerent. Morrio fuit terminus collegium Ontonienſe, quod diſtat Torrente millibus paſſuum XLV. Quocirca circumcurſavit iens & rediens Ignatius oppida complura, inclytamque adiit Setabin, quam nunc alii urbem S. Philippi, alii Xativam appellant. Tenuit peregrinatio tota menſem unum & dies octo.

XIII. His animadverſis, ajebat Serra, cum eſſem ipſe annorum XV., & comes meus Morrius tanto me major, & inſtructior rerum uſu, nihil tamen ille, niſi approbante me, agebat, pendebatque a meo penitus nutu, adeo ut erubeſcerem ipſe, venerarerque adoleſcentem, qui ita ſe libens puero ſubmittebat. Movit præterea me zelus ille animarum, quo flagrabat. Ut aliis prodeſſet, loquebatur ſemper de rebus ſpiritualibus, quas tanto ornabat cultu & amœnitate verborum, ut ſuſpenſos quodammodo adſtantes teneret. Pauperibus catechiſmum tradere, atque exhortationem dein de ſectandà virtute, fugiendiſque vi-

(a) S. Tereſia, cum Hiſpaniæ provincias ſancte obiret pro condendis Virginum ſuarum cœnobiis, reperit quondam Societatis tirones peregrinos, voluitque eorum contionem audire, auditamque probavit, & illos dein abs ſe lætos dimiſit cum inſigni caritatis teſtificatione, (Jos. Butron in Divæ Vita).

vitiis publice habere, unicæ erant illius deliciæ. Quoties in peregrinatione illa nostra se dabat occasio agendi cum tenuioribus, exultabat animo, longumque miscebat sermonem de Christiani hominis officiis magna eorum voluptate, admiranti me, tam cito potuisse eum rusticæ gentis sibi mentes captare: fateorque tantam in me ex eo congressu jucunditatem redundare solitam, ut optarem diversorium nobis aliquod triste & squalidum obtingere, quo cum mendicis hospitibus agentem comitem meum audirem. Hæc ille.

XIV. Nec minus Morrii virtutem comitatemque commendat Michael Perez, qui cum eo tirone tiro diu egit. Ivit is Torrentem, cum jam Ignatius ibi annum explerat. E lege Societatis, qui tirocinium primo subibant, non continuo urbanam vestem dimittebant, neque agebant cum tironibus aliis promiscue; sed certo tempore seorsum detinebantur, ut cognita e propinquo conditione novi status, lectisque attente regulis, maturius deliberarent, vellentne progredi, an contra regredi ad suos, antequam religiosa tunica donarentur. Hæc dicebatur prima probatio, eamque obeuntibus dabatur monitor quidam, ac veluti pædagogus, qui illis propius adesset, & de gravitate rei, quam appetebant, sensim eosdem commonefaceret. Hoc munus, cum Perezius Torrentem venit, mandatum fuerat Morrio a tironum magistro Valdejulio.

XV. Voluit idem magister, Perezium, cujus modo meminimus, & adolescentem alium, qui cum eo venerat, antequam tironibus aggregarentur, exerceri. D. Ignatii piis commentationibus. Ergo Morrius totis illis diebus nusquam a clientium suorum latere discessit, cum eisque sancte simul exercuit se se. Proponebat illis, quæ ex æternis veritatibus consideranda erant, & deinde ad quattuor meditationis horas, quæ mane fiebant & vesperi, flexis genibus atque immotus persistebat, idque vel si summa (ait

Pe-

Perezius) esset nobis & ab æstu (Julius erat mensis) & a bestiolis, quas æstus alit, molestia, & angor: quæ omnia Ignatius non aliter quam si sensus expers esset, aut factus e marmore, patientissime tolerabat. Atque is modus orandi, quo corpus spiritui subjiciebat, perpetuus Morrio fuit, utique cum Sacro Missæ intererat, accumbebatque statis diebus divinæ mensæ, quo tempore (ut qui animum Ignatii moderabantur testati sunt) liberalis in servos suos Dominus suavius copiosiusque in illius cor illabebatur, vacua terrenarum cupiditatum vasa implens cœlestibus donis.

ALIÆ IGNATII IN TIROCINIO VIRTUTES.

XVI. Modestia Morrii, quod ad oculos, gestusque & totum extrinsecus habitum spectat, talis fuit, qualem D. Ignatius in aureis regulis de hac virtute (quam notam omnibus hominibus volebat Paulus) descripsit. Gravis ille erat, sed comis simul & affabilis, decorumque servabat ubicumque locorum esset, & quidquid diceret ageretve. In cibo & potione parcus, dabat quidem corpori necessaria, sed non sine cruciatu, præter enim quam quod attente audiebat librum, qui ad vescentes legebatur, observatus est quondam amaras herbas, quas antea pararat, apposito sibi ferculo dissimulanter adspergere. Ad hæc, asperis se se flagris ciliciisque macerabat; neutrumque, quamvis volens, occulere poterat, quippe & ictus plagarum strepitus e silentibus locis auditus, & titubans gressus a prementibus membra ferreis aculeis, illum aperte prodebant. Sed tamen internæ mortificationi magis studebat Ignatius, solitus illud Thomæ a Kempis inculcare contubernalibus suis: *tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.*

XVII. Hæc erant solida illius sensa conjuncta cum humilitate. Plausus & gloriæ contemptor eximius numquam fando indicavit quicquam de opibus do-

domi relictis, de familiæ illustri genere, de acri certamine pro ingressu in societatem, de præmiis denique & honore, quem e litteris assecutus fuerat, Extremo semper contentus loco detritiorem vilioremque vestem sibi dari curabat. Cum in tirocinium venit, attulit secum a patre magnam indumentorum & nummorum vim, quam omnem precatus est a magistro, ut in domus usum utilitatemque aliorum converteret: cum autem inde missus est alio, nihil a præfecto, qui ultro quædam deferebat, accipere voluit.

XVIII. Verum longe illud majus. Magistrum tironum rogavit, ut ipsum quæsita causa palam reprehenderet: id ei ad se deprimendum profore quamplurimum. Immo vero nihil in hanc rem, inquit magister, istud quidem juverit; nam cum fiat e composito, quisnam hic humilitati locus est? Quod ad te attinet, qui rem nosti, vix erit, respondit Morrius: erit tamen judicio aliorum, qui hujus consilii non sunt conscii: & ceteroqui ob culpas ego meas meritus sum, ut ab omnibus despiciar. Magister (qui mortuo jam Morrio factum narrabat) ei morem aliquando gessit non minore reprehendentis admiratione quam gaudio reprehensi:

XIX. At parata aliunde erat Ignatio ampla patientiæ materies, & gravis Crux. Sub id tempus tiro quidam energumenus repente evasit, nec quin talis esset dubitarunt viri prudentes (*a*). Magister neminem Morrio aptiorem habebat, cui illum regendum continendumque traderet; quapropter in hujus cubiculo habitare eum jussit. Incredibile dictu est, quanta & interdiu & noctu ab tali hospite passus Ignati-

---

(a) *In vita V. P. Josephi Anchetæ fit mentio cujusdam tironis energumeni, Augustini Carvalli nomine. Cum dæmon nullis adjurationibus cessisset, admota demum reliquia Anchetæ, victus aufugit. (Longarus degl' Oddi lib. II. c. XI. Vit. V. P. A. edit. Romæ an. 1771.)*

tius sit. Improviso in illum irruebat, & caput & tergum pulsabat, aut ridiculo facto aliquo alia agentem obturbabat, maxime cum rebus spiritualibus vacaturus erat. Tamen Ignatius nullum vel tædii vel impatientis animi signum edidit in assidua illa & domestica vexatione.

XX. Quod si ei id molestum fuit, illud e contrario gratum. Mandavit Morrio magister, ut doctrinam Christianam non solum famulis, sed tironibus etiam, qui laici erant, statis diebus explicaret. Præterea toto anno in oppidi foro singulis diebus Dominicis concionem ad populum habuit magno auditorum plausu fructuque. Ita præludebat Ignatius gravioribus societatis ministeriis, quæ non in Europa, sed in America, interque Indos exercere cupiebat, hoc enim sibi olim a lectis (ut supra dictum est) *LITTERIS ÆDIFICANTIBUS* proposuit, & nunc, approbante rem magistro tironum, a Præposito Generali per litteras petiit.

VENIT TARRACONEM, ET MITTITUR IN AMERICAM.

XXI. Biennium jam ferme exegerat Torrente, cum jussus est Tarraconem ire, ut recoleret litteras humaniores, his enim ibi adolescentes Jesuitæ instituebantur. Convertit illico in se Morrius omnium oculos cum tironum (vetus illic erat provinciæ tirocinium) qui in eo modestiæ, probatæque vitæ exemplar quoddam intuebantur, tum condiscipulorum, quos usu ipso docuit quemadmodum litterarum studium, cultusque pietatis conjungi possint, & debeant, neutro alterum impediente. Sane Petrus Guillen, qui collegio illi præerat, professus est sponte sua se alumnum, qui æquabili & modesto vitæ tenore par Morrio fuerit, habuisse neminem; & tamen ille cum domum Tarraconensem multis annis administrarit, adolescentes quam plures educavit virtute insignes.

XXII. Ergo cum ſtrenue in amœniorum litterarum culturam incumberet, perlatæ ſunt Roma moderatoris ſocietatis Laurentii Ricci litteræ quibus Ignatio provincia Paraguayca deſignabatur. Id vero ingentis lætitiæ cauſa fuit Morrio votorum jam compoti. Simul ex eodem tirocinio ſepteni alii adoleſcentes eidem miſſioni Indicæ attributi ſunt. Cum his ille ineunte Auguſto menſe an. MDCCLXVI. Hiſpalin profectus eſt.

XXIII. Omnium iter illud ingredientium curam commiſit tirocinii præfectus cuidam, qui aliis ætate præibat. Atque is quidem paupertatis religioſæ ſeverus cuſtos quam anguſte comites ſuos habuit, & pepercit ſacræ crumenæ, quæ ipſi data fuerat in longæ impenſas viæ, ut dein procuratori Indico plus redderet reſiduæ pecuniæ. Tirones annis validi, & feſſi itinerum incommodis, tantam parſimoniam (latrante ſtomacho) ægre ferebant, ut me docet illorum unus, qui ſe non eximit a jactis querelis in bonum illum obſonatorem; eximit tamen ab eiſdem Morrium, qui numquam queſtus eſt: quin & ad patientiam, ait, nos hortabatur cum verbis, tum exemplo, nam vel ex maligne appoſitis ſumebat modice, quod diceret ſibi ſatis eſſe fruſtulum carnis ſemuſtæ, quæ longius in tempus præberet pabulum nativo calori. De reliquo ſilebat, Deum ubique locorum præſentem meditans, cui exercitationi examen particulare addixerat, atque e viſis forte floribus, plantis, arboribus, rivis, & noctu ſtellis, occaſionem arripiebat ſecum euntes (uno horum teſte) ad divini Numinis memoriam amoremque excitandi.

XXIV. Adiit ex itinere Torrentem minime devium petentibus illac Bætin, ut cariſſimum ſibi magiſtrum, vetereſque ſodales ſalutaret. Hic injecta mentione de longa Oceani navigatione ejuſque periculis: *nihil iſtorum*, inquit, *timeo: certus enim ſum, ſi naufragium acciderit, naufrago mihi Deum adſtiturum*. Alias magna ſpiritus vi in hæc verba erupit:

hor-

horrebam olim ego mortem violentam : ſed veniat illa, veniat, ut JESUCHRISTO ſim ſimilis. Sed id multo clarius Michaeli Perezio (de quo antea dictum eſt) ſignificavit : *quid intereſt, frater* (dixit) *utrum quis in lecto moriatur, an in medio mari? unum noſtra refert, abicumque moriendum ſit, adquieſcere Dei voluntati : hæc noſtra ſors eſt : ſi Deo placeat me aquis obrui, libenter ſic moriar*. Ita vitæ, & mortis ſupremus arbiter ſenſim parabat animum Morrii ad triſte naufragium, quod eum manebat anno poſt.

XXV. Salutatis amiciſſimis ſociis, iterum ſe viæ dat cum comitibus. Ut Hiſpalin ventum eſt, qui tirones adhuc erant, in domum S. Ludovici, ubi Bæticæ provinciæ tirocinium erat, receſſerunt, dum navigandi tempus adeſſet : Ignatius vero, qui jam pridem vota religioſa nuncuparat, ad portum S. MARIÆ contendit.

JACTATUS SÆVISSIMA PROCELLA.

XXVI. ILlo in portu ſui ſimilis Morrius, libriſque & rebus animi juxta deditus, quattuor vixit menſes carus in primis Joſepho Robles & Dominico Muriel procuratoribus Paraguaycis, qui magnam de Ignatio conceperant ſpem profuturo provinciæ bono. Conceſſum illis fuerat a Rege Catholico ſupplementum LXXX. ſociorum; quos ita diviſit Roblius, ad quem præcipue ea cura ſpectabat, ut in tres naves ſeorſum eos imponeret, quo minores eſſent anguſtiæ navigaturis. Prima navis fuit S. Fernandi, cui attribuit XX. Socios, quorum unus erat Morrius : ibant illic viginti alii pro Chilenſi provincia, quos ſcripſerant Joſephus Salinas, & Franciſcus Xaverius Baras.

XXVII. Graviter, ut ſolet, ſcripſit olim Hiſpanus Seneca : *quid non poteſt mihi perſuaderi, cui perſua-*

suasum est, *ut navigarem* (*a*)? Pœnituit scilicet hominem philosophum aditi maris, crædidtæque vitæ levium asserum levi moli; at non pœnituit Morrium adolescentem, quamtumvis multo acerbiora quam senex ille passus sit, interque navigandum naufragus tandem perierit. Igitur postridie kal. Jan. an. MDCCLXVII. navim cum aliis conscendit: sed sublatæ ancoræ non sunt nisi ad VII. Idus, quo die vix incœpto corsu regrediendum illis fuit ab scopulis, qui sunt ad ostia sinus Gatidani, & *Puercas* vocant: male enim stipatis vasis, parum gubernaculo parebat navis, Remissa in urbem impedimentorum parte, æquatoque melius onere, Oceanum ingrediuntur V. Idus.

XXVIII. Sub noctem exorta est tempestas atrox, navisque victa vento ita in latus recubuit, ut summa marginis ora aquam biberet, certumque erat naufragium, si violentior fluctuum impetus premeret ex adverso. Gubernaculo jam nullus usus. Nautæ vectores, Jesuitæ, desperata re, se se procuratis animis ad rite moriendum comparabant. Restitit navis trium horarum spatio semisupina, sive *dormiens*, ut a gente maritima dici solet, qui status ab ultima eversione uno vix distat gradu. Interea ab ea parte, qua alveus reclinatus erat, jacta sunt in mare tormenta septem, & cibariorum vis magna: neque id satis fuit, donec malo, qui puppi superstat, præciso, atque in undas cum rodentibus impulso, paulatim navis, trahente aversi lateris pondere, medium tenuit, & parere iterum clavo cœpit.

XXIX. Haud longe erant a freto Herculeo: huc conversus cursus est, & favente Deo, cui intentissime supplicarant, adhibito deprecatore D. Francisco Xaverio, plurima id genus quondam passo, successere proprius Calpen, quo in monte sita est urbs dicta priscis Heraclea, Gibraltar nobis. Egressa fuerat simul Gadibus classis XIII. navium, quæ fatali no-
cte

(a) *Epistol. LIII.*

cte illa, aliæ alio, abreptæ vento ſunt. Oneraria una, quæ Honduras in Americam ibat, fretum quidem & ipſa Herculeum tenuit, ſed, ſuperante mari, ſub conſpectum eorum, qui in S. Ferdinandi erant, ad littus eliſa eſt. Cum autem ventus aliquantulum cecidiſſet, ſcapham protinus Fernandiani demiſerunt, ut pereuntibus opitularentur, ivitque cum remigibus Julianus Vergara Sacerdos Paraguaycus ſubſidium ſacrum laturus quod poſſet, & quibus poſſet. Verum ſummo Numinis beneficio factum eſt, ut, amiſſis navi & onere, nautæ omnes vectoreſque ſalvi in oram evaderent.

XXX. Neque hoc dumtaxat ſpectaculum lugubre fuit, ſed contriſtarunt etiam vehementer Fernandianos viſæ per mare fluitantes merces & dolia, quæ projecerant naves aliæ minuendi ponderis cauſa. Interim obſtabat ſæviens adhuc procella, ne a continente auxilium miſeris ſubmitteretur. In tot autem malis Morrius (ut quidam ex ejus ſociis ait) ſilens, & meditabundus, atque imperturbato vultu totum illud tempus perſeveravit.

XXXI. Ut reddita mari quies eſt, deſcenderunt Jeſuitæ Carthejam (Algeziras nunc vocant) quæ urbs Hiſpana eſt non procul ab Heraclea, quam tenent Angli. Urbis prætor peramanter omnes habuit; cumque longa futura eſſet mora, ut quaſſata navis reficeretur, conducta Sociis domus eſt, ubi ſimul hoſpitarentur. Ne vero otium agerent, e venia ejus, qui ibi jus ſacrum dicebat, Chilenſes Sacerdotes Paraguaycique concionari publice decreverunt: diceres Jonam ereptum e procella naufragioque pœnitentiam civibus denunciare, idque tanto hominum concurſu, eoque e declamationibus fructu, ut certatim plurimi ad expianda peccata, componendumque animi ſtatum ad eos confluerent. Morrius in urbis foro verba ad populum fecit magno ardore, deſcendentique quondam e ſuggeſtu ſenex quidam exclamavit, en me hic, en me: ille ego ſum, cui tu tot ſupplicia ob admiſſa crimina a Deo inſtare comminatus eſt: at-

que is quidem ad Sacerdotes, qui alibi confitentes de peccatis audiebant, remiſſus eſt.

XXXII. Refectam utcumque navim conſcenderunt Jeſuitæ, Herculiſque remenſo freto, ſe ſe rurſus Oceano commiſerunt. Ineunte Menſe Martio tempeſtas alia priori haud abſimilis provectos in altum excepit. Habito nautico conſilio in eam ſententiam itum eſt, ut Gades reverterentur, quandoquidem vocabat eo curſum ventus, regredientibus ſecundus, contrarius progredientibus. Verum cum præter ſpem adſpiraſſet ex adverſo lenior aura, quæ ipſos ad inſulas Fortunatas proveheret, mutata ſententia eſt, illucque data vela.

IN INSULAS FORTUNATAS APPELLIT TRANSMITTITQUE ZONAM TORRIDAM.

XXXIII. ET jam altiſſimum illum montem, quem inſtar cujuſdam Indicis in medio oceano poſuit Deus, ut prætemavigantium iter regat, proſpiciebant. Is mons in inſula Tenerife eſt, quam illi recta petierunt. Hic ad Kal. ipſas Apriles ancoram jecere. Poſtridie ejus diei deſcendentes in urbem convivio excepit Eminentiſſimus Franciſcus Xaverius Delgado, Canarienſis tum Antiſtes, poſtea Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Indiarum Patriarcha, ac demum Cardinalis S. R. E. Inter prandendum multa humaniſſime quæſivit de infauſtæ navigationis infortuniis, non maritimi ignarus mali, quippe qui e Bætica in Fortunatas inſulas venerat. Idem amplam impertiit Sacerdotibus facultatem in templi miniſteria, dum eis illic mora foret. Quapropter habitæ ſunt ſacræ declamationes in urbe S. Crucis, ut antea Carthejæ, nec concurſu minore, nec fructu: eoque etiam majore omnium aviditate auditi ſunt pii Oratores, quod feriæ eſſent ſollemnium jejuniorum, & jam propius inſtaret ſanctior hebdomada.

XXXIV. Canarienſes cives (quod in memoriam grati animi dicendum eſt) liberaliſſimi in ſocios fuerunt, largeque eoſdem a præteritis ærumnis recrearunt: atque honoratiſſimus vir quidam ædem illis ſuam attribuit ad habitandum. Suppleto commeatu in ipſa redivivi Domini feſta luce, qui dies fuit XIII. Kal. Maj. navim ſolverunt, inſpectante populo, curſumque fauſtum precante. Secundus eos ventus dimidio ferme menſe proſecutus eſt ad lineam uſque æquinoctialem. Hic (ut fit ob maximum ſolis calorem) malacia euntes detinuit denos duodenoſve dies. Deficere jam cibaria cœperant; cujus rei argumentum eſt, quod (cum plurimi morbo decumberent) pro parando juſculo quinquagenis ægris una ſolum gallina coqueretur. Dulcis aquæ ſumma penuria, neque plus in capita dividebatur ad ſolidum diem, quam capit urceolus, qui adhiberi ſolet pro Americana potione e fuſcis baccis.

XXXV. Adde, quod humor ille extrahebatur e cadis corruptus jam, & vermibus ſcatens ab nimio æſtu (*a*). Ardebant ſiti omnium viſcera, & ſerpebant per navim morbi, ita frequentes, ut cum manus nautarum, & opera deeſſet ad miniſteria, incumberent pro virili parte ad neceſſarium laborem adoleſcentes Jeſuitæ, quorum uni Vincentio Palacios, qui Theologiæ ſtudebat, & ibat in Paraguayam, ſitis nimia mortis immaturæ occaſio fuit. Apparent in Zona torrida aliquoties repentinæ nubes, quæ dicto citius evaneſcunt demiſſo non magno imbri. Vincentius,

(a) *Intra Tropicos, propiusque lineam æquinoctialem, corrumpi ſolet aqua ob immodicum æſtum, idque vitii vocant Hiſpani nautæ* agua mareada. *At quod phyſicorum ingenium acuat aqua illa, quæ hauritur e flumine Argenteo, nihil in Zona torrida labis patitur, patitur autem ea, quæ Gadibus hauſta eſt, cum itur in Paraguayam. Cur id? cauſam reddant philoſophi: mihi ſatis eſt dicere rem me utramque olim expertum fuiſſe.*

tius, qui siti æstuabat, cum, cupidus aquæ, e nimbo ejusmodi collegisset stillas, quæ per rudentes velumve defluebant, bibit haud minore voluptatis sensu, quam olim Jonathas repertum comedit mel; sed cum eodem potuit paulo post dicere: *gustans gustavi.... & ecce morior*.

XXXVI. Quippe aqua illa sive ex illitis pice funibus, sive aliunde, vitium contraxerat, & pro veneno fuit, Ea nocte tentari cœpit febri, & gravibus alvi torminibus. Mane ab eo, qui proxime accubabat, petiit ut moneret Superiorem male se habere, nec posse ad solitam meditationis horam surgere. Consultum illi statim est, atque ab strato, ubi jacebat, translatus fuit ad aliud commodius inter Sacerdotes. Expiavit se se sacra confessione: exin delirio corripitur. Inter delirandum alta voce recitavit unam e concionibus, quas Carthejæ ad populum habuerat. Cum mens illi rediisset, acto jam quatriduo, tranquille pacateque expiravit XIV. Kal Junias, erat adolescens indole præclara, atque insigni pietate, e provincia Bætica adlectus in Paraguaycam.

XXXVII. Post Vincentii mortem increbuit ventus, qui hærentem navim porro impulit ad pridie Idus Junias. Eo die contrarius ortus est turbo, cui cum obsisti non posset, abrepti retrorsum sunt. At enim dicet fortasse aliquis, ubi inter hæc est Ignatius Morrius, de quo scribis? Intus ille est, in navi ista est, in mediis his ærumnis versatur, & æstum, & famem, & sitim patientissime tolerat, se seque divinæ voluntati providentiæque totum committit. Et quidem ajebat sæpe: *advenæ & peregrini sumus in hoc mundo*; quo satis significabat, cursus illius incommoda non magis illum movere, quam moveri consuevit asperitate viarum, qui in aliquem locum avide contendit. Omnia cœlestis patriæ amore & desiderio libenter amplectabatur. E cœlo autem ipso opem & solatium expectabat adjutrice MARIA, quam instar matris amabat, & deprecatore D. Ignatio, qui ab

eo colebatur eximiis obſequiis, quorum illud acceptiſſimum erat patri optimo, expreſſa cum nomine vitæ ſimilitudo.

INTRAT IN FLUMEN ARGENTEUM ET NAUFRAGIO PERIT.

XXXVIII. Junio menſe acerbiſſime vexati ſunt ſæviente mari. Pridie autem Kal. Jul. vela converterunt in flumen Argenteum, ejuſque tandem repertis oſtiis, cum prætervecti fuiſſent inſulam Luporum, aliaſque quæ ad dexteram ſunt, acceſſerunt propius *vada Anglica*. Alienum exitium illis ſaluti fuit. Paulo ante celox miſſa a Rege ibi naufragium fecerat ſalvis nautis. Navis S. Fernandi, vitato triſti loco, in portum Monſvideanum appulſa eſt ad VII. Kal. Aug. qui dies S. Annæ ſacer eſt; menſe ſeptimo ex quo navigare cœptum fuerat, fecitque curſus tardiſſimus, ut eo pervenerint, cum jam nos comprehenſi eramus in Paraguaycis collegiis ex lege exilii.

XXXIX. Ut jactæ ancoræ ſunt, confeſtim navarchus mœſtam e malo teſſeram ſuſpendit, qua indicabat extremæ ſe opis indigere: ceſſatum tamen tum quidem in urbe eſt. Poſtridie, magna lemborum ſcapharunque vis cum militibus venit ad navim. Hanc ubi aſcendit prætor urbis, conſtitit in foro maximo, militeſque ad omnes exitus appoſuit. Juſſis deinde adeſſe Jeſuitis omnibus, lectum eſt publice decretum de exilio. Tum prætor, pariturine, inquit, eſtis? Reſponderunt Regi ſe dicto audientes fore. His actis, popoſcit ille claves arcularum, quæ ad Jeſuitas pertinebant, & cuncta fiſco (præter induſia, quæ ſeorſim poſita erant) addixit, attonitis Sociis, ſtupentibuſque id benigni hoſpitii paratum ſibi poſt tot ærumniſſimæ navigationis mala, quæ iterum ipſis in Europam remiſſis ſubeunda denuo erant. O *quam incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus!*

XL. Exilii lege denunciata, impoſiti ſunt Jeſuitæ in lembos & ſcaphas, ac deducti in urbem militibus proſequentibus. Aſſignata eis eſt ædes, unde Socii Monſvideani exacti jam fuerant. Domus illa erat parva admodum pro tot hoſpitibus: ſic tum diviſa eſt. In cubiculis poſiti ſunt ægri, & Sacerdotes aliquot; reliqui, in ludo, qui fuerat, puerorum, & in grammaticorum gymnaſio. Tirones in aliam ædem deportati, benigniuſque habiti; nam cum veteranis rigidiſſime actum eſt: neque ſolum ſtabat ad januam militum præſidium, nequis eos adiret, ſed toto menſe, quo illic fuerunt, non licuit Sacerdotibus ſacrificare, neque miſſus fuit Sacerdos aliquis urbanus, cui ſacrificanti adeſſent, diceres ſacrorum eos communione prohibitos, ſubjectoſque gravi anathemati: idque contra Regis Catholici voluntatem, qui liberaliter haberi Jeſuitas juſſerat in ſecretis de exequendo exilio mandatis. Sed illam ſibi prætor neceſſitatem quodammodo impoſuerat facta foſſa propius templum ad effodiendum theſaurum domus pauperrimæ, quæ ægre tres Jeſuitas alebat, & tanto erat obruta ære alieno, ut non niſi ad plures annos illud poſſet redimere, vel ſi res agri, & fœtura armenti lætiſſime provenirent,

XLI. Ceterum tirones miſit deinde prætor Bonaſauras, ut de eorum conſtantia periculum fieret, Veterani autem per alveum Argentei fluminis, quod illac inſtar maris eſt, tranſducti ſunt oneraria ad navigium Venus, propediem in Europam rediturum, & tum ſtabat ad ſinum, quem vocant *Barragan*. Hic jam inde ab die XV. Kal. Septemb. eramus Jeſuitæ quamplurimi Paraguayci, qui novos Socios (Sacerdotes V. Scholaſticos XIV., laicum unum) pridie Kal. Septemb. navi excepimus, &, quoad licuit per noſtrarum rerum duram conditionem, ſolati ſumus.

XLII. Morrius reſtitit in urbe Monſvideana cum ſex aliis Sociis, qui ægro etiam tum corpore ſequi alios non poterant. Ii, cum nos jam, ſuperato a-

amnis ostio, Oceanum subiissemus, in navim impositi sunt Bonasauras deportandi. Ecce autem tibi, euntes per latissimmum flumen incessit sævissima procella ad XVI. Kal. Nov. & quamvis cursum regeret peritissimus vadorum amnis Antonius Guerrero, cum ubi essent, quove ferrentur, per densas noctis tenebras dispicere non possent, in latentem syrtem impacta est & fracta tabularum compago, omnesque (plures vectores erant) submersi sunt præter puerum, virumque unum, qui arrepta scapha sibi consuluerunt.

XLIII. Hic finis fuit Ignatii Morrii optima spe, summa pietate adolescentis. Qui ei tum fuerint sensus, quo vultu præsentem mortem aspexerit, argui potest ex præterita vita, qua se se compararat ad quodvis discrimen, etiam naufragium pro Dei causa & gloriâ. Solatio fuit naufragis Sacerdos, qui una ibat, Bernardus Benasser, a quo obruendi mox fluctibus rite absolverentur. Balearis erat, vir præstantis ingenii, & eximiæ virtutis. Sacris jam initiatus Societatem petiit, cum religiosam fere vitam antea vixisset, modestus in primis, & asper in se se voluntariis cruciatibus, quibus membra, freni semper indigentia, in servitutem redigebat (*a*).

XLIV.

(a) *Nomina reliquorum Jesuitarum naufragio tum absumptorum sunt hæc:* Joannes Blanco, *&* Antonius Gandia. *Scholastici.* Antonius Lopez, laicus. *Hi cum* Bernando Benasser *Sacerdote in provinciam Chilensem ibant.* Joannes Ribas, *&* Josephus Gayolà, *Scholastici, qui cum Morrio ad Paraguayam pertinebant. Oppressit eos nox, ut supra docuimus, quæ consecuta est diem decimam septimam mensis Octobris an. MDCCLXVII.* Gayolà, *quem ultimum nominavimus, (de aliorum rebus mihi minus constat) natus Barcinone mira erat morum innocentia. Cum nuntiata illic funesta mors est, nobilis Virgo, quæ se Deo devoverat,* Gayolæ *consanguinea, non dubitavit dicere: bene cum Josepho nostro actum est, nec vicem ejus doleo; quippe occubuit sacri status, quem su-*

XLIV. Ad extremum de Ignatio Morrio reddam hic, quæ de eo ſcripſit Julianus Nieto, comes navigationis. Erat, ait, dotibus inſignibus, atque egregia virtute. Comis, & legum Societatis obſervantiſſimus. Modeſtus, humilis, ac caritate ſingulari: circumſpectus, patiens, flagrans zelo animarum, orationi deditus, & librorum amans. In laboribus ærumniſque præibat aliis exemplo. Audita exilii lege, modo hos, modo illos animabat magno ſpiritu, & excitabat ad perſeverandum in propoſito religioſæ vitæ.

XLV. Talis autem cum fuerit Ignatius; ejus mors tametſi ad ſenſum aſpera, & gravis, non tam commiſeratione, & luctu, quam pia invidia, & laudibus digna eſt: & quidem naufrago huic accommodari illud poteſt, quod de mortua ad Oſtia Tiberis amnis matre Monica commendavit litteris Auguſtinus: „ neque decere arbitrabamur, inquit, funus „ illud queſtubus lacrimoſis gemitibusque celebrare, „ quia illa nec miſere, nec omnino moriebatur: hoc „ & documentis morum ejus, & fide non ficta, ra- „ tionibuſque tenebamus. “ (Confeſ. lib. IX. c. XII.)

ſceperat, retinens. Quid vero fieret ipſi in tot dein Societatis malis, ſi viveret?

De Omnibus autem iis naufragis, cum & virtute præſtarent, & florente ætate rapti morte ſint, dici illud Senecæ Hiſpani poteſt; non ut diu vivamus curandum eſt, ſed ut ſatis. Longa eſt vita, ſi plena eſt: impletur autem, cum animus ſibi bonum ſuum reddidit. (*Epiſt. XCIII.*)

JOANNES MESNER

SACERDOS.

SIquis a me quæsierit, quænam sint propriæ veri Indorum cultoris dotes, non alias esse responderem, quam quas Apostolus gentium viro studioso hominum salutis inesse vult explicans Christiani amoris ac benevolentiæ vim & naturam: *caritas*, inquit, *patiens est*, *benigna est*; *caritas non æmulatur*, *non agit perperam*: atque ordine deinceps recensitis ceteris laudibus virtutis donorum cœlestium principis, addit: *omnia suffert*, *omnia credit*, *omnia sperat*, *omnia sustinet*. Ecce tibi (mea quidem sententia) quid efficiat absolutum numeris omnibus Sacerdotem, cui Indicæ gentis commissa cura est; & ecce rursus tibi, quid Joannis Mesnerii, *operarii* (ex ejusdem Pauli commendatione ad Timotheum) *inconfusibilis*, veram formam exprimat, prout per te ipse satis intelliges ex iis, quæ de ipso dicemus.

MESNERII PATRIA STUDIA ET NAVIGATIO.

I. NAtus est Joannes Mesner Austiæ, quæ urbs Bohemiæ est, X. Kal. Jun. an. MDCCIII. Undeviginti natus annos Societati nomen dedit, defunctusque dein gravioribus disciplinis, & jam Sacerdotio initiatus, in Paraguayam trajecit procuratore Antonio Machonio. Qui tenor vitæ fuerit Mesnerio puero, adolescentique, ac tironi, & vacanti post tirocinium studiis philosophiæ Theologiæquæ, me præterit.

II. Unum illud est quod possim dicere, Mesnerium ante initam Societatem JESU studuisse sedulo arti musicæ, qua plurimum dehinc Indis Chiquitis pro-

profuit. Et quidem ita eminebat cantu, ut, cum olim offendiſſet apud patrem, quod (in feramne an in avem?) vibraſſet pilam plumbeam intra ſeptum vetitum, ipſe urbis magiſtratus fuerit ſequeſter pacis, adveneritque Joanni patronus. Nam cum eum in templo (domeſtico adhuc durante tædio) canentem forte audiſſet ordo Senatorius, is patri auctor fuit, ut tam perito muſices filio juvenile erratum condonaret.

III. Ceterum pie ſanctèque totum illud tempus in Bohemia exegiſſe, atque diligenter incubuiſſe ad virtutes religioſas, argumento ſit vetus illud proverbium *nemo repente fit ſummus*. Quippe cum Meſnerius, ubi primum a Paraguaycis Sociis cognoſci cœpit, eximia virtute præditus apparuerit, multo eum antea probato vitæ generi, & legibus Societatis accommodato (præter poſitam in gymnaſiis curam, qua ſolidam ſibi doctrinam comparavit) operam navaſſe neceſſe eſt.

IV. Poſt Oceani navigationem, atque illud deinde longum iter terreſtre, quod eſt Boniſauris Cordubam uſque Tucumanorum, in tirocinio (Societatis more) probatus eſt Meſnerius tertium, vel, ut melius dicam, propoſitus fuit tironibus, aliiſque contubernalibus tanquam laudabilis vitæ exemplum & norma. Inde, cum feciſſet omnibus ſatis, miſſus eſt in urbem S. Fidei, futurus profeſſor artis grammaticæ, quod ille munus aliquandiu exercuit, ſingulari cura diſcipulos inſtituens, ac bonis moribus (quod caput eſt) cereos fingens animos ad virtutem, ea dexteritate & prudentia, ut teneri alumni cultorem ſuum non modo amarent, ſed etiam ut ſanctum venerarentur.

V. Quantumvis fructus haud pœnitendus litterario illi labori reſponderet, minus tamen ſibi Meſnerius placebat, quod Indos, & barbarorum culturam, quam rebus omnibus anteferebat, aſſidue cogitaret. Inſtitit ergo, ut ea ſibi provincia a Sociorum præfecto demandaretur: neque is illum non audiit, ſat con-

conſcius, quam ad inſtitutionem gentis rudis & miſeræ a virtute, & ab aliis dotibus, paratus eſſet Meſnerius.

MITTITUR AD INDOS CHIQUITOS.

VI. DEſignatus ad oppida regionis Chiquiticæ, geſtiit ille lætitia diuturni voti jam compos, abſciſſiſque moris omnibus, longiſſimæ ſexcentarum leucarum viæ dedit ſe ſe. Illuc cum veniſſet anno circiter MDCCXXXVI., juſſus primum eſt ire in Zamucorum ſtationem, qua nulla tum ibi aſperior erat difficiliorque. Sub ipſum ingreſſum offirmandus ei fuit animus contra ingentem malorum acervum, atque incommoda quamplurima, quæ in novo Indorum oppido, (quale illud erat) circumſtant ſacrum curatorem. Huic corporis neglectus ſit maximus neceſſe eſt, cum vix ſuppetat, quo ſe tegat, & vitam toleret. Inopiæ rerum addenda eſt animi magnitudo, factorumque & dictorum ſumma cautio. Ut enim, ſiquis graviter ægrotavit, ei aura frigidior, vel cœlum flagrantius, ſæpe cauſa eſt, cur in morbum incidat denuo, aut etiam recidivus occumbat; ita poſtquam a corrupta vitæ licentia ad morum honeſtatem, & bonam frugem, barbaros traduxeris, niſi caves maxime nequid apud eos offendas, ſatis erit vel durius factum, vel dictum acerbius, ut ad vetus illi vitæ genus redeant culturam pertæſi, exoſique cultorem, cujus etiam in caput fortaſſe conjurabunt.

VII. Norat hæc probe Meſnerius, cui neque arduum, neque grave fuit ita ſe gerere cum neophytis, ut non modo vitæ Chriſtianæ formam retinerent, ſed etiam meliores fierent in dies. Indoles ei amabilis & dulcis erat, ac ſi quid errarent Indi, ea illos lenitate tractabat, ut major in liberos patris non ſit: patrem dixi; re enim ipſa Meſnerius ſemper clientes ſuos filiorum inſtar habuit, neque aliter clientes ipſi ac

pa-

patrem venerati eum ſunt, & amarunt. Ergo oppidi, quoad potuit, fortunas promovit, & oppidanorum fidem ac pietatem fovit auxitque.

VIII. Novis illis proſelytis contentus, numquam Meſnerius alios appetiſſet antiquiores cultioreſque. Secus tamen viſum eſt Sociorum præfecto, qui illum in oppidum vetuſtius, ob idque minus moleſtum, evocavit, miſſo, qui apud Zamucos ejus vicem ſubiret. Ivit, quo juſſus eſt, Curionem adjuturus, quod quidem ille uſque adeo præſtitit exercendis ſacris miniſteriis, curandiſque Indorum commodis, ut nullum eſſet durius opus, quod non volens libenſque ſubiret.

IX. Fuit cum & ipſe renunciatus Parochus eſt, ſed tanto ſtud o, & tot precibus, munus iſtud detrectavit, ut ne mœrore conficeretur, ſucceſſor ei quam primum dandus fuerit. Etſi enim Curio ejuſque collega re nulla exteriore differrent, idemque utrique eſſet victus, eademque domus & vitæ conditio, tamen Meſnerius, ab inſita homini humilitate, prærogativam illam & honorem, qui cum Parochi ſacro jure coujunctus eſt, refugiebat, verebaturque præterea imparem ſe fore ſuſtinendo muneri graviſſimo.

X. Itaque totos XXXI. annos, quos inter Chiquitos vixit, adjutorem egit, ſi adjutor dicendus eſt, qui omnia pæne unus ageret. Sane Curionibus reliquiſque Sociis ita utilis erat & carus, ut certatim a præfecto ſibi illum depoſcerent, quo enim cumque ibat, lætitiam, & felicitatem afferebat ſecum. Ac vix oppidum fuit ullum, quod gloriari præ aliis poſſet eum apud ſe diutius retinuiſſe, cum in ſingulis tamdiu moratus ſit, quamdiu fuit opus, ut illius dotibus eximiis, & caritate laborum appetente, fruerentur incolæ, quos (*factus omnia omnibus*) ſic in ſinu, ut ita dixerim, geſtabat, *tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos*, ex Apoſtoli verbis.

MES-

MESNERII IN DEUM ET PROXIMOS AMOR.

XI. TOt bona Mesnerii firma non forent nec stabilia, nisi solido innniterentur fundamento. Hoc fuit purus illius in Deum amor, quo quidquid aggrediebatur, Summo studebat Bono placere. Vehemens hinc ipsi dolor, siquis Numen offenderat. Brevi eo tempore, quo Curio fuit, publicum & grave peccatum admisit Indus quidam. Ut ad Mesnerium res delata est, adeo doluit, ut non modo clam orans diceret cum tristi Jona: *melius est mihi mori, quam vivere*, sed palam quoque præse ferret insolitam tristitiam. Collega, qui causam ægritudinis nondum norat, eum interrogavit, quid sic mœstus esset? Tum ingenue, mœreo, ait, quod Deum meum offendi videam, atque ne crimen hujusmodi iterum fiat, libenter moriar.

XII. Quamquam alia simul doloris illius causa, opinor, erat, quod nempe non posset pro munere, quod gerebat, sontem non plectere; utque tenerrime Indos amabat, nollet se in eas redactum angustias necessarii supplicii, quo & qui malum fecerat, & alii ne facerent, continerentur. Plexit igitur: sed quam meritus id fuisset ita reum docuit, proposita rei gravitate, ut ille post pœnam, magis quam antea, amarit Curatorem suum, neque umquam alias culpam illam admiserit.

XIII. Ut autem caritas *omnia credit, & omnia sperat*, Mesnerii vita omnis a fide & spe pendere videbatur. Fides illum egit ab Europa in Americam, atque ab Americanis Hispanorum urbibus ad Zamucos transtulit Chiquitosque, quos mysteria divina, & dignos Deo mores doceret. Certo idem sperabat labores illos, quibus *oleastrum inserebat in bonam olivam*, relaturos fœnus multiplex ab eo, *qui incrementum dat Deus*, cui submisse profitebatur *plantantem se, rigantemque* nihil prorsus esse.

XIV.

XIV. Verſabat Meſnerii animum dies noctesque vigil ſollicitudo ſibi creditæ gentis. Hanc ut magis ac magis ad Numinis cultum excitaret, in decorem templi magnam curarum partem convertit. P. Martinus Shmid inter ingentia bona, quæ Chiquitis præſtitit (ut in ejus vita dicemus) pro augenda ipſorum religione illud excogitavit, quo vix quicquam aptius eſſe poterat. Delectantur Indi muſica quamplurimum, atque ita ſponte ſua ad eam feruntur, ut idoneum doctorem nacti, quæcumque præcipiat, celeriter arripiant: ob id ille ſcholas aperuit canendi ore, manuque.

XV. Meſnerius harmoniæ apprime intelligens, quotquot ſacra carmina ad numeros ab Shmido exigebantur, omneſque item notas muſicas, quæ a media provincia, aut etiam inde uſque ab Europa ex optimis magiſtris, illuc afferebantur, exſcribebat ultro, ſpargebatque quoquoverſus per oppida Chiquitorum; concentuumque hujuſmodi ita magnam diviſit copiam, ut vix concipi queat, unde tantum otii in id rei fluerit viro alioquin occupatiſſimo. At, ut *caritas benigna eſt*, nec mediis in laboribus frangitur, nihil tam moleſtum, & tædii plenum erat, quod non abſorberet Meſnerius pro clientium bono.

XVI. Ubi jam unius templi Indos symphoniacos inſtituerat, de aliis cogitabat: Quod ſi in illorum oppidum neu Shmidus, neu ipſe ire poſſet, curabat, ut Parochi ad ſe pueros aptos mitterent, quos dein artem edoctos remitteret ad ſuos. Sic Shmidus Meſneriuſque, *in peritia ſua requirentes modos muſicos* (qua ab re veteres Patriarchas commendat Eccleſiaſticus (*a*) ſtudio & labore impigro effecere, ut in Chiquitorum pagis inter ſacra Miſſarum, & veſpertino tempore reſonarent Cœlitum laudes, ita recte compoſiteque, ut ne delicatæ quidem Europæorum aures faſtiditturæ fuiſſent Indorum cantus, & pulſata dex-

(a) *Eccleſ. c. XLIV. v. 5.*

dextre harmonica instrumenta. Quid multa? Bini illi. Sacerdotes vere fuerunt *patres canentium cithara, & organo* (hanc dat Jubali laudem divinus liber (*a*)) cum Dei Divorumque hymnos eo induxerint, ubi paulo ante omnia strepebant barbararum gentium inconditis ululatibus. Præter musicen illud etiam cordi fuit Mesnerio, ut ornatus templi, & sacræ vestes, & aræ, & omnis sacrificandi supellex esset (quoad oppidorum fortunæ ferrent) pulchra & splendida, quæ res Neophytorum animos mirifice ad pietatem allicit.

STUDIUM MESNERII IN CURANDIS INDORUM BONIS.

XVII. SEd fuerunt alia in Chiquitos beneficia Mesnerii, nihil aspernantis, ut suis clientibus esset utilis vel domi, vel ruri: domi quidem & in oppido satagens rerum, quæ commodiorem illis vitam, & jugum disciplinæ suavius redderent; ruri autem agricola simul, pastor, & fossor factus, si vagantia armenta cogenda erant, cogebat strenue, si cædendæ silvæ, ut in subactum solum semina spargerentur, securi immissa cædebat; si metenda, si purganda, si terenda messis, metebat ipse, & purgabat, & terebat, solitus dicere inter Indos vel pecus in caulam agere, vel sequi errantes boves, animas esse in cœlum deducere; idque optime & vere, quia si fames urget neophytos, facile dilabuntur magno susceptæ institutionis malo: qua causa cavendum vehementer est cultori Indico, ne proselyti premantur inopia: ac, si opus est, debet per se laboris amans rei agrariæ pecuariæque operam dare: valet enim tum illud Apostoli gentium ad Corinthios: *non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale*. Certe idem Paulus exemplo præivit sacris ope-

(*a*) *Genes. cap. IV. v. 21.*

operariis hac in re, & palam presbyteros Ephesinos obtestatus est: *ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

XVIII. Verum quo Indos amore prosequeretur Mesnerius, numquam apparebat magis, quam cum laborabant morbo. Adibat eos frequentissime, neque id dumtaxat, cum in oppido aliquo sedem fixerat, sed etiam cum per pagos illi iter erat. Ex equo desiliens interrogabat statim: suntne ægri? Siqui autem erant, eos adibat alacer, & consolabatur, & principum virtutum exercitatione erigebat ad desiderium cœlestis patriæ, aut ad spem recuperandæ salutis, si levius esset malum: afferebat etiam aliquid subinde, quo languens corpus reficerent, volentibusque peccata confiteri aures prædebat faciles. Nullum Mesnerio gratius solatium viæ vel longissimæ quam hæc decumbentium procuratio.

XIX. Ut autem male habentibus adesset citius, si noctu vocaretur, utebatur brevi somno, nec vestem (extremis saltem annis, quibus illic vixit) exuebat. Quondam monitus de ægro, quantumvis ire properarit, eum reperit vi morbi desipere, nec rite confiteri posse. Nihil Mesnerio accidere acerbius poterat: tentavit nequicquam omnia: iit, rediit, sensa jacentis exploravit multis modis, atque octies minimum uno eum die convenit: nulla tamen rediturae mentis spes erat. Quid ille hic ageret? Deum intente enixeque precatus est, ne fineret hominem inexpiatum mori, sed spatium concederet pœnitentiæ Sacramento suscipiendo. Auditus est: æger ad se revertit, & male admissa confessus pie obiit incredibili Mesnerii gaudio.

XX. Hæc erant deliciæ Sacerdotis veræ infatigabilis, ac sic dediti ministeriis spiritualibus, ut vix quicquam reliqui faceret Sociis aliis, quibuscum degebat. Adultos Indos, siqui majore indigebant cura, diligentius instituebat, erudiebatque præterea pueros

puel-

puellasque assidua catechesi. Frequens idem ad templum, ut adventantium confessiones exciperet, maxime Dominicis festisque aliis diebus, & tum quidem sive ipse, sive Curio concionem habebat ad populum.

XXI. Vel una e re, quam aliquis fortasse levem putarit, conjicere satis liquet, quale esset studium Mesnerii de aliis benemerendi. In remotissimis illis locis, qui typis ederet Ordinem divini Officii erat nemo, & ne in urbibusquidem provinciæ typographia fuit præterquam Cordubæ Tucumanorum, ubi biennio ante jussum exilium posita fuerat impensis seminarii Monserratensis. Itaque Ordo ille scribendus erat quotannis ab unoquoque Sociorum, qui inter Indos versabantur. Atque opus quidem istud per se parvi laboris est, sed non parvi fastidii, & sedula attentione indiget, ne erres in assignando dierum singulis ritu, qui eorum est proprius vel in sacro faciendo, vel in persolvendis precibus, cum & Sanctorum occurrentium, & motorum antea e sede sua, aliarumque rerum habenda sit ratio, quæ omnia cum non cuivis usu facilia sint, recte prudenterque in templis maximis creatur magister cærimoniarum, qui emunere sacratos libros consulens, observanda explicet; atque explicata aliis tradat.

XXII. Mesnerius ut hac etiam parte Socios levaret, ante Novembrem Decembremve mensem sequentis anni Ordinem concinnabat relegens (nequid falleret) fastorum Ecclesiasticorum leges, auctoresque, qui de iis legibus lucubrationes suas ediderunt. Post id, tot exempla Sacerdotalis ephemeridis describebat, quot erant oppida, ut in singula mitteret compositas Officii tabulas, quibus Curio, & collega ejus uterentur. Neque eo contentus dabat litteras ad Tucumanicos Peruvicosque Socios, ut siquod novum decretum Roma venisset, eum admonerent; atque ipse vicissim, quæ acceperat, cum aliis communicabat, ut (si Divi alicujus jussa esset recens recitatio) debitus ei locus attribueretur. Ita Mesnerius certo

quo-

quodam modo dicendus eſt pſalliſſe cum omnibus Sociis Chiquiticis, quandoquidem omnium pſallentium regulæ ſerviebat & normæ.

ASPERITAS MESNERII IN SE IPSUM ET PIETAS IN DIVOS.

XXIII. JAm vero qui ſic blandus in alios & benignus erat, in ſe ipſe aſperrimus fuit & crudelis. Sæviendi in ſe ſe modum didiciſſe videtur Meſnerius a Joanne de Benavente, cujus fuit aliquandiu collega. E primis ille Chiquitorum cultoribus ſecutus eſt (ut dicemus alibi) duriſſimum vivendi genus, & cui vix natura humana par eſſe queat. Eum igitur imitari Meſnerius voluit, magni enim ſemper virum iſtum ſanctiſſimum fecit; cum eoque abſens inſtituit commercium litterarum, quæ de rebus ſpiritualibus erant, totque hujus generis epiſtolæ poſt mortem Benaventii repertæ ſunt, ut juſtum volumen confici poſſet.

XXIV. Principio Meſnerius legem ſibi poſuit abſtinendi a cibo potuque, qui linguæ gutturique blandiretur. Alunt vicinæ ſilvæ aves varii corporis & inſtinctus haud paucas, quas per ludum exceptas obtrudunt Indi aucupes cultoribus ſuis: eſt & ſaccari ibi vis multa, unde ſi velis, baccas nemorum & poma tibi condias. Hæc erant Meſnerio facilia comparatu: tamen & avibus ille & conditis fructibus perpetuo temperavit, ut item uvæ liquore. Hujus quidem magna ibi inopia eſt, quippe qui magnis impendiis aliunde importatur, vites enim tellus ea non patitur. At ſi innuiſſet Meſnerius, ſuppeditaſſet præfectus (qui curabat in uſus neceſſarios afferri aliquot vini cados) quod ſatis foret in attritæ valetudinis remedium. Aquam ille prætulit, cui par erat panis e frumento Indico, quod Maiz vocant, namque inter Chiquitos ager triticum noſtrum non fert, quo ſit, ut farina ad Sacrificium advehenda e Peruvio ſit itinere longiſſimo.

XXV. Penuriam hanc fecerat uſus ipſe tolerabilem Chiquiticæ gentis cultoribus, utique Meſnerio, qui neceſſariis ejuſmodi incommodis alia ultro addebat, ſemel tantum parco in diem veſcens cibo. Sed illud longe mirabilius eſt induxiſſe eum in animum vel aqua ipſa uti parciſſime etiam in maximo eſtu regionis, quæ Zonæ torridæ ſubjecta eſt, & cum vicinior urget Sol, ita ardent omnia, ut humectandum ſæpe ſit corpus frigida, ne dehiſcat. Et vero cariſſime conſtitit Meſnerio vim ſibi & naturæ intuliſſe negato liquore: nam maligna febris ita corripuit arefacta membra, ut conclamatum fuerit de ejus vita: vixit tamen, ſed non ſine graviſſimis e morbo reliquiis; obſtructa enim ad pulmonem halitus via, compreſſiſque meatibus trahendæ reddendæque auræ, ſpirare vix poterat, ægreque reciprocans animam, paſſim mori videbatur.

XXVI. Ex quo autem ei ſupervenit id mali, numquam ſe veſte exuit ad quietem capiendam, ſed aut ſedens, aut acclinis ad lectum, cum indumentis brevi tempore dormiebat, tolerabatque patienter duriſſimum incommodum, edoctus in hanc rem a caritate, *quæ omnia ſuſtinet*. Socii miſerti fractæ valetudinis, longarumque vigiliarum, auctores erant, ut æſtu ſæviente amictum cubiturus deponeret, quo liberius reſpiraret. At ne id quidem indulſit ſibi Meſnerius, qui torquendi potius, quam recreandi corporis artes quærebat, adhibitis inſuper diris flagris, & ferreis ciliciis, quibus crebro utebatur.

XXVII. His ille veluti ſpinis vallabat ſanctam puritatem, quæ tanta in eo fuit, ut ad modeſtiam intuentes componeret tum oculis, quibus nihil licentiæ permiſit, tum toto corporis habitu, fido cuſtode pudicitiæ, ad quam clientes ſuos frequenti commendatione caſtimoniæ excitabat. Caſtitati par paupertas, cum nec haberet, nec habere quicquam privati vellet: quod ſiquid ei aliunde mitteretur illarum rerum, quibus regio caret, quaſque caritas ipſa pretio-

tiosiores reddit, licet alibi gentium minimi sint pretii, confestim petita a præfecto venia Sociis, Indisque omnia dividebat, nihil sibi reservans, ne voluntatem quidem propriam, aut animi sensa, quæ volens libensque præcipientium nutui subjiciebat.

XXVIII. Diximus supra dilexisse Mesnerium decorem domus Dei. Sed cum & ipse templum esset Spiritus Sancti, sollicitus in primis fuit munditiæ interioris, qua animum eximie ornaret. Deiparam singulari colebat pietate, & coli ab Indis curabat, de immensa illius dignitate, divinisque dotibus disserens assidue: præsertim vero pueris, puellisque MAGNÆ MATRIS amorem inspirabat, ut se se puros labis servarent, & toto deinceps vitæ tempore MARIAM Virginem instar patronæ & præsidis venerarentur.

XXIX. Multo majus Mesnerii obsequium in Eucharistiam. Quidquid vacui temporis a sacris ministeriis, curisque aliis, nactus erat, ad latentis Christi tabernaculum flexis genibus ponebat; conscientiæ ibi rationes ante prandium inibat, & jusso dein tempore dabat operam Sacerdotali penso. In templum rursus binis post mediam noctem horis revertens rerum coelestium meditationi insistebat quousque sub auroram sacrificandum erat: a sacrificio autem longum inibi durabat temporis spatium agendis gratiis divino hospiti. Quod si difficultas impediti anhelitus eum vetaret quietem capere, quies ipsi unica erat sacra ædes, ubi a Deo abscondito patientiam simul & consolationem precabatur.

JUBETUR EXULARE.

XXX. IS erat tenor vitæ Mesnerii partim pro Deo bona agentis, partim mala subeuntis ob Dei amorem, & partim Deum ipsum contemplantis, cum improviso a carissimis sibi neophytis avulsus est regia exilii lege. Id qua ratione factum sit, dicam paulo distinctius, ut per se quivis satis intelligat, quanta &

Mesnerio, & Sociis aliis, de quibus mihi scribendum est, doloris tum causa fuerit.

XXXI. Pridie Nonas Septembris mensis anno MDCCLXVII. venit ad Chiquitos Didacus Martinez Tribunus secum ducens LXXX. militum cohortem. In desertis illis & vastis locis, cum distaret adhuc longissime a primo oppido, vocavit ad se agminis capita, quæsivitque qui modus tenendus esset in expeditione illa, ut omnia fierent ordine, neu qua noxa vel a neophytis in ipsos, vel ab ipsis in neophytos oriretur.

XXXII. Duplex sententia dicta est; altera, occupandos repente Jesuitas, & palam extrudendos; altera e contrario, nihil agi oportere in illis amovendis nisi ex ipsorum voluntate: summum esse in eos amorem Indorum, qui passuri non essent cultores suos durius haberi: quod si tumultuarentur, & arma & arcus caperent, resisti non posse tam exiguo militum numero genti acerrimæ, & cujus venenatæ sagittæ (quarum vel leve vulnus certa mors sequitur) magis timendæ sunt, quam igneæ aliorum fistulæ: in exquirendo autem Jesuitarum consilio nihil esse periculi, cum ipsimet nossent (superiore anno iidem versati ibi fuerant ob causam, quam in vita Stephani Pallozzii dicemus) quanta Socii Chiquitici præstarent religione, & pietate, & quo studio & benevolentia missos ad se Hispanos complexi fuissent.

XXXIII. Ad hæc, ipsos longo usu artem didicisse tractandorum Indorum, eamque artem adhiberi tum necesse esse, ut homines bello boni, manuque prompti quiescerent, nec quicquam tentarent contra Regis imperium. Quocirca in oppidum S. Francisci Xaverii (hoc primum Chiquitorum est) pacato agmine eundum, atque ibi arbitris Patribus de re tota deliberandum. Fuerunt, qui sententiæ huic refragarentur: sed deinde omnia ex ea administrata sunt, ostendentibus Sociis Chiquiticis, qua ratione comprehenderentur sine ullo damno comprehendentium:

cujus

cujus quidem rei haud ſcio, an vetus aliquod exemplum repereris, hominis videlicet, qui ſponte ſua dux aliis & auctor fuerit ſui ipſius domo expellendi, conjiciendique cum ignominia in ærumnas innumerabiles: quæ res utique incauto Sanſoni male ceſſit.

XXXIV. Igitur eo, quem diximus, die advenientem Tribunum cum militibus exceperunt ſingulari gratulatione Sacerdotes, qui Xaverianos Indos curabant, ignari penitus, quid ſibi illi vellent, & quantum mali apportarent. Illuc forte venerat paulo ante, ut de miniſteriis & diſciplina Sociorum cognoſceret pro munere, præfectus Chiquitorum Joſephus Rodriguez. Hic, & Curio, ejuſque collega, cum in cubiculum deduxiſſent obſequii cauſa Tribunum, petiit is coram quattuor ex anteſignanis ſuis, ut illi in verba Regis jurarent. Id fecit, non quod de Sociis ipſe diffideret, ſed cum milites non eodem omnes animo affectos in Jeſuitas antea comperiſſet, ne (ſi res male verteret) cauſarentur illi dein aliquid omiſſum eſſe e re publica, eo cautionis deſcendendum ſibi ratus eſt.

XXXV. Præfectus Rodriguius jure jurando, inquit, iſto opus non eſt. Quanta enim in Regem fidelitas noſtra & fuerit, & ſit, tibi, qui hic inter nos diu egiſti cum tuis, ſatis conſtat. Et vero quid tot ante obitis malis, tantiſque laboribus, & fuſo etiam plurium ſanguine, aliud fecimus, quam Dei cultum, Regiſque imperium amplificare in regione hac, quam adire audebat Hiſpanorum nemo? Hæc vere dici cum ſciret Tribunus, deſtitit ab exigendo Sacramento illo, lectaque demum exilii lege, unum popoſcit, ne Jeſuitæ ſignificarent Indis adventus ſui cauſam, donec emollitis paulatim animis ſine tumultu Regis decreto obtemperaretur.

XXXVI. Actum deinde de modo evocandi Socios ex oppidis minima, quoad ejus fieri poſſet, Indorum perturbatione. In hanc rem placuit, ut ad loca remotiora, quo Hiſpani milites numquam pene-

trarant, iret Centurio unus cum comite Jesuita: id timori, aut suspicioni neophytis non fore, consciis jam pridem censeri coram regio ministro capita familiarum pro decernendo tributo: in alia autem oppida, ubi præsidiarii stativa olim habuerant, iri impune posse, quod putaturi essent Indi id fieri, quod jam anno præterito fuerat factum.

XXXVII. Dicam nunc exempli causa de gestis uno in loco, ut hinc de reliquis fiat conjectura. Oppidum S. Jacobi ex extremis est, distatque a S. Xaverii centum amplius leucis. Indos ibi instituebant Narcissus Patzi, & Josephus Peleya. Ad hos perscripsit præfectus Rodriguius, quid novæ rei esset a Rege, abitionem proinde pararent sensim, & dissimulanter: adjecit autem præceptum sanctæ obedientiæ, ne de jusso exilio quicquam neophitis indicarent. Acceptis his litteris summus (quod necesse erat) utrumque incessit mœror, de quo inter se quidem consolandi causa agere poterant, cum Indis non poterant, propsereaque si amor clientium, quibus nuper aggregarant CC. familias magnis laboribus e silva eductas, sæpe excutiebat eorum lacrimas, cohibendæ erant hæ palam (nequid secreti negotii proderent) & clam dumtaxat spargendæ.

XXXVIII. Interim jam oppido appropinquabat Jacobus Gutierrez Centurio cum comite Sacerdote Joachimo Camano Jesuita. Tribunus Martinius, ad quem summa rerum pertinebat, Gutierrio mandarat, ut occulte indicem bonorum, quæ in oppido erant, conficeret, confectoque in oppidum aliud, facturus idem, ire pergeret, secumque unum e sociis relicto altero (quo lex jussi exilii melius celaretur) educeret. Ergo cum ille, & comes Camanus propius jam abessent, Patzius & Peleya oppidanis persuaserunt, ut, quoniam minister ille Regis erat magnæ auctoritatis, obviam ipsi procederent cum pompa & plausu.

XXXIX. Parabatur gaudium publicum militari homini paranti fletum acerbissimum abituris Sociis. In-

Indi, quid ageretur nescii, cultoribus suis morem gessere. Pueri in binos divisi ordines, quorum singulis dux erat suus, ad oppidi aditum constiterunt; post pueros binæ item adolescentium alæ, interque eos musici lituis, tibiisque, & sonoris aliis instrumentis canebant: omnes autem (ut ipsis mos) ornati erant versicolorum plumarum eleganti cultu.

XL. Viri vecti equis, & oppidi magistratus, longius venienti occurrerunt cum Patzio & Peleya. Hi urbane comiterques salutatum Gutierrium in oppidum deduxere magnis undique editis lætitiæ signis, festoque æris campani tinnitu e templi turre: diceres binos illos Sacerdotes, & Camanum comitem, ac (ut ita dicam) custodem corporis auxiliatoremque Centurionis, ritu victimæ floribus & vittis redimitæ inter tympanorum & tubarum cantus ad aram mactandos trahi.

XLI. Biduum dumtaxat moratus ibi Gutierrius est, nam, ut exiguæ oppidi fortunæ erant, satis id fuit ad scribendum indicem. Inde cum eodem Camano (dato fido præsidio contra vagantes barbaros, qui loca illa infesta reddunt) abiit in oppidum SACRI CORDIS, quod ultimum erat Paraguayum flumen versus. Hic, ut tabulas inventæ rei confecit, sumpsit secum Franciscum Xaverium Guevaram, relicto Parocho Josepho Chueca. Redeundum ei erat in oppidum S. Jacobi, quo cum venisset, divisit itidem socios: Peleyam sibi in iter adjunxit; Patzius restitit, mirantibus Indis, cur ille cum Centurione, ejusque comite Camano iret: & jam infausti aliquid suspicabantur: excussus tamen ipsis timor est, tum quod Patzius remaneret, tum quod Peleya diceret ire se ad revisendos aliorum oppidorum curatores, ut alias fecerat.

XLII. Arte eadem per reliquos itum est pagos, altero e Sacerdotibus jusso manere, sequente altero euntes ad S. Xaverii. Sic pedetentim & per partes, octo mensium spatio abducti sunt Jesuitæ omnes, alii

post alios, e medio gentis bellicosæ, rem prudenter administrante Tribuno Martinio, & Sociis sedantibus, qua verbo, qua factis, turbatos clientium animos, quousque Clerici successores ex urbe S. Crucis Montanæ submissi sunt.

INDICTO EXILIO QUID MESNERIUS EGERIT.

XLIII. QUod ad Mesnerium propius attinet, numquam ille e Chiquitis egressus fuisset, si Tribunum Martinium justa postulantem audisset qui potuit, & debuit. Scripsit ille Chuquisacam inter Jesuitas repertum sibi, cui, cum vix spiritum traheret, moriendum certo foret, si iter ingrederetur. Rescriptum est Jesuitas omnes ad unum illinc exigendos. Mesnerius resciit, quid Tribunus proposuisset, & quid responsi datum ex urbe senatoria. Illi pro humanitate gratias egit, addidit tamen, vel etiam optione data abeundi restandive, haudquaquam passurum fuisse se se a Sociis suis dividi, ac nolle in oppidis manere, si neganda ei esset (ut erat) exercendorum ministeriorum venia. Mors autem futura ex itinere vix eum movebat, jamdudum enim e colloquiis habitis cum viro illo eximiæ sanctitatis Benaventio *cupiebat dissolvi, & esse cum Christo*.

XLIV. Itaque adcinxit se se viæ longissimæ. Verum priscis incommodis, & infirmæ valetudini accessit nova & tristissima rerum facies. Aspiciebat oppida, quæ toties & tot laboribus circumcursaverat, templa, quæ tantis illi curis steterant, musicos, quos assiduo studio artem docuerat, adultos Indos, quos ad virtutem instituerat, pueros, quos baptizarat, Socios suos denique & contubernales, quos affectos videbat malis gravissimis, & turpi notatos ignominia exilii.

XLV. Hæc omnia Mesnerii animum per se ægrum interdiu noctuque magis ac magis exulcerabant. Super-

pervenit iis rebus dein, cum jam instabat exitus, Indorum planctus. Siccine, ajebant, nos deseris? Quid peccavimus? quid fecimus? aut unde istud meriti sumus? Tu pater, & magister es noster, nos filii tui, & a te docti legem Domini. Quo nunc abis? quis nostri curam aget? quis non erudiet? quis decumbentes morbo inviset? (hæc querela eo verior erat, quod in dioecesi S. Crucis Montanæ, ad quam Chiquiti pertinent, nullus Sacerdotum esset, qui linguam illam satis calleret.)

XLVI. Erant autem e matribus, quæ sparsæ lacrimis, & passis crinibus, teneros ei ostendebant partus suos, & clamabant: en quem nuper baptismo fecisti filium Dei! quæ illum sors manet, cum grandis erit? quis corriget, si peccet? Alio si ire vis, hunc adduc tecum, & tecum habe. Per sanctum JESU nomen, per MARIÆ Virginis amorem, per superos omnes, mane, noli discedere, noli relinquere quos Christo, & cœlo peperisti.

XLVII. Quid hic ageret Mesnerius? Consternabatur miserandum in modum, exanimabaturque. Ad Deum, & ad Divos, quos patronos sibi advocarat, frequentius solito recurrebat, ut se, & Indos consolarentur. At Deus, & Divi patroni robur quidem dabant, nequid aut diceret, aut faceret gravi indignum viro; solatium non dabant. Ergo cum clientium fletus & clamores ferre diutius non posset, adiit supplex Tribunum, rogavitque, ut sibi per eum liceret ex oppido S. Ignatii, ubi degebat, in oppidum migrare S. Raphaelis, ubi agebat Stephanus Pallozzius: non enim auditurus erat illic suorum gemitus, & simul a sene illo sancto & prudente exquirere volebat, quid faciendum sibi esset in tanta animi ægritudine. Annuit Tribunus, & re ipsa Pallozzius fuit tum sacer interpres & consolator, quo usus est Deus ad Mesnerium confirmandum recreandumque; crevit quippe ipsi, eo audito, constantia & vis in præsentia & futura mala.

EGRE-

EGREDITUR E CHIQUITIS ET MORITUR.

XLVIII. ADerat jam profectioni dictus dies. Iter erat in urbem S. Crucis Montanæ, quæ ab oppido S. Raphaelis, unde egreſſus eſt Meſnerius, diſtat centenis duodenis leucis. Loca illa omnia vaſta, & ſola: erat annuorum tempus imbrium, qui effuſiſſimi ſunt, & late campos opplent. A calido autem cœlo infinita gignitur vis culicum, & aliarum peſtium, quibus te numquam liberes. Sed majus malum a viperis inter virgulta latentibus, quarum metu purgandum diligenter eſt ſolum, ubi cibum ſumas, & cubes.

XLIX. Hæc quidem gravia ſunt omnibus, ſed multo graviora Meſnerio, cui ex equi jactatione vetus illa trahendi ſpiritus difficultas augebatur: crura autem contracto vitio ob nimium æſtum, humori miſtum, manabant ſanie, cavendumque ei erat magis, quam ceteris a vepribus & dumis, quibus arva ſcatent, & ſimul a formicis, quarum copia innumerabilis eſt. Occurrit illac paſſim arbuſculum quoddam, unde ignarus inſidiarum nihil tibi timeas mali; at ſi vel leviter pulſes, erumpit illico foras per minuta foramina immenſum formicarum examen, quod dicto citius veſtem operit & corpus, atque ita mordet, ut equi ipſi inſaniant, ſeſeque contorqueant vehementer, & ſubſultent, equitemque, ni vi coerceat, excutiant. Inter hæc eminuit Meſnerii patientia, & virtus, donec urbem S. Crucis mortuo ſimilior quam vivo ingreſſus eſt.

L. Quinque ibi menſes ſubſtitit affixus lecto, ingraveſcente enim morbo movere ſe loco non poterat. Tam longæ moræ cauſa fuerunt *ANDES* Peruvici rigentes per id tempus nive, & aditum negantes. Peruvicum imperium in bina ſecant partes juga montium, quorum tanta altitudo eſt, ut nuſquam gentium locus ſublimior ſit, prout conſtat ex obſer-

vato

vato regionis situ a Gallis Astronomis Ludovico Godino, Carolo Maria La condamine, ac Petro Bougerio cum sociis Hispanis Georgio Juan, & Antonio de Ulloa, qui illuc missi fuerant ad definiendam terræ figuram sub æquatore, quam rem absolverunt an. MDCCXLII. auspiciis Philippi V. Regis. Ab eminente autem supra modum tractus illius plaga fit, ut in subjectis vallibus perpetuum sit ver, temperante sic provido naturæ Auctore violentos ignes Zonæ torridæ.

LI. Ubi mitius anni tempus appetiit, Mesnerius ex strato in mulam abducitur, male utique sessurus, qui impotens erat pedibus ingredi. Sed experiundum ipsi erat usu ipso quod docuit Paulus de caritate: *omnia suffert*, & illud a Domino dictum Petro: *cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget*, & *ducet*, *quo tu non vis*. Ductor (nomen nescio, nec curo) cui Mesnerius, comitesque ejus, custodiendi, agendique in portum, traditi sunt, nec humanissimus, nec prudentissimus mortalium erat. Cogebat miseros senes per montium aspera iter in diem longius conficere, quam solent muliones, cum illac transeunt: quam ob rem fessi fractique deveniebant in locum, ubi meridiandum pernoctandumque erat.

LII. Mesnerius iter continuavit aliquot dies viribus plane defectus; nam ægre spiranti nihil est nocentius, quam tanta illa soli altitudo, ubi aer rarissimus & tenuissimus est, minusque ideo aptus ad trahendam animam. Vel robustis viris ibi locorum accidit, ut, cum paululum viæ processerint, anhelent difficulter, intercluso spiritu, ac propterea iter promovent alternis, subsistuntque. Altera quoque tardi anhelitus causa est, quod, cum fœta sint juga illa venis argenti aurique, & aliorum metallorum, vapores sulphurei, qui sensim emanant, prætereuntes pæne suffocant.

LIII. Ventum erat ad altissimi culmen montis, qui

qui ultimus eſt euntibus ab urbe Oruro Tagnam verſus. Ibi poſitis ſarcinis corpus curarunt. Meſnerius obteſtatus ducem eſt Dei nomine, ne ſe cogeret ultra progredi moriturum brevi. Ille durior ſaxis & cautibus, quæ circum erant, juſſit milites imponere Meſnerium mulæ addiditque e comitatu unum, qui collabentem fulciret ſuſtentaretque. Non longo ſic viæ ſpatio confecto, ſenſit ſubſidiarius ille ſeſſor Meſnerium expiraſſe, vel potius obdormiſſe in Domino cui ſupra Calvarium mortuo mortem ipſe viciſſim ſuam obtulit, expiaturam quidquid ei inerat humanæ labis, ne recta e jugo illo in Cœlum (ut ſperare fas eſt) conſcenderet. Ipſe dies retulit Meſnerio in memoriam acerbam Chriſti necem, erat enim feria VI. X. Kal. Maj. an. MDCCLXVIII. Cadaver e loco illo devectum eſt in Pachiæ templum, ad radices montis ſitum in finibus Tagnæ. Ibi (juſta funebria perſolventibus Sociis) tumulatum eſt.

LIV. Huc recidit durities Mezentii illius (quo enim alio appelles nomine ferum hominem, qui mortua jungebat corpora vivis? Deſertus quidem erat locus; ſed ſi piis Indis, Hiſpaniſve, qui minus longe aberant, opem petiiſſet ferendo commodius ægro Sacerdoti, veniſſent auxilio volentes libenteſque. Juſſerat diſertis verbis Rex Catholicus benigne liberaliterque haberi Jeſuitas, dum in exilium deportabantur. Sane in Hiſpania Regis ipſius, & Miniſtrorum voluntate, relicti ſunt aliquot ægri, ut quieta morte defungerentur. Et quod nos propius ſpectat, in Paraguaya inter Indos Guaranios reſtitit P. Sigiſmundus Aperger, quod cruris ulcere ad iter impediretur.

LV. Quin etiam dicitur Excellentiſſimus Comes de Aranda ſupremi Senatus (*de Caſtilla* vocant Hiſpani) tum Præſes, & nunc Princeps, ſive Decanus regii conſilii, qui ſumma auctoritate negotiis regni a Rege præpoſitus eſt, dicitur inquam graves in Americam ad prætorem quemdam litteras dediſſe monens de officio, & objurgans, quod e prætura

ſua

ſua parcius inſtructos veſtitu Jeſuitas in Europam amandaſſet. Idem Aranda Præſes ad alium (ferunt) ſcripſit: deeſſetne in America ſat terræ, qua Jeſuitæ quidam ſenes ſepelirentur? Ei exprobrans quod annis adeo attritos navigare compuliſſet.

LVI. Quam igitur idem Comes clariſſimus ſevere in ducem illum inhumanum animadvertiſſet, ſi ſuperſtites Meſnerii comites de diro facto apud eumdem expoſtulaſſent? Sed de his ſatis: neque enim pro immenſo terrarum & maris intervallo, quanto Novus Orbis diſtat a vetere, fieri potuit, quin aliter Regis juſſis obtemperaretur, quam ipſe Rex voluit.



JOANNES SUAREZ
SCHOLASTICUS.

SCripturus vitam candidiſſimi adoleſcentis Joannis Suarii videor mihi vere poſſe dicere, quod de Quintilio, fortaſſis id minus merente, cecinit vates Lyricus: *cui pudor, & juſtitia ſoror, incorrupta fides, nudaque veritas, quando ullum invenient parem? Multis ille bonis flebilis occidit* (*a*). Equidem affirmare non dubitem; me noviſſe nullum uſpiam, cui major fuerit pudor, & fides incorruptior, & nuda magis veritas, quam Joanni Suario, ſublato e vivis in ipſo ætatis flore. Et certus ſum haud aliter, ac nos, ſentire, qui Suarii mores propius inſpexere, cum eoque verſati olim ſunt domi foriſque.

EJUS PATRIA ET PRIMA STUDIA LITTERARUM.

I. NAtus eſt an. MDCCXLIII. XVIII. Kal. Septemb. qui dies ſacer eſt aſſumptæ in cœlum Reginæ An-

(a) *Horat. I. Odar. XX.*

Angelorum MARIÆ; perinde ac magna Virgo pudicissimo clienti suo, & Angelicam victuro vitam, voluerit nascenti adesse, eumque jam inde adoptare sibi in filium tamquam benigna mater. Patria Suario, oppidum *Insula* dioeceseos Ovetensis apud Astures, qua gente in Hispania nobilior nulla est. Parentum nomina, cum tam longe absim, nescio; illud scio sancte illos pieque filium educasse.

II. Ut fari jam coepit, eam ostendit animi indolem, qua omnium deinceps benevolentiam sibi conciliavit: quippe majoribus obtemperans, comis in æquales, iræ nescius, sincerus, gratus in primis, siquid a quoquam beneficii acceperat, his rebus (quibus nihil est potentius ad demerendos homines) carus æque notis ignotisque fuit. Accesserat ipse corporis habitus elegans, & venustus, sed ita simul gravis & modestus, ut decorem modestia commendaret, modestiam decor.

III. Principio applicuit Joannem pater ad studia litterarum; sed facti post poenitens ab scholis mutato consilio amovit, ut successorem haberet procurandæ rei domesticæ, servandæque familiæ. Verum Joannes præcepto jam gustu librorum, ad hos avide ferebatur, malebatque se se templo dedere (Samuelis pueri ritu) quam implicari negotiis sæcularibus. Hinc factum est, ut retineri non potuerit, quin negatum sibi domi otium ad doctrinæ cultum alibi locorum quæreret, ob idque venit Matritum sive volentibus, sive conniventibus ægre parentibus.

IV. Peregrinus puer pios illic hospites reperit, qui perspectis Joannis dotibus egregiis, illum filii instar amarunt, & foverunt maxime grammaticæ arti rursus studentem. Ceterum si consilium electæ ad studia litterarum urbis regiæ ex re ipsa pendas, vix probes. Quot enim, ubi immensus populus est, atque omne hominum genus puero tot naturæ donis prædito pericula? Quantumvis enim cives illi, apud quos habitabat, honesti essent, ut erant, tamen exe-

untis

untis hoſpitis ſui mores, agendique modum, & amicitias, quas coleret, noſſe qui poterant? Impius quidem ille, quem divini vituperant libri, id ſibi ſpoponderat ad celandam vitæ licentiam, facile nempe ſe, immiſtum colluvioni malorum, corruptos tecturum mores: *in populo*, ajebat, *magno non agnoſcar* (*a*).

V. Neque hæc temere prædico, eademque prædicarem de adoleſcente quovis Joannis ſimili. *Erat pulchra facie, & decorus aſpectu* (*b*). Hinc veteri Joſepho juveni caſtiſſimo ingens illud, quod ſcimus, diſcrimen, hinc ortæ inſidiæ; nec diſſimiles Joanni factæ dicuntur (ubi, aut quando, me latet, neutrum enim exprimit M. S. quo utor.) Joannes autem Joſephi exemplo tentantem a ſe ſic repulit, ut vix præ horrore metuque conſtiterint ei pedes ad fugam. Fugit, & poſt longas ad Deum preces cum gratiarum actione pro vitato periculo, doctum probumque Sacerdotem conſuluit, quid facto in poſterum opus eſſet. Et quidem nihil, quod & cautio, & caritas, & prudentia dictabant, prætermiſſum eſt, quo non ſolum muniret ipſe ſe ſe, ſed etiam, quo in viam ovis illa errabunda rediret; idque Deus, miſericordiæ memor ſuæ, lacrimis, & cruciatibus innocentis pueri benigne conceſſit.

SOCIETATEM PETIT.

VI. MAximus omnium ſcopulus (ad quem ferme offendunt adoleſcentes) ſocii & amici futuri erant, niſi probatos eligeret Suarius, & tales quidem elegit providente Numine ne optima parentum educatio (qui neceſſitate potius, quam voluntate a ſe filium dimiſerant) male cederet. Conjice e re una quales Joannis familiares fuerint. Ibat cum æquali per urbem, & viſo propius templo, ingreſſus illuc uterque eſt.

(a) *Eccles. c. XVI. v.* 17.
(b) *Genes. c. XXXIX. v. 6.*

est. Eodem intrarunt paulo post bini Jesuitæ, qui audituri erant eo die confessiones sacrarum Virginum, quarum ea erat ædes. Innixi illi genibus ante aram adorarunt Deum absconditum, ab eoque poposcerunt opem, qua sacro ministerio rite fungerentur.

VII. O preclaram boni vim exempli! Observabat supplicantes Suarius, eorumque modestia & pietate captus quæsivit a comite, qui essent religiosi illi viri? (ipse numquam Jesuitas allocutus fuerat, & vix de ipsorum Instituto audierat). Sunt, ait, Jesuitæ, concionantur, pœnitentes audiunt, moribundis assident, pueros litteras docent, & domos in hac urbe plus una habent. Atqui hi quidem (addidit Joannes) valde mihi placent, sentioque intus me in eos affici, ac vellem, si fieri posset, ex ipsorum esse numero.

VIII. Mirare hic suavem vim Spiritus divini, qui spirat ubi vult, & vocat quos vult, & quomodo, ac quando vult. Puer ille pius adeo affuit, ut ab immaturo (ne dicam importunum, si stes humanæ prudentiæ) desiderio Joannem averteret, ut ultro etiam stimularit; & si id tibi, inquit, cordi est, ducam te ad eorum collegium, quod vocant Imperiale, &, siquid possim, etiam juvabo. Dictum factum: eunt recta ad Imperiale.

IX. Quid ibi facerent pueri negotium tam grave & serium propositurі? Deductor ille, cum quemdam e Sociis forte vidisset: heus tu, ait, puer hic vult in vestram Societatem cooptari; cum quo, dic, hac de re aget? erat tum in collegio illo Joannes Escandonius (cujus vitam scripsimus) procurator Paraguaycus, qui supplementum in provinciam scribebat. Ad hunc eos Jesuita ille comiter intromittit. Ut coram stetere, ambo cujus rei gratia venissent, exponunt: & Suarius quidem, ut in Sociorum numerum admittatur, supplex petit.

X. Escandonius variis interrogationibus pueri animum versat: quis sit, cujus, quibus parentibus,

apud

apud quos habitet, quid rei agat, qua caufa id optet? Modefte ille ad hæc omnia, atque iis verbis, eaque judicii maturitate refpondit, ut Efcandonius aptum ipfum ad provinciam arbitratus fit, & admiffum iri receperit cum eo tamen, fi fedulo in grammaticem interea incumberet, atque idemtidem in collegium veniret pofiti ftudii in difcendo rationem redditurus, & (quod caput eft) frequenti Sacramentorum ufu virtutum Chriftianarum fatageret.

XI. Abiit Suarius fpei plenus, hofpitibufque fuis magnum fecit gaudium ob rem inexpectatam. Exin quidquid Efcandonius jufferat, diligenter præftitit, ventitans ad Imperiale, ut præcepta morum, & compendia quædam, quibus melius citiufque latinam linguam addifceret, a bono acciperet fene. Erit fortaffe aliquis, qui Efcandonium nimis præcipitem in re tam gravi, & cum ignoto puero, cui ita facile aditum aperuerit in clauftra religiofa, fuiffe putet, & etiam temeritatis incufet.

XII. Ego cum Efcandonio multis vixi annis, ac, fi alterutrum dicendum eft, potius illum in rebus arduis timidum & tardum, quam parum cautum & circumfpectum dixerim, ita omnia fecum diu & multum agitare folitus erat. Et quando de admittendis in Societatem candidatis hic agimus, fuit, cum rogatus, ut nobilem adolefcentem Indorum culturæ cupidum in provinciam fecum eveheret, negarit, quod noffet tardo eum ingenio effe, neque inftrui fic litteris poffe, ut cum dignitate minifteria templi tractaret. Quid igitur Efcandonium movit, ut tam liberalem fe fe proclivemque oftenderet in Suarium? Si maximis liceret minima componere, dicerem accidiffe hic, quod legimus in faftis Ecclefiafticis de S. Eufebio, qui longe alibi natus, ut primo Vercellis apparuit, ftatim a Vercellenfibus fingulari omnium confenfu plaufuque exceptus eft, *tantumque interfuit ut probaretur, quantum ut videretur*, ceu de eo quotannis pie canimus.

XIII. Quod si fas non est puerum nullo rerum & litterarum usu conferre cum viro sapientissimo & sanctissimo, eodemque Antistite, illud existimo, voluisse Deum (cum Joannes castæ educationis retinens in medio urbis magnæ & lubricæ innocenter viveret) e periculis, quibus circumsepiebatur, eum traducere in locum tutiorem. Semper enim summus moderator hominum bene de se merentibus speciatim providet, & primis gratiæ beneficiis recte uso ampliora atque uberiora e cœlo auxilia submittit, utique cum inter ipsum adolescentiæ malum æstum eminet quis pudicitiæ laude, ut vel e solo (ne longius abeam) precum Sacerdotalium libro videre licet in Benedicto, in Bernando, in Thoma Aquinate, in Carolo Borromæo, in Andræa Avellino, in Josepho denique Calasantio, quorum victorias de hoste obscœno proponit nobis Ecclesia quotannis ad psallendum. Hæc norat (præter domestica exempla S. Stanislai Kostkæ, & Aloysii Gonzagæ) senex Escandonius, & videns tot in Suario pudoris, & modestiæ, & compositæ vitæ, cum probato ingenio notas, nihil de successu dubitavit; nec errasse eum felix dein exitus aperte monstravit.

IT IN TIROCINIUM.

XIV. JAm vero quam sancte atque ex animo Joannes Societatem petierit, vel inde constitit, quod cum in patriam (quam post aditum Oceanum revisurus erat numquam) reverti posset, dum Escandonius expediendis provinciæ negotiis detinebatur, id noluerit, contentus veniam proficiscendi a patre, & matre petere, eos admonens quo terrarum a Deo vocaretur; *pietatem enim in parentes* (quæ Hieronymi verba sunt) *& germanos fratres pietate in Deum superavit.*

XV. Ubi dictus profectioni dies adfuit, egressus Matrito est Suarius cum Escandonio. In longo itinere

ei

ei evenit usu quod Rex Psaltes cecinit: *apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet; cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*. Etenim eversa forte rheda, qua vehebantur, decidit Joannes in locum iniquiorem, quam comes: neuter tamen divino beneficio quicquam mali passus est, ne senex de puero, quem tamquam filium diligebat, doleret, nec puer de sene, quem tamquam patrem amabat.

XVI. Ut Hispalim ventum est ineunte mense Octobri an. MDCCLXI., illico Joannes, natus tum annos duodeviginti, adiit tirocinium, quod illic habebat provincia Bætica S. Ludovici nomine. Ingens hic illi, jam votorum compoti, gaudium, nec minor gratulatio tironum, qui optimum sodalem domi excipiebant. Quanti autem domus præfecto fieret Suarius vel visa ejus modestia, vel audita ab Escandonio commendatione singularis innocentiæ, statim patuit. Quippe cum mos Jesuitarum esset, ut candidati seorsim habitarent retenta veste urbana (dum lectis Instituti legibus maturius expendebant, quod vitæ genus subirent, & secum deliberabant proposita novæ sortis difficultate an regredi, an progredi melius foret) perque eos dies non admitterentur communi triclinio, sed in cella privatim vescerentur (ut in vita Ignatii Morrii docuimus) cum is, inquam, esset mos, tamen Joannes statim cum aliis cœnaculo receptus est, quod haud scio, an alii ante eum contigerit.

XVII. Vestem Societatis induit Nonis Octobribus, ostenditque protinus exemplo quam aptus esset vitæ religiosæ. Etenim ferventior illo, & modestior, & regularum diligentior custos, ac præfectorum non imperii solum, sed nutus etiam observantior, inter tirones erat nemo. Id sic explicat quidam, qui cum eo in tirocinio fuit: toto eo tempore, ait, exempla dedit virtutum omnium, modestiæ in primis, & mortificationis, & obedientiæ, & candoris; animadver-

fumque ſæpe eſt, malitiam mundi eum plane ignorare; conjicique item licuit ex illius verbis & factis conſervare ipſum adhuc gratiam baptiſmalem, neque ulla culpa gravi animum maculaſſe. Hæc ille.

XVIII. Candoris autem, qui in Suario ſemper eximius fuit, & humilitatis argumentum ſit hoc: juſſus legere inter prandium, vel quod minus expedita lingua eſſet, vel quod difficilia & aſpera occurrerent vocabula barbaricarum rerum in hiſtoria Indica, qui tum ad menſam liber erat, hærebat ille interdum, aut perverſe nomen aliquod efferebat: hinc ſubiti tironum riſus cachinnique, quibus inhibitus Joannes ſubſtitebat, collatoque melius syllabarum nexu, videns quam diſtorte rem pronunciaſſet, ridebat & ipſe, ac primum illum errorem corrigebat.

XIX. Poſt tres & viginti menſes tirocinii, inſtante jam navigatione, vocatus eſt in portum S. MARIÆ. Eſcandonius eam habebat opinionem de Suarii virtute, ut cum unus e tironibus vacillaret, velletque deſciſcere, hunc illi commiſerit, ſiquo modo retinere a fuga poſſet. Nulli rei pepercit Joannes, ut titubantem firmaret. Arguit, obſecravit, increpuit, propoſuit, quantum in diſcrimen ſemet conjiceret amittendæ æternæ ſalutis, ſi terga verteret, quandoquidem ex divino oraculo *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*. Hæc, atque alia his ſimilia, ardens tiro tironi inconſtanti objecit; ſed jam diſciplinæ pertæſum nihil movit, ne *abiret in locum ſuum*: haud tamen, quod irritus conatus fuerit, recti officii laude, & veræ caritatis merito Joannes caruit.

NAVIGAT IN AMERICAM.

XX. VIx ſeſquimenſis abierat ab adventu Joannis in urbem S. MARIÆ, cum conſcendit navigium S. Laurentii, nuncupatis jam poſt tirocinii biennium votis religioſis, ad quæ emittenda pararat ſe ſe ſacris

com-

commentationibus S. Ignatii, summa obitis cura. Ingressi navim (ibat tantum dimidia pars supplementi, id est XXX. Socii) Idibus ipsis Novembribus, qui dies sacer est D. Stanislao Kostkæ, fauste feliciterque navigarunt, habitique sunt optime a Navarcho Fernando Cortes, qui commeatum largum splendidumque imposuerat. Navigatio tenuit tres circiter menses, neque fere brevius ponunt tempus (quantumvis secundi sint venti) naves, quæ Gadibus eunt Bonasauras, adeo iter longum est, cum tota Zona torrida, & pars utriusque temperatæ intersecanda sit.

XXI. Totum cursus illius spatium sic Joannes divisit, ut partim exercitationibus spiritualibus, captato secretiori aliquo navigii angulo, partim humaniorum litterarum studio vacaret. Noctu vero, quod legere non posset (nam pauca ardent in navibus funalia, eaque malignæ lucis ob adjectos cancellos, nequa scintilla erumpat cum periculo incendii in tanta copia aridæ materiæ) cum socio alio adolescente, cui in hanc ipsam operam condixerat, vel de rebus interdiu lectis, vel de virtutum officiis sermocinabatur. Ita navigatio & minus gravis, & utilis fuit, mirantibus nautis vectoribusque tantam in modesto juvene constantiam, & diligentiam vitandi otii.

XXII. Postquam in terras alii subjectas cœlo appulere, bini eis menses ad quietem dati sunt in collegio Bonaurensium Jesuitarum, qui novos Socios ab incommodis trajecti Oceani (multa enim navis, etiam cum Navarchus bonus, & liberalis est, ut erat Cortesius, mala secum fert) benignissime recrearunt. Postea, qui incubituri erant ad studia litterarum, missi sunt, itinere CXXX. leucarum, Cordubam Tucumanorum, ubi admodum florebat morum institutione, & disciplina ingeniorum provinciæ totius Academia.

XXIII. Joannes Philosophiæ applicitus est, totumque artis curriculum cum laude confecit, numquam intermissa virtutum cura; sciens enim æstu conatuque discendi ardorem pietatis plerumque tepesce-

re, aut etiam extingui, cavit sedulo ne abriperetur hoc malo. Præter quotidianas, & communes omnibus spiritus functiones, quæ matutina per horam meditatione ante Sacrum Missæ, & bis repetito conscientiæ examine, & pia lectione, aliisque religiosis precationibus continebantur, adjecit ipse singulis mensibus extraordinarium diem secessus, quo die tabulas accepti & expensi (si ita licet dicere) quæ ad animum spectant, relegebat, & supputabat, an quicquam eo mense crevisset virtute, an contra decrevisset: & tum rationem inibat, nequid deinceps detrimenti caperet. Accedebant huc voluntarii cruciatus, quibus innocens corpus macerabat, & frequentes itiones in templum ad adorandam Eucharistiam, & complura erga MARIAM Virginem, quam tenere amabat & colebat, obsequia.

REVERTITUR BONASAURAS, ATQUE HINC IN EUROPAM ABIT.

XXIV. Contentione studiorum, & vi jugi se se coercendi factum est ut paulatim Joannes vires frangeret, & assiduo ferme dolore capitis torqueretur, addita febri, tenui illa quidem, sed pertinace. Erat tum Cordubæ præstantissimus medicus, Anglus natione, & jam veteranus Jesuita, Thomas Falkner. Nihil is omisit, quo Joanni mederetur: at morbi gravitas, & temperies cœli, calida illic in primis, artem omnem, & remedia artis reddebant irrita. Quocirca visum est præfectis, quibus Suarii salus carissima erat, illum Bonasauras remittere, quæ regio humidior est, neque ibi deerant præclari magistri, a quibus theologiam audiret. Ivit igitur Suarius sed non diu post inopinus casus omnia turbavit.

XXV. Accepit prætor Bonaurensis decretum Regis Catholici de comprehendendis, mittendisque in Europam Jesuitis. Rem ille præsit silentio (monitis dumtaxat administris tanti negotii) ad V. Nonas Ju-
lias

lias an. MDCCLXVII., quo die circumdari jussit repente ab armato milite binas, quas socii incolebant, domos, misso simul legato, qui nihil tale metuentes in unum locum cogeret. Qui erant in collegio S. Ignatii (hic habitabat Suarius) ad cubiculum Rectoris compulsi sunt, ibique lecta eis est lex exilii. Res erat per se tristis, & tristiorem eam reddit modus, quo acta est. Octo ipsas horas in cellæ illius angustiis legatus inclusos detinuit. Extrahuntur tandem meridie, & *spectaculum facti mundo* (inspectante atque attonito populo) deducuntur in domum Bethleemicam, quæ longe distabat, & ubi cives assidue per annum, una eorum classe alii succedente, sacris meditationibus exercebantur.

XXVI. Suarius silens, & modestus, tranquillusque (quoad ejus fieri poterat in summa corporis, & animi ægritudine) ad destinatam ivit custodiam, ubi duos menses & semis moratus est cum aliis, apposito ad ostium præsidio, quod cives ab alloquio arceret. Ceterum primus ille dies pro omine fuit eorum, quæ dein passuri erant Socii Bonaurenses: nam ea nocte vel oblivione, vel negligentia ejus, ad quem id spectabat, nihil introductum est, quo cubarent, neque stragulum fuit aliud, quam vestis, qua illuc intrarunt.

XXVII. Atqui hæc dolorum initia tantummodo fuerunt. E domo illa, ubi præstitutum tempus advenit, conjecti sunt in onerariam. Ferebantur secundo flumine Argenteo ad sinum *Barragan* (sic vocant) qui quattuordecim circiter leucas ab urbe distat. Via haud longa: verum permisit Deus, ut oborta procella, totum biduum in medio amni, qui maris instar est, jactarentur: secutæ autem sunt violentam navis jactationem nausea, inedia, & nox insomnis. Joannes incommoda ista sic æquo & alacri animo tulit, ut ejus constantia Socios, & comites (prout ipsi testantur) ad patientiam erigeret. Placatiore jam vento devenere tandem ad S. Stephani navigium, quod deportaturum erat eos in Europam.

XXVIII. Præter tempestatem sævissimam, quæ vix in Oceanum egressos excepit (rem narro, quam expertus sum, ibam enim ipse navi alia) difficulter admodum navigarunt, & plenus ærumnis fuit totus ille trajectus maris Atlantici. Finis navigationis initio respondit. Etenim cum venissent jam ad promontorium S. Vincentii (latini Sacrum appellabant) quadraginta omnino diebus superare illud ob ventum contrarium nequiverunt, coacti hærere sub infausti conspectu scopuli, quem omnes ex America venientes primo petunt, ut inde cursum Gades versus deflectant.

XXIX. Itaque quattuor, eoque amplius, menses navigatio duravit, quo factum est, ut cibaria deficerent, & aqua maxime, quæ ita parce dividebatur, ut humectando corpori satis non esset. Supervenit aliis calamitatibus nauticus morbus (Scorbutum vulgo dicunt) qui omnes fere corripuit, & quosdam etiam extinxit. Eadem fuisset Suarii sors, nisi longiore tempore ejus patientiam ad aliorum exemplum exercere vellet Deus. Attributus illi locus in navigio ita obscurus erat, ut lux numquam eo penetraret. In tenebris proinde, inque posito ibi strato assidue jacebat vel ob debilitatem corporis, vel ne, si foras prodiret, nautarum ministeriis impedimento esset. Levia autem commoda, quæ imbecillis dabantur, ob ingenium verecundum sibi non curabat, contentus vitam tolerare aqua tribulationis, & *pane lacrimarum*.

VENIT GADES, ATQUE E GADIBUS IN CORSICAM, ET MORITUR.

XXX. APpulerunt demum Gades. Joannes in vicinam S. MARIÆ urbem devectus est sic affecto corpore, ut plane actum de ejus vita videretur. Non deerant quidem sana ibi alimenta, nec qui de Suario curam agerent boni medici. At his quid reliquum erat in ægro prorsus desperato? Febris perpetua me-

dullis

dullis hæserat, tantusque erat ab tergo dolor, ut nec decumbere supinus, nec ullo quiescere modo posset.

XXXI. Hac re, cum in Corsicam, transmisso Herculeo freto, deportandi essemus, edixit medicus Joannem navigando non esse, quod si faceret, morti in navi succubiturum. Regius minister Marchio de Terri illum, nobis abeuntibus, retinuit, si longior mora afferret boni aliquid. (Vide hic obiter ob vicinitatem Aulæ, & Regis, quanto benignius cum ægris ageretur, quam quomodo actum est ab illis Sociorum Chiquiticorum exactoribus, quibus nihil pensi fuit misera sors male habentium, ut in superiore vita Joannis Mesnerii diximus.)

XXXII. Unus salutari medici consilio obstitit Suarius ipse, qui enixe & multis cum lacrimis egit, ut sequi Socios suos permitteretur, moriturum se ajens libenter inter eos, quibuscum tot annis conjunctus vixerat, & quos si obiens coram cerneret, æquo animo naturæ cessurus esset. Igitur precando urgendoque obtinuit a Marchione Terrio, ut deferretur in navigium Suevicum, cui *Status regni* nomen erat, designatum transvehendis Jesuitis Paraguaycis, qui jam illud conscenderamus magno numero.

XXXIII. Navigatio incepta est medio Junio an. MDCCLXVIII., & tenuit ad Julium usque mensem, quod anni tempus ob calorem Joanni correpto aliunde febri gravius fuit, multoque molestior navis jactatio, quæ nos fluctuum æstu ad fretum Lugdunicum multos dies vehementer exercuit. His rebus adeo attritæ sunt Joannis vires, ut efferre se lecto non posset; linquebatur etiam interdum animo, & sensibus, quibus per intervalla recuperatis, admirationi omnibus erat ejus patientia, & consensio cum divina voluntate; audiebaturque inter dolores & morbi incrementa sæpe dicere: *pro amore Dei hæc sunto: si sic Deus vult, fiat, quod vult*. Dein, cum ægre jam vocem mitteret, rogavit a Socio, ut præiret psi formulas fidei, spei, & caritatis.

XXXIV. Ad extremum, acceptis rite Sacramentis, plenus fiducia Dei excessit e vita III. Idus Julias in navigio, quod ad ancoram stabat. Portum Urcini (Aiaccio vocant hodie) subieramus quatriduo ante. Moræ hujus causa fuit, quod, occupata urbe Gallis militibus, atque sociis exulibus provinciæ Toletanæ, locus ibi pluribus non erat, expectabamusque in dies quid nobis fieret, & quo tandem terrarum deportaremur. Naves erant octo, quæ simul Gadibus solverant plenæ Jesuitis ex America ad mille circiter.

VIRTUTES SUARII.

XXXV. REdeo ad Joannem, cuius cum aliquot virtutes, prout rerum ordo tulit, explicuerim, hic adjiciam alias. Harum fuit princeps Dei amor, quo ita flagrabat, ut de eo & crebro & ardenter loqueretur. In navigatione ad Americam, cum impensius esset supplicandum Numini vel ob exortam malaciam, vel ob metum procellæ, vel ob aliud malum (nescio enim quid esset) innuit Suarius familiari cuidam adolescenti, se in illam rem eo die eliciturum certam summam divini amoris actuum, qui tot erant numero, ut ille dicenti refragatus opposuerit: qui vero tot poteris uno die? Cui Joannes, quid possim, inquit, ope Dei ipsius adjutus, scio. Quod exercitatus (credo) eo in genere quatenus valeret progredi, sat norat. Idem ajebat, acceptiorem sibi fore laicorum sortem, quam suam Scholastici; illos quippe frequentius expeditiusque cogitare posse de Deo, a quo quodammodo avocant animum litterarum studia, variis variarum rerum imaginibus menti intercursantibus, eamque ad se pœne totam rapientibus.

XXXVI. Secundum Dei amorem amor fuit Dei matris, in quam pietate filii ferebatur. Nihil ei jucundius erat & dulcius, quam de magnæ Virginis dotibus disserere, aut audire aliquid de ejusdem dignitate,

tate, deque beneficiis, quæ e cœlo in homines ab illa proveniunt, præter alia obsequia (quæ ne æger quidem omisit) ad singulos horarum pulsus eam pie salutabat Gabrielis, & Ecclesiæ solemnibus verbis AVE MARIA cum reliquis.

XXXVII. Aloysium Gonzagam eximie coluit, &, quod nullum adolescenti Divo officium gratius esse poterat, in pari ætate, interque studia litterarum, se se reddere illi similem diligenter studuit: & quidem dixisses de Joanne Aloysium imitanti: *sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat*, quod gravis poetæ carmen est. Sane modestia Suarii summa fuit missis sub jugum sensibus. Numquam indulsit sibi aliquid intueri, quod minus purum vestigium in mente relinqueret; quod vero pudorem offenderet, numquam volens audiit nedum dixit: ac cum aliquando ignoranti verbum excidisset, cui haud bona suberat notio, monitus a Socio illud sonare nescio quid indecens, erubuit scilicet, & vultu ostendit adeo se a malitia alienum, ut ne nomina quidem sciret, quibus ea exprimitur. Omnes religiose amabat, privata vero amicitia, quæ sæpe degener & adulterina est, amavit neminem: condiscipulos autem vel solo adspectu, & composito habitu ad morum honestatem, & vitæ perfectionem excitabat.

XXXVIII. Inter porro præcipuas Joannis virtutes ponenda est constantia in discendo: quid enim pluris fiat in studente litteris quam serium studium, & librorum amor? Is Suario tantus fuit, ut gravi illi contentioni, quæ ad disciplinas incubuit, impar corpus oneri tandem cesserit. In urbe S. MARIÆ, quantumvis mortuo similior, quam vivo transcribere ausus fuit opusculum Theologicum P. Petri Navarri auctoris recentis e provincia Toletana, quo labore & febris crevit & humerorum dolor.

XXXIX. Scribendi occupatione exclusus librum assumebat, quem vel sedens, vel strato acclinis legeret; proposuerat enim sibi ille ad Dei gloriam, se

se,


ſe, quam poſſet maxime, parare in miniſteria Societatis, ſiquando eorum exercendorum ſe daret occaſio. Hinc otii inimicus capitalis fuit, affirmatque quidam, qui multos cum Suario annos vixit, numquam eum otioſum ab ſe viſum vel tantulo tempore, quantulo opus eſt ad recitanda verba ſalutationis Angelicæ.

XL. In ipſis ad remiſſionem animi conceſſis feriis nihil ceſſabat. Mos erat Cordubæ Tucumanorum, ut adoleſcentes Jeſuitæ feria V., qua quies erat ab ſcholis, pomeridiano tempore omnes ſimul irent cum Cenſore morum (quem Miniſtrum vocabant) in Collegii prædiolum urbi vicinum, cui nomen S. Anna. Ibi deambulaciunculis, & honeſtis colloquiis ſe ſe recreabant. Joannes librum aliquem, aut dictata a magiſtro afferebat ſecum, atque ad umbroſæ arboris truncum ſedens vacabat lectioni. Quod ſiquis e condiſcipulis, ab ſtudio eum avocare cupiens, accederet, fiebat contra; nam minutis interrogationibus, aut nodis propoſitis ſuper quæſtione, quam tum verſabat, interpellatorem ipſum nec opinantem philoſophicis ſpeculationibus implicabat.

XLI. Obedientia Suarii talis fuit, ut non ab imperio ſolum, ſed a nutu etiam ſuperiorum penderet: quod ſi ii quid juſſerant, quod quibuſdam minus placeret, argumenta conquirebat, quibus & recte & prudenter rem imperatam fuiſſe pervinceret. Votiva paupertate contentus, nihil ne pagellam quidem chartæ aut accepit, aut dedit ſine præfecti venia. Jactantiæ, & ſui exiſtimationis expers fuit: quod laudem propriam redoleret, ab eo non audiſſes, audiſſes autem, quod contemptum ſui & vilitatem præ ſe ferret. Cum edixiſſet medicus, ut pedes calida lavaret, cogitare apud ſe cœpit, an id per ſe ipſe facturus eſſet, an Socii miniſterio uteretur. Hoc refugiebat a modeſtia, nequis ipſum tangeret. Itaque petita aqua rem aggreſſus eſt. Verum coactus deſiſtere ob defectum virium, & languorem, arceſſivit So-

cium, & lava tu, inquit, mihi (amabo) pedes; ego enim ita ineptus ſum, & ſtultus, ut ne id quidem tantillum ſciam facere.

XLII. Igitur his, aliiſque virtutibus, præditus Suarius, die, quem diximus, e navi illa Suevica *ad tranquillam* (ut verbis Chryſoſtomi utar) *omniſque perturbationis expertem vitam tranſiit, eoque navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium* (*a*). Sub Solis occaſum corpus phaſelo in urbem tranſmiſſum eſt, illud cuſtodientibus Jeſuitis compluribus. Opperiebantur funus ad maris littus linteati Sacerdotes, & præter hos ingens fœminarum, virorumque agmen, gaudentium, cum expoſitum cadaver eſt, propius accedere, atque inſpicere. Ut autem Joannes pulchro erat & modeſto vultu, qui vel poſt longum morbum, & mortem, decorem ſervabat (perinde ac lilium, quod manu reciſum non illico marceſſit) dicebant inter ſe cives: en Angelum! En Aloyſium alterum! Felix, qui jam cœlo fruitur! E littore elatus eſt in templum maximum, ubi poſtridie ſoluta ei ſunt juſta funebria, factumque Sacrum piaculare, cui cum advenis Jeſuitis interfuit Collegium Canonicorum, quorum unus pretioſiſſimum, dixit, depoſitum hodie hæc noſtra Eccleſia lucrata eſt.



IGNATIUS CHOME

SACERDOS.

VEra virtus, & cor intrepidum, & acris mens ſicui ſimul inſunt, is eximius Indorum cultor ſit, neceſſe eſt. Dotes has tres habuiſſe Ignatium Chome, de quo aggredimur ſcribere, ea, quæ deinde dicemus, oſtendent ſatis.

PA-

(a) *In Orat. de S. Philog.*

PATRIA ET STUDIA LITTERARUM.

I. NAtus est Chome Duaci in Belgio anno MDCXCVI. pridie Kal. Augustas, qui dies sacer est D. Ignatio Loyolæ, a quo nomen & ardens studium divinæ gloriæ amplificandæ, procurrandæque salutis animarum, hausit pius cliens. A parentibus genere conspicuis sancte & liberaliter educatus Societati nomen dedit IV. Kal. Octob. an. MDCCXIV. Post tirocinium repetitis humanitatis studiis, inter alios eminuit ingenii præstantia, cujus fuit præmium post auditam Philosophiam certamen publicum propositis de arte thesibus, qua in re auram popularem, quæ plerosque adolescentium afflat, vel captavit, vel non curavit, doctrinam secutus non famam.

II. Cogitabat jam tum, contempto Europæ splendore, in Orientem ire ad sacra ministeria; & cum nosset plurimum prodesse apud Asiaticos studium Matheseos, & variarum notitiam linguarum, quidquid ab scholarum penso nactus erat otii, id totum in utraque re illa collocabat; didicitque Hæbræam linguam, & Græcam, & Gallicam, & Anglicam, (adde his Latinam, & dein Hispanam) delibata etiam Sinensi, prout ad regionem illam adspirabat animo. Præfecti provinciæ, cum cernerent Ignatium tanto ornatum instrumento litterarum, agitabant secum ipsi eum aggregare celeberrimis illis scriptoribus, qui severa adeo critice, & summo eruditionis apparatu edebant Acta Sanctorum. Certe solidum Ignatii judicium ingeniumque, & constantia in lucubrando, digna erant eo opere gravis juxta & docti laboris.

III. Ceterum nihil ille elatus hac de se hominum opinione, gloriam non sibi suam proposuit, sed Dei, quam in remotis regionibus promovere cupiebat. Idcirco nondum emensus totum sacratioris disciplinæ curriculum initiari voluit Sacerdotio, quo expedi-

tior

tior ad iter transmarinum esset, & ad templi ministeria. Erant tum in Hispania Hieronymus Herranius, & Joannes Alzola procuratores Paraguayci, qui supplementum in provinciam scribebant; atque hac causa, opinor, factum est, ut qui animo præceperat Orientem, ad Occidentem destinaretur a Præposito Generali Michaele Angelo Tamburino.

IV. Acceptis Roma litteris de transmissione Indica venit Ignatius in Bætin, Hispalique statum Theologiæ quadriennium absolvit. Inde missus est Gades, & Gadibus navim conscendit in Novum Orbem, exeunte anno MDCCXXIX. Trium ibat navium classis, ut in vita Martini Schmidi, cum quo Chome navigavit, fusius dicemus.

NAVIGAT IN AMERICAM.

V. INgressi fauste Oceanum Atlanticum ad fortunatas insulas (quas propter eximiam agrorum amænitatem, & frugum copiam existimant nonnulli illos esse Hesperridum hortos tot laudibus poetarum inclytos) in ipso Epiphaniæ Domini solemni die appulerunt. Ibi, suppleto commeatu, excepit navis una aliquot honestorum civium familias aucturas numerum earum, quæ indidem transvectæ an. MDCCXXV. Monsvideanæ urbis sub ostia fluminis Argentei lætis auspiciis fundamenta jecerant.

VI. In cursu maris longissimo, quo Zonæ torridæ tota plaga trajicitur, Chome non modo eminuit religioso viro dignis virtutibus, sed scientia etiam nautica. Meridie, cum naucleri intenti erant observando soli, ipse pariter, cui cœli regioni responderet navis, examinabat Astrolabio (quod ingenti mortalium bono ab speculandis stellarum motibus ad usum rei maritimæ pro Indicis navigationibus transtulerunt Astronomi Lusitani.) Sic vero Chome accuratus erat in notando servati Solis puncto, subductis rationibus, ut princeps navigii gubernator, non prius quid ipse

depre-

deprehendisset, in tabulas retulisse dicatur, quam quid definisset Ignatius de gradu latitudinis (quemadmodum Cosmographi appellant) intellexerat. Trimestri autem velificatione Bonarum aurarum portum incolumes tenuerunt.

VII. Hic statim ingens Ignatio patuit campus, ubi exerceret se se in procuranda aliorum salute. Permissum fuerat a Philippo V. Rege Anglis mercatoribus Nigritas adductos ab oris Africæ Bonisauris divendere. Fervebat tum maxime hoc triste mercimonium, de quo inter se certant doctores morum, an, quo solet pacto fieri, fiat licite (*a*). Ut vero plurimus in Tucumania viciniisque regionibus Nigritarum usus est, apportata fuerant Bonasauras (ubi domus societatis institoriæ erat cum rationum magistris Anglicis) XXIV. millia, eoque amplius, capitum (quorum pars jam vendita, pars vendenda) ex Congo, & Loango, qui est Angolæ portus. Sed miseri, infelicesque Æthyopes isti, utpote sermonis Hispani penitus ignari, magno suo malo carebant idoneo Catechista.

VIII. Chome tot hominum duræ sortis misertus, Angolicam linguam, quæ illis communis erat, addiscere aggressus est, ut quos constaret rite baptizatos excoleret, & de quibus prudens dubium esset (quod fere semper est) (*b*) an in Africa baptismo donati rite fuissent, hos edoctos mysteria fidei sacris undis lustraret. Vix tres abierant menses, & jam Ignatius, ut natus factusque ad quamvis linguam ad discendam, instituebat Angolico sermone Catechumenos, baptizatorumque confessiones excipiebat, & doctrinæ sacræ capita, & legis præcepta in Jesuitarum templo expli-

(a) *Vide differentem de hac re docte & erudite Cyriacum Morelli*. Fasti N. Orbis, & Ordinat. Apostol. Breviar. *Ordinat. CD. pag.* 467.

(b) *Vide eumdem super baptismo Æthyopum deportatorum in Americam. Ordinat. LVIII. pag.* 115.

explicabat, cunctis mirantibus sive aciem ingenii, sive memoriæ vim. Annum circiter posuit in ministerio isto Nigritarum, eos hortans ad susceptæ religionis dignos mores, vitamque Christianam, qua imitarentur pium illum Eunuchum Reginæ Candacis Aulicum, Philippo salutaribus aquis ablutum in primitias gentis Æthyopicæ (*a*)

MITTITUR AD GUARANIOS.

IX. DEsignatus postea Chome ad culturam Indorum Guaraniorum contendit in urbem S. Fidei, quæ Bonisauris distat nonaginta leucis. Adjacet urbs illa sinui cuidam e derivatis Paranæ amnis aquis, quæ capto illac circuitu amplissimam efficiunt insulam. Chome ejusdem Paranæ principem alveum, qui ex adverso urbis procul est, transmisit, per oram orientalem venturus ad Hispanorum veterem stationem, quam vocant *la cuidad de las siete corrientes*. Tranandæ erant illac eunti & flumina, & haud spernendi torrentes magno numero. Pontes non sunt. Viatores, si fluvius vado caret, utuntur ad trajectum pro cymba corio bubulo ad angulos complicato, ut alibi explicavimus.

X. Periculo ab amnibus addebatur metus a barbaris, qui quantumlibet Hispanorum amicitiam præ se ferrent, erat illa ejusmodi, ut ab iter agentibus quod libebat, peterent: præmium dantibus vita erat & via; negantibus pœna, vis aut nex. Incidit Chome in quamdam illorum turmam, quæ tamen benigna fuit erga benigne eos accipientem. Sed itineris maximum incommodum æstus fuit cum cœli, tum soli; cœli quidem non nimium distantis a Zona torrida; soli autem, quod incendissent (ut solent) agros Indi ad latentes tigres, quæ ipsis cibo sunt,

P foras

(a) *Act. AA. c. VIII. v. 38.*

foras igni eliciendas. Itaque eundum erat ſæpe per ſilvæ ſemitas adhuc fumantes, ſæpe per objectas utrimque flammas: & fuit cum, urgente undique incendio, non ſine immani labore, & vitæ diſcrimine eniſus ultra Chome eſt. Tredecim dierum itinere, ad urbem, quam diximus, Fluentinam pervenit non alio commeatu, quam durato pane, quali veſcuntur nautæ, & ſiccata ad ſolem bubula.

XI. Ab ea Hiſpanæ gentis ſede viam rurſus octoginta leucarum ingreſſus eſt Ignatius ad Guaraniorum oppida. Hic pro quiete itineris confecti fuit ſtudium linguæ, ad quam ita incubuit, ut brevi potuerit & confitentes peccata audire, & e ſuperiore loco concionari. Erit operæ pretium huc adducere, quæ de Guaraniis eorumque lingua ſcripſit Chome ipſe in Europam ad Socium provinciæ Belgicæ. " Illud poſſum, ait, dicere, ubi jam aliquem linguæ uſum „ nactus fui, miratum me fuiſſe tantam in ea maje„ ſtatem & vim. Singula vocabula definitio exacta „ ſunt rei, de qua agis, objiciuntque illius ideam „ claram diſtinctamque. Numquam equidem putaſſem „ in media barbarie linguam reperiri, quæ (meo „ judicio) inferior non eſt nobilitate & harmonia „ iis, quas in Europa olim didici. Habet ſuos illa „ ornatus, atque elegantiarum locos quoſdam recon„ ditos ac difficiles, qui non niſi multis annis addi„ ſci perfecte queunt. (*Hi loci ferme pertinent ad* „ *explicandas animi ſive cum plurimum gaudet*, „ *ſive cum plurimum dolet*, *affectiones vehemen*„ *tiores*, *exempli cauſa*, *in partæ victoriæ gratu*„ *latione publica*, *vel in funerum næniis*.) Gua„ raniorum gens diviſa eſt in XXX. oppida (*ad*„ *dita deinde duo ſunt*) capitum cenſus nunc eſt „ centena tricena octona millia, quæ pietate & „ morum innocentia referunt primævum illud Chri„ ſtianorum tempus (*a*). „ Hactenus ille, qui pios

(a) *Litteræ Ædific. & curioſ. tom. XIII.*

pios istos innocentesque Guaraniorum mores excolere diligenter studuit, relicturus numquam stationem illam, nisi ad aliam operosiorem avocaretur.

DESIGNATUR AD CHIRIGUANOS.

XII. Lustrabat Guaraniorum oppida moderator provinciæ Hieronymus Herranius, cum accepit litteras a Curiæ Chuquisacensis Præside Francisco Herboso, qui relatis precibus magistratus Tarixiani, & descripto mandato Limani Proregis Castelfortii, ac demum interposito Regis Catholici nomine, poscebat, ut Herranius ipse Sacerdotes aliquot designaret ad Chiriguanorum institutionem. Præfectus Provincialis, qui vel sponte sua (si quidem ostenderetur spes aliqua sacri laboris) durum hoc opus suscepisset, quando id Regis auctoritate regii ministri exigebant, nihil moratus est quin optimos in eam provinciam viros eligeret Julianum Lizardi, Josephum Pons, & Ignatium Chome, quorum ea erat indoles, ut in primo mira lenitas esset, in altero summa ærumnarum tolerantia, in tertio animus ad ardua intrepidus. Sic visus est prudenti seni Herranio temperandus esse triumviratus ille hominum sacrorum pro natura nationis Chiriguanicæ.

XIII. Qui sint Chiriguani (ut intelligas quanti res momenti ageretur) dicam paucis. Hæc illa gens est, quæ neque militum minis, armisque, neque blanditiis & precibus Sacerdotum umquam cessit. Yupangui Ingarum decimus (auctore Garcilaso de la Vega) Chiriguanos subjicere voluit, nec potuit. Anno MDLXXII. Prorex Peruvicus Franciscus de Toledo validum in eos agmen duxit, sed nihil propius affuit, quam ut & exercitu, & impedimentis exueretur: certo inglorius terga vertit. Iidem Chiriguani bello subinde lacessiti, illatisque & acceptis vicissim cladibus, victores nonnumquam fuerunt, victi penitus

numquam. Hæsit itaque hæretque etiam num ad portas Tarixianorum municipum hostis formidabilis.

XIV. Valles incolunt altissimorum montium, qui longo terrarum tractu ad fines usque S. Crucis Montanæ pertingunt. Numerus capitum dicitur XL. circiter millium. Tribus singulæ suum habent ducem, cui præterquam ad res belli exigua, aut nulla auctoritas. Coeunt dynastæ omnes, utique viciniores, siqua vis externa ingruit, & communi consilio quid facto opus sit, deliberant. Ex lingua satis constat coloniam esse Guaraniorum, Guarinice enim loquuntur: sed quo tempore, & ob quam rem adeo longe ab avitis Sedibus recesserint, incertum est.

XV. Franciscani Patres, & Dominicani, & Augustiniani idemtidem eo penetrarunt: neque tamen durus ager satis respondit cultorum industriæ & patientiæ. Augustinus Fabius e S. Francisci familia cum socio laico templum ibi ædificavit, adductis ad fidem nonnullis: sed Fabio in urbem Chuquisacæ (nescio qua causa) profecto, ejus socius cæsus est cum Hispanorum præsidio. Interfecti quoque alias sunt e Dominicanis P. Michael Pantigosso, & Joannes de Avila, & Nicolaus Gonzalez.

XVI. Decies minimum a Jesuitis regio illa adita est: dicam de quibusdam summatim. An. MDCI. Emmanuel Ortega cum Hieronymo Villarnao benigne a Chiriguanis exceptus est; sed cum totum biennium surdis eorum auribus, ubi de amplectenda fide agebatur, usi sint, alio abierunt. Franciscus Diaz Tano, magnum inter Paraguaycos a doctrina, & virtute, & obitis laboribus nomen (ejus res gestas scripsit Franciscus Xarque Præpositus, sive Decanus Albarracinensis Ecclesiæ) Chiriguanos erudire aggressus fuit an. MDCXXX., & post illum Petrus Alvarez socio & comite Ignatio Martinez: irritus quoque horum omnium labor. An. MDCXC. Josephus Augustinus Arce, & Joannes Baptista Zea, qui toti dein provinciæ præfuit, lætis initiis versati illic sunt,

&

& aliquot adultorum instante morte mysteria religionis edoctos baptizarunt.

XVII. Arceus auspiciis B. MARIÆ locum delegit in valle Salinarum, ubi oppidum conderet titulo Præsentationis: septem illuc dynastæ cum clientibus conventuros se se spoponderunt; & cœpit re ipsa frequentari sedes ea. Inde ad vallem *Tariquea* profectus Caciquium, qui ibi imperitabat, adiit, egitque de ponendo domicilio, ubi doceret indigenas sacra mysteria. Ille id fieri non posse respondit nisi de sententia ducum regionis.

XVIII. Cogitur ergo primorum concilium, quod inter pocula habent nocturno tempore. Bene jam potis communi consensu factum est senatus consultum hac forma, posse Arceum, Arceique socios in valle Tariquea oppidum condere, sed tribus conditionibus. I. Oppidani numquam alio extra vallem transferuntor. II. Chiriguanorum nemo Christianus esse cogitor, neve impeditor plures simul fœminas alere. III. E pueris templi servitio nullus addicitor, neu famulator mortalium cuiquam. Audiit Arceus decretum sedate placideque, quod confideret abrogatum iri (parte ea, quæ ad uxores attinet; nam ad fidem famulatumve cogendi non erant) ubi in animos religio sensim irrepsisset. Ergo de permissa statione gratias agit, de conditionibus silet. Inde rediit ad neophytos Salinarum, dum Tariqueani in designato loco oppidi fundamenta jaciebant. Exorti fuerunt in *Tariquea* motus aliqui, eo absente, sed præsente iterum, compositi sunt.

XIX. Sic principia dabant se. Zea Præsentationis oppidum aliquandiu rexit, non alio laboris fructu, quam baptismo puerorum morientium; ab aliis enim consulto abstinebat, quod ob parentum pervicaciam diffideret staturam ibi fidem. Zeæ dein successere Philippus Suarez, & Lucas de Cavallero. Verum res eo tandem recidit, ut barbari repente sacram ædem combuserint, & domunculam Sacerdo-

tum, qui ægre in urbem S. Crucis evaſere. In *Tariquea*, nihil item retentum tumultuantibus iis, quos arctæ & anguſtæ viæ tædebat. Quam ob rem verſa cura eſt ad Indos Chiquitos, quos lætiore ſpe, & majore operæ pretio in oppida coegit idem Arceus: atque is poſt cum comite P. Bartholomæo Blende occiſus eſt (dum iter brevius ab urbe Aſſumptionis ad Chiquitos pro horum bono moliebantur) ab Indis fluvii Paraguayi accolis, ut alibi diximus.

XX. Multo fuit triſtior annus MDCCXXVII., quo anno omne pæne Chiriguanorum nomen in Hiſpanos conjuravit. Orti e montibus ferro rapiniſque vaſtarunt fines urbis S. Crucis. Prætor auxilium petiit a Chiquitis: ſed hi, qui robore animi, & armis, nihil cedunt genti Chiriguanicæ, perpetuo recuſarant e patriis ſedibus egredi, & ſe ſe admiſcere Hiſpanorum bellis: tamen cum P. Jacobus Aguilar duces congregaſſet (quæ homini vis erat in dicendo) perſuaſit, ut coacto agmine irent cum Sanctacrucianis, & pugnarent, quandoquidem agebatur de ulciſcenda injuria & ſcelere, quo (præter cædem immerentium) Dei templa & aras Chiriguani everterant, corruperantque. Euntes autem Chiquitos ſecutus eſt Aguilarius ipſe cum Franciſco Lardino ſacra curaturus, vir vere magnus ſive doctrinam ſpectes, ſive ſanctitatem, quibus meruit toti dein provinciæ præfici. Ejus vita typis publicis edita olim fuit.

XXI. Una igitur Hiſpani, & Chiquiti in aciem prodiere. Victi Chiriguani ſunt, inque vincula conjecti bis mille; e victoribus (Deo bene favente) ne unus quidem deſideratus eſt. Hac clade, ſuperſtites Chiriguani irritati potius quam fracti ſunt. Bellum renovatum eſt. Illata ingens Tarixianis agris clades: vulnerati, capti, acti in ſervitutem, occiſi colonorum multi damnuinque acceptum ad centies quinguagies millies auri æſtimatum eſt, ut ſcripſit Senatus Tarixianus ad Proregem Peruvicum IV. Idus Novemb. an. MDCCXXVII. Intus etiam in ipſo municipio tre-

trepidatum; rumor enim erat Chiriguanos jam jam in ædes urbanas irrupturos: ob idque viarum exitus muniti ſunt obſtructique tranſverſis trabibus pro repagulo. Prorex Peruvicus, & regius Conventus Chuquiſacenſis certiores facti de imminente periculo juſſerunt evocari denuo Chiquitos, qui cum Sanctacrucianis furentem hoſtem reprimerent. Repreſſus ille tum quidem eſt. Occiſi e Chiriguanis amplius trecenti, aliquot eorum vici combuſti, diſſipata horrea, in quæ Indicum frumentum condiderant.

PRIMUS CHOMÆ LABOR INTER CHIRIGUANOS.

XXII. SUperiora diximus, ut conſtet, quam gravis eſſet provincia, cui deſignatus eſt Chome cum Sociis an. MDCCXXXII. reliquiæ enim incendii æituabant adhuc, hoſtileſque Chiriguanorum animi contuſi aliquantulum fuerant, non domiti. Suſcepti operis difficultatem explicat Ignatius ipſe in litteris, quas ſupra laudavimus. " Manent nos, inquit, labor ingens, ærumnæque & omne malorum genus, ac fortaſſe etiam ſacræ hujus expeditionis merces erit mors pro obſignanda cruore noſtro veritate fidei, quam annunciaturi ſumus.... Sunto gratiæ Deo, qui ob ſuam miſericordiam vocavit me ad miniſterium Apoſtolicum, quique inſuper tenerum mihi amorem inſpirat in pauperes hos barbaros. Terrebit me nihil, neque frangent incommoda, quæ paſſurus ſum, nec pericula, quibus objiciar. Nunc vineæ Domini operarius eſſe incipio, experturus facto quidquid ardui, atque operoſi affert ſecum divina miſſio." Hi erant ſenſus Chomæ, & comitum Lizardii, & Ponſii, qui quamvis probe noſſent, quam eſſet duræ cervicis gens Chiriguanica, de ejus tamen converſione non deſperabant confiſi omnipotente ope, & infinita benignitate Salvatoris noſtri

JESUCHRISTI, *qui omnes homines vult ſalvos fieri:* (a) & qui non fiunt, per ipſos ſtat, ne fiant.

XXIII. Ut res erat ſummi momenti, moderator provinciæ Herranius voluit per ſe ipſe deducere tres viros iſtos Tarixam uſque, ut e propinquo difficile opus caute & circumſpecte ordiretur. A Guaranicis oppidis, unde egreſſi ſunt, diſtat municipium, quo ibant, ob viarum anfractus, octingentis leucis. Secundo amni Uruguayo, ac deinde Argenteo, devecti ſunt Bonaſauras, ubi ſalutarunt optimum Prætorem Brunonem Mauricium de Zavala, qui a ferocia gentis Chiriguanicæ omnia timebat ſacris operariis. Inde terreſtri itinere Cordubam, & Jacobopolim, & S. Michaelem Tucumanicum, & Saltam, & Xuxuium, Hiſpanorum urbes magnis inter ſe diviſas ſpatiis contenderunt. E Xuxuio altior jam terræ plaga eſt, monteſque, tametſi ad Zonam torridam propius vergentes, aſperrimo rigent frigore. Erat November menſis (tum ibi æſtas) & ita nox quædam horruit gelu, ut vix correptis torpore membris progredi ultra potuerint. Herranius ſenex his fractus malis, cum nequiret jumento inſiſtere, portandus fuit texta e cannis crate, quam geſtabant robuſti viri, ad Javin, pagum Marchionis de Toxo, qui feſſos e via humaniſſime atque liberaliſſime excepit. Benigno hoſpitio vires recuperavit Provincialis Herranius, continuatoque itinere, pervenit ad nobile municipium Tarixam pridie Kal. Decemb. an. MDCCXXXII.

XXIV. Eum & comites adit officii cauſa armorum præfectus Joannes de Echalar, & præſtolor, inquit, tempeſtatem commodam poſt æſtivos imbres, ut ducto iterum exercitu (duxerat menſe Julio quingentos milites, & bene pugnarat pridie Kal. Auguſt.) Chiriguanos cogam ad icendum fœdus, cujus futura eſt prima conditio, ut Sacerdotes admittant, & ſancte

(a) *I. ad Timoth. c. II. v. 4.*

cte habeant. Ad hæc illi: male Evangelium tubis & armis promulgari: sibi quidem ituris tamquam agnis inter lupos duo jam decreta esse, alterum, præliari prælium Domini solo verbo Dei; alterum, non expectare imbrium finem. Atqui si festinatis, ait Echalar, nihil spei est, & periculi plurimum. Tum Herranius omnium nomine: præcones Evangelii, inquit, timere non debent eos, qui occidunt corpus, paratique oportet sint ad confirmandam fidem, sparso, si opus est, sanguine, quem si hi demum fuderint, magno ipsis erit lucro.

XXV. Hoc animi proposito tresviri illi ad adeundos quamprimum Chiriguanos parant se, obitis sedulo D. Ignatii sacris commentationibus. Moderator Herranius, cum reliquisset Lizardio, & sociis pro futura expeditione consilia prudentissima, quid, & quomodo, & qua cura, agendum foret, rediit in Tucumaniam, quo eum vocabat munus provinciale. Monitorum primum caput erat. *Mementote vos a Deo præ aliis, qui id maxime optabant, ad opus istud designatos esse: ostendite ergo vosmet JESUCHRISTI veros discipulos, caritate præsertim, & conjunctione fraterna*. In hunc modum scripta erant reliqua senis vere pii & providi præcepta.

XXVI. Quid porro triumvirum horum singuli, montes ingressi, egerint, minutatim persequi res esset longissima, atque impeditissima: nam tot sunt valles, tot flumina, quibus Chiriguanorum pagi distinguuntur, tot insuper locorum nomina, ut nisi subjectam oculis regionis tabulam habueris, nihil intelligas, mentemque turbes confuso rerum acervo. Equidem facta Chomæ (quoniam de hoc scribo) ab aliis sociis, quoad ejus fieri poterit, sejungam, narratis seorsim illius rebus. Igitur tres sacri excursores cum senis neophytis veniunt una in vallem Salinarum, quæ tricenis leucis a Tarixa intra montes sita est. Hic tum constitit Lizardius in viculo, ubi P. Raphael Ximenez adventantes ad se aliquot familias Chiri-

ri-

riguanorum inter ipſos armorum motus retinuerat.

XXVII. Chome & Ponſius ire pergunt per juga altiſſima ad vallem *Itaù*, ubi plurimi ſunt Chiriguanorum pagi. Via teterrima: montes ſilva implicati, atque ita aſperi, ut opus ſit ſummo conatu ad aſcenſum; deſcenſus autem vel audaciſſimos terret ob frequentia præcipitia. Ad hæc, crebri amnes, torrentesque, qui propter Euripos, queis curſum flectunt reflectuntque, bis, ter, quater, ſæpius tranandi ſunt. Ante vallem *Itaù* eſt vallis alia *Chiquiacà* nomine. Reperere hic triſtes reliquas oppidorum a barbaris everſorum occiſis ternis Dominicanis, de quibus ſupra diximus. Inde iter urgent, & novos ſcandunt montes, horridos item trajectuque difficiles. Quarto die auditus eſt longe canum latratus, idque indicium eſt viciniæ Indorum, qui illos animi cauſa, & ad indagandas tigres, quarum illic magna vis, ſemper habent ſecum. Itaque Chome, & Ponſius tres neophytos, qui quid rei ſit veſtigent, præmittunt.

XXVIII. Chome, cum pauliſper expectaſſet nec præmiſſi redirent, impatiens moræ præiit Ponſio. Cum e jugo deſcenderet, occurrunt bini e tribus exploratoribus, & eſt, inquiunt, ad imum montem turma barbarorum qui audito adventu veſtro, vos opperiuntur ad cædem parati (ut habitus illorum eſt) tertius quidem noſter comes ab eiſdem interceptus, & jam forte mactatus. Hoc nuncio proripit ſe Chome a neophytis retinere volentibus, ne ad necem iret; it tamen, tectuſque ſilva improviſo barbaris ſe ſiſtit. Duodeni erant armati arcu & haſta, & medium habebant neophytum, quem ceperant.

XXIX. Ut apparuit Chome ſurgunt (ſedebant enim) illico. Ille prior occupat, ſalutatque communiter omnes, & dein ſingulos blande amplectitur, ſtupentibus cunctis confidentiam viri. Tum narrat, quæ ipſi viæ cauſa ſit, oſtenditque velle ſe ad eorum pagum accedere. Interea adfuit Ponſius cum ſarcina, e qua Chome fruſtra ſiccatæ carnis, & paululum fa-

rinæ

rinæ Indici frumenti dividit viritim barbaris, qui jam (ut cibus feras lenit) æquioribus illum oculis intuebantur.

XXX. Paulo post advenit dynasta quidam, cujus venia indigebant Socii, ut pago succederent. Ille assedit saxo, nec Patres salutavit, infixaque humi hasta, in hanc caput declinavit meditabundus. Nihil eo perturbatus Chome, expecto, ait ad Ponsium, quo hæc fabula recidat. Tum dynastam adit, eique comiter cibum offert. Nihil ille respondet; atque e clientibus unus *ypiaraci*, inquit, *corde dolet*, quod guaranicæ vi linguæ eo referre possis, ut vel iram animi, vel corporis morbum significet. Intererat Chomæ de morbo & corpore interpretari, extenditque manum, ut pulsum venæ exploraret. Retrahit ille violenter brachium, trucique vultu, non ægroto, ait. Tanto melior, inquit, subridens Chome, non egrotas, & cibum non vis? Perge, precor, cum fastidio isto tuo: suppetet sic plus, quo vescantur tui: cum tibi fames erit, aliter senseris.

XXXI. Hic patuit, quanti sit contemptio proprii periculi, iræque alienæ, cum audendi Deus auctor est. Siquem metum ostendisset Chome, fieret efferatior barbarus; spretus, personam illam deposuit, cœpitque cum Chome familiariter loqui, conversusque ad clientes, date dixit, bibere viro huic strenuo (Chiriguani, ut generosa indole sunt, magni faciunt altitudinem animi) ac per se ipse præbuit eidem quasdam, quas secum habebat frumenti Indici spicas. Hinc cum amico jam dynasta egit Chome de adeundo pago: at id quidem, ait, fieri non potest sine consensu patrui mei, qui Princeps dynasta loci est: mittam, qui nunciet vos adesse. Responsum a patruo durum fuit: *venire non possum: Sacerdotes extemplo his finibus abscedant*.

XXXII. Tam gravi denunciatione intellexerunt Chome & Ponsius rei bene gerendæ spem nullam esse, magnoque ipsos in periculo versari, si urgere dyna-

nastam absentem pergerent. Abitionem, dum licet, parant, præceditque Ponsius cum binis neophytis, qui soli restiterant, nam tertius perculsus metu fugerat. Chome aliquandiu restitit instando, ut in pagum admitteretur, sed frustra omnia. Regreditur igitur. Ponsium præeuntem non assecutus, tota illa nocte per silvas & montes solus obrepsit inter effusos imbres, nec nisi postridie ad flumen *Chiquiacà*, ubi comes constiterat, pervenit.

XXXIII. Lizardius, cum de irrito conatu pro subeunda valle *Itaù* audisset, obvius eis processit. Coepit autem iterum pluere vi tanta, ut fluvius ad CL. pedes, eoque amplius, redundarit, nec tranari vado jam poterat. Tegmen contra imbres aliud eis non erat quam e rudi tela tentorium, idque prohibere nequibat stagnantes subtus aquas. Quatriduum detenti hoc malo sunt, consumptoque commeatu, cogitabant jam de vellendis ad pabulum herbarum radicibus. Sed numquam Deus sui causa laborantibus deest. Cum cœpisset flumen subsidere, alter e neophytis ad recognoscendum iit vadum, si adiri impune posset. Oram reperit (opportunissimum tempori subsidium) stratam ingenti copia piscium, qui allisi ad saxa, lymphisque destituti, semivivi passim subsiliebant. Collecta horum magna vi rediit ad socios, qui (actis divino largitori gratiis) eorum parte depulerunt præsentem famem, partem reservarunt in reliquum iter ad vallem Salinarum. Ex valle autem hac Tarixam se se contulerunt de via & modo quæsituri, quibus obstantia Chiriguanorum repagula perrumperent.

ITERUM ADIT CHIRIGUANOS.

XXXIV. HIS rebus magna pars abiit anno MDCCXXXIII. Chomæ e tanto labore vix ulla quies. Missus est ad sacram aliam excursionem in vallem *Zinti*. Hæc vallis dives admodum vinetis meta-

tallisque distat a municipio Tarixæ XXX. amplius leucis. Mira soli fertilitas, aureæque venæ traxere ad se se (ut solet magnes ferrum) plurimos Hispanorum, qui dant per famulos operam rei agrariæ, sparsis hac illac prædiis, quorum insignis frequentia est cum frequentibus item templis visendo ornatu. Chome sesquimensem nobiles illos viros, eorumque servitia de virtutum cultu, fugaque vitiorum, crebris concionibus admonuit, tantumque fuit operæ pretium, ut multa hominum millia pro sacro tribunali audierit, atque ad meliorem frugem converterit.

XXXV. Interea Tarixæ communi consilio decretum est, ut Lizardius & Ponsius comitarentur feciales & duces Hispanos, qui ad pangendum fœdus cum Chiriguanis ibant in vallem Salinarum. Vocati è montibus dynastæ Chiriguanici descendere noluerunt, infectaque re Hispani domum rediere. Ponsius ne vacuum penitus iter illud esset, voluit denuo ad vallem *Itaù* penetrare, spreto metu omni. Illuc non observatus ab Indis devenit, locutusque cum uno dynasta de fœdere, auditus benigne est, egitque simul, ut sibi, Sociisque Sacerdotibus pateret deinceps eo liber aditus. Sunt ibi duodecim Indorum pagi, capitum ad tria millia. Successus (ut res post ostendit) non respondit labori & votis Ponsii, qui plenus ceteroqui bonæ spei Tarixam revertit.

XXXVI. Lizardius, & Chome (qui jam è valle *Zinti* redierat) Novembri mense ejusdem anni MDCCXXXIII. montana loca rursus adeunt, digresso interim Ponsio (quod prior spes de Ituanis accolis eum fefellisset) ad vallem *Tariri*. Chome iter convertit ad barbarorum pagum, quem vocant *Cararuti*. Vix visum pueri, viri, senes, fœminæque avide circumsteterunt affandi causa peregrinum Sacerdotem (cujus fortasse ne fama quidem illuc umquam pervaserat) ob idque inconditis acclamationibus, ut mos ipsis, venientem exceperunt.

XXXVII. Postquam comiter adeuntes salutavit, divi-

divisit eorum primoribus acus quasdam (has illis caras facit ferri inopia , quam supplent duris spinis siquid suendum , vel siquid scindendum acuta silice) orbiculosque vitreos , quibus delectantur , utunturque ad ornamentum corporis . Dum de aliis rebus sermo fuit, audierunt Chomem libenter barbari ; ubi vero de mysterii religionis cæpit agere , aversæ omnium mentes . His actis , voluit alios invisere , quibus mille circiter illinc passus tuguria erant . Parum processerat , cum vidit armatum Indum contento ad se ferri cursu .

XXXVIII. Ingens metus fuisset alii , Chomæ non fuit , tranquilloque substitit vultu graduque . Ut accessit ille propius , missum se dixit officii & amicitiæ causa a dynasta pagi *Beniti* . Vix nomen hoc audiit neophytus Chomæ comes insusurrat auri cave , noli fidere : dynasta iste captivus Hispanorum fuit , retentusque olim Potosii , unde effugit . Neque hoc quidem tristi monitu territus Chome est , iitque ultro ad pagum ubi dynasta erat cum decem bellatoribus . Hos inter sedit , divisisque munusculis Caciquium sibi demeruit , eoque facili humanoque usus est : immemor quippe ille pristinæ captivitatis hospitem suum clementer habuit : norant nam Indi , socios pro ipsis semper stare , & siquid sinistri acciderat , patrocinium (quatenus fas erat) suscipere .

XXXIX. Inde contendit Chome ad Vallem *Caizà* , quæ frequentior est . Eo cum venisset , exceptus est a binis dynastis haud aliter , quam si re ipsa religionem amplecti cuperent , Chome , etsi verebatur , rem sincere non agi , suspicionem premens animo , si me , inquit , habere vobiscum vultis , opus est mihi structo tugurio , neque enim domi vestræ inter foeminas habitaturus sum . Struemus illud , ajunt , & strui cœptum est biduo post . Architectus erat Chome , & ipse ibat in silvam ad cædendam materiam , evellendasque arundines (quæ illic crassitudine brachii sunt) quesque onustus redibat ad pagum.

XL. Adjuvabat eum ad fabricam (res ridicula est, sed non omittenda) Indus quidam. Affuit is biduo. Tertio demum die venit pallidus macilentusque. Quid rei est? ait Chome. Unde tibi tantus languor? Jejunio inquit, vaco, uxor enim mea peperit. Mos Chiriguanis est, ut triduum, aut etiam quatriduum a partu uxorum rigide cibo abstineant, & ne merum quidem illud suum (*Chicha* vocant Hispani) quod perdite amant, bibunt. Tum Chome, ineptus es; si peperit uxor tua caute vescatur ipsa, & temperet ab iis, quæ sibi, & proli lac sugenti, obsint: jejunium vero tuum quid illis prosit? Tacet paulisper Indus cogitabundus; post, bene mones, ait, & continuo ad cibum advolat.

XLI. Misit inter hæc Chome alterum e binis neophytis, quos secum habebat, in Vallem Salinarum, ut necessaria quædam in rem præsentem afferet cum munusculis, quibus Caizanorum animos sibi magis devinciret. Hoc tempore, nondum absoluto tugurio, utebatur hospitio, quod pervium ventis undique & apertum fabricant Chiriguani in medio foro pro recipiendis iis, qui ad eos ventitant, neque enim domo tribules suos excipiunt. Chome animadvertit sibi dormienti surripi paulatim ab oppidanis res suas, timuitque id eis esse consilii, ut ipsum occiderent, ubi allata fuissent illa, quæ aliunde petierat. Id ne fieret, caussatus neophitum, quem miserat, nimium morari, statuit (quod tum monebat prudentia) Caizam relinquere, denunciavitque Indis, ut tugurio extremam imponerent manum, dum ipse aberat.

XLII. Iter arripuit sub vesperam æstus causa, qui summus erat. Nox tristissima fuit, eamque sibi ultimam putavit cum ob barbarorum ingenium, quos timebat vitæ sue insidiaturos, tum labore infando, quo ascendendus fuit pediti mons altus in primis & asper. Manabat sudore, & ardebat siti, & vix jam arente lingua comitem neophytum alloqui poterat. Dejecit igitur fessus se ad arboris cujusdam truncum,

ut aliquandiu quiesceret. Interea fulgurare cœpit, & tonare, nec pluit tamen. Sub mediam noctem iter resumens reperit ad imum montem ingenti cum gaudio præterlabentem rivum, e quo haustam aquam temperavit cum farina Indici frumenti, & bibit. Dicere dein solebat Chome potionem istam multo gratiorem sibi acceptioremque fuisse quam pretiosissima quæque vina nobilibus convivis in opiparis mensis procerum Europæorum. Sic recreatus venit tandem ad parvum oppidum *Caraparì*, ubi erat Lizardius, qui (ut indolis suavissimæ) præteriti laboris sensum ei omnem abstersit.

XLIII. Cum ambo ad lunam placide inter se fabularentur, ecce tibi Ponsius inexpectatus adest habitu prorsus tristi. Mulæ, qua ibat, nec clitellæ erant, nec frenum. Ponsius ipse sine tunica galeroque, neque alia veste quam indusio cum femoralibus tibialibusque e subacto corio: barbari ceteris eum spoliarant, nudassentque penitus, aut etiam occidissent, nisi dynasta quidam obstitisset debacchantium cupiditati. Lizardius, & Chome partim risu ob novæ genus larvæ, partim commiseratione venientem complexi mirabantur summam viri in tanta indignitate tranquillitatem. Chome, contra ac solitus erat, in expeditionem hanc extulerat secum præter tunicam, qua utebatur, veterem alteram, si primam ob imbres, aliumve casum, mutare opus foret in Caizà, ubi sedem figere confidebat: illam Ponsio dedit, qua se tegeret.

XLIV. Postquam sermocinati fuerunt de re communi invicem, & deinde acta, & cogitata ejus diei pro se quisque divinamque opem imploravit, dormitum eunt in casam, quam, ut paulo ante dictum est, struunt Chiriguani in medio foro pro recipiendis hospitibus, & ubi se ad umbram oblectent, potentque largiter, cum publica commesatio fit. Somnum jam ceperat Chome, cum repente attrahi se pedibus sensit: perterrefactus re nova videt circum se turmam Indarum, quarum una vox: surge, sta,

adsunt

adſunt e Caizà, qui te necent, & jam exitus omnes pagi occuparunt, ne elabaris. Chome, Lizardius, Ponſius ad dynaſtæ domum tamquam ad aſylum confugiunt. Abierat ille in oppidum ſex inde leucis diſtans, neque in pago plus erant, quam quattuor (aliis neſciò quo digreſſis) viri. Hi arma arripiunt, & numerum magnis clamoribus ſupplent, ne paucitate ſpernantur. Idem, quod fœminæ, detulit dein adoleſcens quidam Caizanus, cui cultellum Chome dono dederat, & nunc memor ille beneficii clam ſuis eum monuit, ut caveret: adeo munera vel parva, ſi recte ponas, magnum in tempore fructum pariunt.

XLV. Cum nemo prohiberet, diripuere Caizani, quidquid Patrum coram erat: dynaſtæ domum adire auſi non ſunt, principes enim Chiriguanorum verentur inter ſe. Ergo Caciquius prædabundæ turmæ miſit qui Chomem rogaret, ut ad ſe veniret in forum. Prodire voluit, ſed retentus a Lizardio & Ponſio eſt cædem timentibus. Cum albeſceret jam cœlum, ſubmittitur alius, qui idem a Chome petat: tum vero detineri ultra non potuit: prodit in forum, ubi barbari in orbem ſedebant, poſitis prope armis. Chome, amoto Indo, qui latus dynaſtæ tegebat, da locum, ait, ut audiam, quid princeps veſter me vult.

XLVI. Tum dynaſta, ſuſpicatus ſum, inquit, velle te hinc abire, non datis iis rebus, quas nobis attuleras. Haud credo, reſpondet Chome, ea te cauſa veniſſe. Vel dic, cur tui milites tenent aditus pagi? Cur a vobis ablata jumenta noſtra? Cur armatus cum tuis es? Scio, quid cogites, nec me fallis. Hæc ille: ſed dynaſta adeo fuit impudens, ut quæſierit, quo loco Chome ſarcinas poni juſſiſſet. Abdiderunt, ait, eas in ſilvam oppidani iſti, neque tu, neque tuorum quiſquam deprehendet. Da ergo aliquid, addit dynaſta imperioſiore jam voce. Chome: non dabo, quouſque princeps pagi hujus redierit; quem ſi exſpectare non vis, patet via, abi. Freme-

re hic ille cum suis, quod nec preces, nec minæ hominem flecterent.

XLVII. Inter hæc, quid fieret monitus propere pagi princeps, cui nomen Necang, eo se proripit, forumque ingressus magna clamat voce: quid hoc rei est? Ubi sunt, qui occidere hospites meos volunt? Itane in pago meo? me spreto! Jussit dein Caizanos arma deponere, & Chomem secedere domum, nequid pejus accideret. Tum illi optata præda fraudati loco excessere. Erit, qui putet, cum tanta in Patres oppidanorum fides extiterit, tantusque in dynasta Necango pro eorum salute ardor, inventum hic tandem aptum populum recipiendis fidei mysteriis, & Christi jugo. Nihil minus. Quod fecit Necangus, non tam Sacerdotum, quam sui causa fecit, indigne ferens, se absente, violatum pagum a Caizanis; retinentes enim juris sui & honoris sunt admodum Caciquii Chiriguani: de reliquo, tam ille a religione aversus erat, quam qui maxime. Itaque cum nihil promoverent sacri viri in vallem Salinarum, ubi sua quodammodo stativa habebant, moesti reverterunt.

AD CHIRIGUANOS TERTIO PENETRAT.

XLVIII. ILlic annuorum imbrium tempus posuerunt, quo tempore sæpe ad eos delatum est convenisse inter barbaros, si denuo in montana conscenderent, ipsos de medio tollere. Id vero nihil tresviros illos movit, quin Martio vel Aprili mense (alterutrum enim definire sat non possum) anno MDCCXXXIV. in montes redirent, siquo tandem modo pervicacia Chiriguanorum pectora Christo subderent. Cum jam minus mille passibus a primo pago distarent, antecessit Chome, silvæque semitas clam secutus in medios improviso Indos irrupit; illosque ita allocutus est: audivi decretum vobis esse me meosque socios interficere; sitne id verum, an non, á vo-

a vobis ipsis coram nosse volui; neque enim vel timeo, vel credo tantum scelus admissum iri a quoquam vestrum in homines, qui vos amant, neque agunt aliud, quam felicitati vestræ cum præsenti, tum futuræ, consulere.

XLIX. Circumspiciunt se se barbari repentino adventu attoniti, miratique magis sunt, cum mox Lizardius etiam & Ponsius adfuerunt. Incredibile nempe ipsis visum est reperiri mortalium quemquam, qui contra tot minas denunciatamque mortem sine præsidio, & sine aliis armis, quam sex pedum Cruce (hac pro baculo utebantur sacri cultores Paraguayci) in hostium se se manus ultro conjiceret. Aberat inde dynasta, sine quo transigi nihil poterat: adit eum Chome, neque acerbe acceptus est. Sed cum sibi & sociis propositum esse diceret ultra progredi, id se ille nequaquam permissurum respondit.

L. Atqui, ait Chome, est nobis quod cum principibus, qui sunt in *Chimeo*, & *Tapaterà*, & *Cararuti* agamus. Bene est, inquit, ibo ipse, & adducam eos huc: ac reipsa venerunt de *Chimeo*, & *Tapaterà*, defuitque solus dynasta a *Cararuti*, qui movere se loco noluit. Cum adessent jam illi, vix fari cœpit Chome de rebus religionis, ponendaque inter ipsos statione, sermonem consensu abruperunt, atque instar *aspidis surdæ*, & *obturantis aures suas*, stat nobis, ajunt, de hac vos re non audire. Immo vero vobis in posterum interdicimus aditu finium nostrorum, & cras (longior enim mora non dabitur) hinc disceditote. Parendum Patribus necessario fuit, & cum undique excluderentur, se se rursus in vallem Salinarum receperunt, non alio tantæ expeditionis fructu, quam collati baptismi uxori cujusdam Indi, quæ jam jam moritura illum petiit, suscepitque edocta propere mysteria fidei.

LI. Igitur cum nullum præterea consilium illis suppeteret, nec esset, quo se verterent, scripserunt communiter ad præfectum provinciæ quid egissent,

 qui-

quique esset rerum status. Pars litterarum erat hujusmodi: " Si humanæ prudentiæ solum ratio habeatur, spes nulla est conversionis Chiriguanorum.
" Sed manus Domini non est abbreviata, ejusque
" bonitas Infidelium proterviam superat, & potest de
" lapidibus suscitare filios Abrahæ. Et quamquam
" eorum plerique a sancta religione ita aversi sint,
" ut cædi potius suæ, quam fidei se se consensuros
" dicant, desperandum tamen non est. Dei, cujus
" misericordiæ non est numerus, servi sumus: & si
" quidem in hanc rem (quamvis tanto munere in-
" digni simus) nostra opera uti vult, paratos nos esse
" oportet ad momenta temporis, quæ ipse posuit in
" sua potestate pro emolliendis horum Indorum ani-
" mis. " Addebant alia: id utique, statutum sibi esse, nisi quid obstaret, ad amnem Pilcomayum contendere, ubi forsan responsura esset messis suscepto labori.

LII. His acceptis litteris, moderator provinciæ, cum tot nequicquam tentata fuissent, supersedendum censuit in præsentia novis excursionibus. Quapropter jussit Lizardium & Ponsium in valle Salinarum curandis neophytis, qui illic erant, insistere: Chomem vero secedere Tarixam, ut Hispanorum, & Indorum, qui ruri habitant, domicilia sacris ministeriis obiret, excoleretque. Ita triumviratum illum, quem obedientia conjunxerat, obedientia vicissim disjunxit. Quod si impar fuit successus eorum conatibus, non fuit certe minor vel spes præmii e *portato pondere diei & æstus*. Paulus quidem non tam ab uberi messe, quam ab sparsis sudoribus in seminando verbo Dei consolationem positæ operæ petendam esse divinitus norat; & tam ille fuit Apostolus, ubi ob pervicaces civium animos auditus non est, quam ubi auditus singulari patrum plebisque bono: scripsitque alicubi idem ipse Doctor gentium *abundantius illis omnibus laboravi* (*a*): nusquam vero scripsit abun-
dan-

(a) I. ad Corinth. c. XV. v. 10.

dantiorem omnibus fructum legi : quippe *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (a) *.

OBIT CHOME SACRIS MINISTERIIS TARIXIANOS FINES.

LIII. Cur potius retenti sint ad portas (ut ita dixerim) Chiriguanorum, siquando tandem aperirentur, Lizardius & Ponsius, quam Chome, causa fuit quod præ hoc illis mitius, & lenius ingenium esset; neque enim multis probabatur impetus quidam vehe-

 mens-

(a) Ad eosdem I. c. III. v. 8.

(*) Poscebat hic locus, ut sociorum & comitum Chomæ reliqua deinceps gesta apud Chiriguanos persequerer; sed id me longius abduceret, neque res necessaria admodum est, quandoquidem Petrus Lozanus vitam Lizardi olim edidit; & continuator historiæ Paraguaycæ, in lucem missæ a Petro Fran. Xav. Charlevoix Gallo, quintum & vicesimum librum narrandis virtutibus factisque Ponsii attribuit. Atque is ipse supplementi Charlevoxiani auctor scripsit quondam sigillatim ejusdem Ponsii vitam, quæ tamen publice non prodiit, atque utinam prodiisset ad aliorum exemplum.

Ceterum ne nos Lizardii & Ponsii res scitu dignas omnino prætereamus, accipe hæc paucis. Natus est Lizardius in oppido Cantabriæ, cui nomen Asteazù. *Mira illi jam inde a puero morum innocentia, & suavitas ingenii. Adolescens in Americam navigavit, & studia litterarum absolvit Cordubæ Tucumanorum. Hinc venit ad Guaranios, quos omni excoluit arte. E Guaraniis adlectus est ad expeditionem Chiriguanicam.*

Prætor Bonaurensis Bruno Mauricius de Zavala, cui ille erat carissimus, ejus timens vitæ, dolere se dixit, quod ad protervam gentem mitteretur. Respondit Lizardius duplici causa eam designationem sibi gratissimam esse, una, quod speraret, labori suo Martyrii ibi palmam pro præmio proventuram: altera, quod, cum alii Jesuitæ provinciam istam ultro petiissent, ipse vero, quamvis idem

menſque ardor, quo cum montanis egerat. Id Chomem non latuit, ſed ajebat ſibi certum eſſe, cum proterva & ſuperba gente non oportere aliter agi quam altitudine quadam animi, ut ferox eorum indoles quodammodo frangeretur. Quorſum enim blanditiæ, cum quis blande habitus inſoleſcit magis? Tamen alia fuit præfectorum ſententia, qui cenſuerunt lente feſtinandum, accipiendumque, quod dies dabat. *Ecce enim agricola*

---

opearet, nihil ſignificaſſet, ne anteverteret voluntatem moderatoris ſui, is tamen ſponte ſua ipſum ad munus illud deſtinarit, ac proinde opus hoc totum eſſe puræ obedientiæ, cui ſe ſe tuto poſſet, & deberet committere. Id audiens Prætor præ amore, & cognita virtute viri vere religioſi, illacrimatus dicenti eſt.

Digreſſo a Chiriguanis Chome, Lizardius oppidum Conceptionis in Valle Salinarum curavit, donec die 16. Maji an. 1735. a barbaris Ingreanis, eo irrumpentibus, abſtractus eſt ab ara (ſacrificabat enim) cum laico miniſtro. Illi (corrupto rei ſacræ inſtrumento, indigniſque habito modis ſimulacro Virginis MARIÆ) Lizardium ſpoliatum veſtibus, & alta in rupe poſitum, magna vi ſagittarum (quarum octo hæſere pectori) transfoderunt. Templi autem miniſter, ſive æditus, cui nomen Bonaventura, alio necis genere ad oram fluminis Salſi mactatus eſt. Prorex Limanus, Marchio, Caſtelfortius, cum in Hiſpaniam rediit, unam e ſagittis, quibus victima occubuit Venerabilis ille Sacerdos pro eximio munere dedit dono Lizardii conſanguineis. Vixit Lizardius annos 39. & ſemis: in Societate 22.

Ponſius (aberat a loco cædis) re audita Lizardii reliquias, tam cari ſocii invidens ſorti, legit. Idem longiore martyrio mille inter caſus, & vitæ diſcrimina, in oppido Roſarii perrexit inſtituere Chiriguanos totis ſeptem & viginti annis exiguo admodum fructu ob perverſam gentis indolem. Ante vero quam ad opus illud arduum adeundi montes Chiriguanicos deligeretur, tot & tam præclara egerat apud Guaranios, ut volumine ad explicandum opus ſit.

la expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum, quibus nos verbis ad meliorum spem erigit Jacobus Apostolus (*a*) dum urgent mala,

LIV. Et quidem Ponsii septem & viginti annorum incredibili patientia, & successoris suavi consuetudine, Chiriguani mitescere jam cœperant, & liberum (quod antea non fecerant) aditum permisere Raymundo Salat, in eorum valles: ac spes erat semem Evangelii in aridam licet & petrosam terram ca-

Vir fuit abstinentia cibi, & tolerantia laborum incredibili. Esca illi parum frumenti Indici, quod ipse severat, ipse sibi coxerat. Non ei lectus, non culcitra, non sindones, neque vestem exuebat ad somnum. Carnem Indis ex armento, quod opera sua posuit, dabat, sibi non dabat. In medio æstu solis flagrantissimi nudo ibat capite, quod muscarum, tabanorum, culicum gregibus exponebat. Cetera, quibus in corpus sæviit talia sunt, ut vel legentem horrore quodam percellant.

Patria illi oppidun Pi *(id est Pini) diœcesis Urgelensis. Natus est an. 1687. Jam Sacerdos nomen dedit in proviciam Paraguaycam. Obiit die 8. Martii an. 1761. natus annos 73., quorum 44. cultorem Indorum egit. Ejus corpus post menses viginti effossum, ut in novum templum transferretur, repertum est (cum sit solum vehementer humidum) & integrum; & integris vestibus, ac sine ullo tetro odore, diceres id præmii a Deo datum eximiæ puritati, qua cœlestes spiritus imitari studuit. Hinc crevit de ejus sanctitate opinio, quæ semper maxima apud omnes fuit. Videtur autem e cælo* contrivisse portas æreas, *& egisse, quod humi non potuit: facta enim est post illius mortem in neophytis* mutatio *quædam* dexteræ Excelsi. *Evanuit scilicet aversio illa demens, qua prius recusabant tradere liberos in disciplinam: cessarunt scandala, quibus nullus obex obstiterat: aucta pietas, cujus antea rara exempla: atque ita paulatim* formatus est Christus *in illa tribu, quam Ponsius tam longo tempore* iterum parturiverat *(Ad Galat. c. IV. v. 19.)*

(a) *Jacobi c. V. v. 7.*

cadens, *primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica fructificaturum* (*a*): quod utinam cœleſtis imbris vi, & ope fiat.

LV. Tarixiano igitur collegio addictus eſt Chome, ut nobilis illius municipii fines, & Chicharum regionem, & pagum Lipes, pagoque huic adjacentes valles obiret ſacris excurſionibus. Habitant in parvis oppidis Indi plurimi, Hiſpanique magno item numero ruri degunt curandis prædiis pecorique alendo intenti. Vita illis tranquilla, & ab urbanis ſemota turbis; verum indigens in primis ſacrorum operariorum. Nam cum parochiarum fines ampliſſimi ſint, nec facile poſſint Parochi ſingulas colonorum domos inviſere, neque illi viciſſim in templum ire, quod diſtat longiſſime, eo fit, ut ſacramenta minus frequentent, & rarius audiant, qui explicet religionis myſteria.

LVI. Ad Lipes autem (qui locus Tarixa diſtat octoginta circiter leucas) & vicina juga, quamtumvis horrida fœdo ſqualore, & aſpera acri frigore, conſederat ingens hominum vis, inhians feraciſſimis olim venis argenti, quod ita large proveniebat, ut nuſquam largius. Venas dixi olim feraciſſimas, poſtea enim ſolum illud dives, erumpentibus aquarum ſcatebris, foſſorum deluſit ſpem, operaſque impediit; & dicitur etiam num deorſum proſpectantibus apparere puri putique argenti ſubtus aquam ſplendens maſſa; ſed hæc inſtar eſt lymphæ fugientis labra Tantali.

LVII. Loca illa omnia (quorum pie inſtituendorum cura fuit ſemper collegio Tarixiano) plurimarum ſpatio leucarum, triennio circumiit Chome magna laborum copia, & pari laboribus fructu ſpirituali, qui ut eſſet uberior *Quichuam* linguam, cujus illic non Indis modo, ſed Hiſpanis etiam frequentiſſimus

---

(a) *Marci c. IV. v. 28.*

mus usus, didicit; nam indigenæ, tametsi Hispanice loquentes intelligant, malunt audiri ad sacrum tribunal, & erudiri in templo, lingua, quæ ipsis familiarior est. Hac ergo Chome adeuntes alloquebatur, & Christianæ vitæ officiis instituebat.

LVIII. Sacro huic ministerio vacarat tres annos Chome, cum jussus est ire ad Chiquitorum regionem, immenso illinc positam intervallo ob viarum anfractus. Præfecti provinciæ hac in re mens fuit, non solum ut neophytis illis insignem operarium daret, sed etiam (quo erat animo erecto atque intrepido) ut iter, si fieri posset, per Pilcomayum amnem in urbem Assumptionis Paraguaycæ, atque adeo ad Guaranios ipsos, aperiret, cujus itineris præter consecutura Hispanos homines bona, ea quoque futura erat utilitas, quovis digna labore, ut Indi, qui vastum illum terrarum tractum incolunt, ad fidem vocari, informarique possent civili cultu, & divinis legibus.

LIX. Quod autem huic rei commodior præ aliis oppidis Zamucorum erat pagus, huc veniens Chome ad linguæ studium protinus incubuit, cum ut oppidanos institueret, tum ut eisdem comitibus adjutoribusque uteretur ad demandatam sibi provinciam. Præsidio igitur cogniti jam sermonis, atque implorata Dei ope per sanctas D. Ignatii commentationes, in opus plenum periculi, & quod jam aliis vita constiterat, oppido illo egressus est. Duo in iter secum extulit, pixidem magneticam, & ferramentorum magnam vim, cujus apparatus vix definieris uter esset magis necessarius. Acus cœli amica, indexque Cynosuræ, cursum regebat; nullo enim certo & trito tramite, facilis in deserta regione foret error, quo Chome vel dextrorsum vel sinistrorsum deflecteret ab optato termino. Securibus autem ferroque opus erat, ut viam sibi per densos intactosque ævo saltus moliretur.

LX. Immani labore septuaginta leucas processerat, cum longe collucere visi sunt ignes. His Indi, alii alios, commonent, ut parent se, siquid acciderit

rit

rit novæ & inopinæ rei. Comites Chomem docent, conſpectos jam ſe, & deprehenſos, ac vim ſtrui, ideoque aut regrediendum eſſe, aut ſi ultra ire pergerent, pereundum. Ille ob denunciatum periculum haud deſtitiſſet cæpto, ſolitus minas & arma barbarorum contemnere: ſed cum ſine opera neophytorum progredi nequiret, neque oporteret ipſos invitos reluctanteſque longius trahi, in oppidum mæſtus revertit. Hæc acta ipſo anno, quo ad Zamucos venerat, MDCCXXXVIII.

LXI. Poſt biennium, novo præfecti provinciæ Juſſu, Chome iterum ex oppido Zamucorum egreſſus eſt, Auguſtinus vero Caſtanares, adlectus in idem operis, ab urbe Aſſumptionis Paraguayum flumen trajecit, condicto prius loco, in quem diviſis itineribus convenirent, conferrentque inter ſe, quid egiſſent, reperiſſentque. Sed ne tum quidem e ſententia agi res potuit, alterque cauſa altera rediit eo, unde exierat, tot obices utrique obſtiterunt, ne in deſignatam regionem penetrarent aperta via. De Caſtanario, qui dein a Mataguayis, quos fide inſtituendos adierat, occiſus eſt, alibi diximus.

LXII. Chome, qui in ſingulis iſtis expeditionibus binos menſes poſuit, quot & quanta paſſus ſit, vix dici poteſt. Referam nonnulla, quæ a neophytis ejus commitibus narrata ſunt. Per medias ſilvas, & dumos, qui non veſtes modo, ſed artus etiam lacerabant, ibat Chome pedes, itemque per lacus, ac loca ſtagnantia, quo factum eſt, ut ex humore intumuerit pars ima corporis, atque hinc fortaſſe orta poſt fuit podagra, quæ ad finem uſque vitæ eum miſere torſit.

LXIII. Ad lectum utebatur *hamaca* (reticulum eſt capax jacentis hominis) e binis arborum truncis penſili: quod ſi arbores pro fulcro deerant, humi cubabat. Cibus ei edules radices, & caudex ſurculique palmarum, quæ mirifice illic proveniunt; oriza etiam interdum, ſed ſemicocta, quod nollent neophyti magnum ignem excitare, ne a barbaris obſervarentur,

Fuit

Fuit nonnumquam penuria etiam aquæ, quam expresſo e virgultis ſucco ſupplebat Chome. Cum autem per Zonam iret torridam, aucto æſtu ab incluſis & depreſſis locis, pæne ſuffocabatur. Cavendum præterea erat a morſu ſerpentium, quæ libere illac vagantur, nullo perſequente.

LXIV. Hac in re prætereundum non eſt, quod illi olim accidiſſe memorant. Cum in ſilvam ſececiſſet, ut ſolus oraret (qui ei erat mos) genua humi poſuit. Eſt genus ibi viperarum, quod Græce Crotalon poſſis dicere, Hiſpani vocant de *Caſcabel*, id eſt, a tintinnabulo, ob tinnitum, quem edunt ab extrema cauda, cum repunt; habent enim illic inſertos orbiculos, qui ſe ſe collidunt, & ſonant, tot numero, ut ferunt, quot annos ſerpens nata eſt: mortale huic venenum. Igitur unam ex iis, ſive quod attentius meditaretur res cœleſtes Chome, ſive alia cauſa nec venientem ſenſit, nec ſubeuntem oras tunicæ. Tum illa cruri, tamquam rudi ſtipiti advolvitur. Chome, cum ſtare voluit, quid crus impediret ignarus, attrectat, tactuque diſcit, quid ſit. Periculo animadverſo, ejus implorat opem, qui in ſe credituris promiſit: *ſerpentes tollent*. Erigit ſe, & vipera ſponte ſua ſpiram retexuit, atque elapſa eſt, Chome incolumi. Alia quoque hujusmodi fuerunt diſcrimina, ſed nihil eum tam anxit quam bis tentatum aperiundæ viæ negotium, bis diſcuſſum ob exorta impedimenta.

LXV. Itaque eo omiſſo, regreditur in oppidum S. Jgnatii Zamucorum, & ſe ſe totum ſimul cum collega ad inſtituendos Indos convertit. Præter alias tribus erat ibi gens quædam, quam vocant UGARANOS. His olim cum Zamucis bellum fuerat. Principio aditi oppidi concordia fuit & pax. Sed deinde inimicitiæ (ut fit, niſi vera Chriſti caritas animum penitus occupet) aliquandiu ſopitæ ſenſim recruduerunt. Diſſentiebant inter ſe, nec facile erat uno in loco conſiſtere, quibus non eadem eſſet mens & voluntas.

LXVI. Ob id, cauſaſque alias, quas nimis eſſet lon-

longum explicare (Zamucorum enim oppidi arenæ in solo positi varia fuit sors modo læta, modo tristis) incidit Chome in maximam omnium calamitatem summo cum dolore conjunctam. Oppidani deserto cultore, & relicta infausta statione, dilapsi sunt. Accessit huc, quod Chome ipse inquiri se ad necem sibi plane persuaserit. Sed falsus hac re est, ut eventus docuit. Nam migrarunt ultro in oppida Chiquitorum, tradideruntque se se volentes libentesque curæ Sociorum, utrique illi neophyti Zamuci, & Vgaranii, quod quidem neutri fecissent, si in vitam Chomæ conjurassent. Ita viros quantumvis fortes aliquando terret mortis metus, quem sæpe alias contempserunt: quippe vitæ amor, & desiderium tuendi corporis quæ vel in homine spirituali mortua non est, morique semper horret.

COMMORATIO CHOMÆ APUD CHIQUITOS ET EJUS SCRIPTA.

LXVII. CHome, convasatis templi rebus, una cum Antonio Guasp (is est, qui diu post a perfidis Guaicuruiis, dum eorum saluti studebat, trucidatus est) recepit se se ad Chiquitos, quorum necesse fuit linguam (nam alia ac Zamucorum est) addiscere, id quod, tametsi difficillima sit, & Chome jam natus esset quinquaginta annos, brevi fecit, attentoque studio ita illius reconditos locos, recessusque rimatus est, ut indigenæ mirati in eo accuratissimum dicendi genus affirmarent neminem Sociorum melius Chome Chiquiticæ linguæ artem & vim calluisse.

LXVIII. Biennio post designatus est Curio oppidi Conceptionis, atque hic ea quadriennio egit pro Indorum bono, quæ alius vix denis annis egisset, tantus erat in viro ardor. Coegit necessaria omnia ad novum templum, nulli parcens labori: ipse lateres finxit, ipse fornacem, qua coquerentur, struxit, ipse advectam e silvis materiam secuit, dolavit, po-

ſit: etſi enim ad hæc Indi laborem ſuum conferrent, ipſe laborantibus præſens aderat, & cum opus erat, manum admovebat, præibatque exemplo, cum interea providendum eidem eſſet, ne templum ſpirituale; neophytorum nimirum inſtitutio detrimentum pateretur, ſed creſceret.

LXIX. Paratis jam omnibus pro inchoanda fabrica, quam utique ipſe abſolviſſet gnarus artis Architectonicæ, cura ſe ſe Parochi abdicavit: id fecit quod, opinor, intellexerat præfecto Sociorum Chiquiticorum non probari eam contentionem, qua Indos ad templi opus urgebat: ille vero contra volebat lentius temperatiuſque, quamvis pro re ſancta, cum neophytis agi. Cauſa huic alia addebatur, certus quidam, & ſingularis amor, mutatu difficilis quo Chome Vgaranios, cultos quondam ab ſe in Zamucorum ſtatione, & qui huc inde venerant, proſequebatur, cenſente prudenter præfecto non pluris faciendos hoſpites, quam veteres oppidi inquilinos, & incolas, qui illos domo exceperant.

LXX. Ergo depoſuit ſuum Chome munus, ſeceſſitque in oppidum S. Franciſci Xaverii, ubi privatus Curionem adjuvaret in inſtituendis Indis, adminiſtrandiſque Sacramentis. Majus ibi nactus otium inſtitit impenſius virtutum exercitationi, ſtudioque litterarum. Præter religioſa diei officia, quæ ſtatis horis fiebant in oppidis perinde ac in Collegiis, alia ipſe extra ordinem obibat. Somno dabat quattuor tantum horas, eoque erat ad ſurgendum expeditior, quod veſtes non exueret. Cubiculo non egrediebatur niſi ad ſacra miniſteria, & ad adorandum latentem in ara Chriſtum Dominum.

LXXI. Quod ad ſcripta Chomæ attinet, præter epiſtolas, quæ inter *litteras ædificantes & curioſ*[illegible] a Gallis editæ ſunt, alias miſit ad primarios viros Limanos, & Chuquiſacenſes, quæ ſi publici juris factæ fuiſſent, næ illæ plurimi penderentur a litteratis Europæ viris, ſcripſit enim ſibi probe comperta ex obſer-

ſervationibus Aſtronomicis in Zona torrida, & poſt tot excurſiones in deſerta loca, ubi multa ſunt ſtudioſis rei phyſicæ nondum cognita, quæ omnia & geometriæ, & cœlorum ſcientiæ, atque hiſtoriæ naturali ingens lumen ſuppeditarent.

LXXII. Ad hæc, grammaticam artem compoſuit & lexicon Zamucocianum; dein autem meditando ſpeculandoque origines linguæ Chiquiticæ in clariorem redegit ordinem magno bono eorum, qui ſingulare illius artificium intime noſſe volunt. Ejuſdem linguæ dictiones in grande volumen congeſſit, & Chiquitice convertit aureum Thomæ Kempis librum de contemptu mundi, atque opus utiliſſimum P. Euſebii Nirembergii, cui titulus eſt: *diſcrimen inter temporaria & æterna*, quod opus inſtitutioni, lectionique neophytorum ſerviret. Explicuit inſuper capita doctrinæ Chriſtianæ, adjecitque conciones, quæ incepturis publice ad Indos loqui adjumento forent. Sed princeps Chomæ labor fuit *Hiſtoria Chiquitorum* binis contenta tomis majoris formæ; eaque, utpote ſcripta a viro rerum illius gentis ſcientiſſimo, fuiſſet lectoribus ſolidæ delectationi. Hæc omnia dies unus ſepeliit juſſo exilio, ſeveriſſime enim cavebatur, nequis quid ſcriptum manu efferret ſecum. Quod ſi libros iſtos aliquis abjecit, corrupitve, male ille de Chiquitorum lingua, & republica litteraria meritus eſt, cum multarum vigiliarum, ſummæque utilitatis commentarios peſſundederit.

CHOMÆ VIRTUTES.

LXXIII. CEterum, quæ eripi non poterant, ſecum extulit ex oppidis Chiquiticis Chome, bona nimirum animi virtuteſque, quas ſtrenue coluerat. Harum fuit una manſuetudo, quamvis enim bilioſa & ardente eſſet natura, eam ſtuduit premere elidens ſurgentes iræ motus; uniceque utebatur impetu illo mentis, ut, quæ ardua pro Dei gloria adoriebatur, ea

ad finem usque, victis, quantum in ipso erat, obicibus perduceret. Æquanimitas in eo insignis etiam fuit sive in mediis ærumnis, sive (quod est multo difficilius) in acceptis injuriis.

LXXIV. Olim in Hispania cum Indicam navigationem præstolaretur, quemdam nescio qua re errantem monuit. Æger medicina factus pejor corrigenti alapam impegit. Chome, quo sibi fieret satis in tanta contumelia, nihil movit, adeoque absuit ut par pari referret, ut ne questus quidem sit, quod in homine vehementer igneo instar prodigii est. Cum multa multis in locis aggressus sit, haud ignoravit aliqua a quibusdam reprobari, ejusque carpi consilia: verum nihil moratus hominum de se judicium, quod sibi & utile & e re presenti videbatur, aperte dicebat, atque impigre exequebatur, nisi præfectorum obstarent jussa, quæ sancte observabat, ferens patienter censuram aliorum.

LXXV. Pauperrimus fuit. Nihil ipsi erat: & vel victui necessaria (si tenuem cibum, amictumque excipias) quæ curabat præfectus singulis Sociorum dividi, non sibi volebat, sed Indis, quos tenere amabat. Cultum corporis adeo neglexit, ut solitus fuerit vestem non mutare, quousque ea fatiscens ferentem destituebat. Lodix lanea, quam in collegio Cordubensi olim acceperat, tricenos annos retinuit, neque alio jam nomine erat illa commendabilis quam ipsa vetustate (si quidem mera vetustas pretium rebus addit) detrita enim, & rasa vim calefaciendi amiserat. Ut lucernæ parceret (ceu vir inops impensam, quam potest, domi resecat) interdiu legebat, scribebatque, noctu autem Divos orabat, aut fortassis etiam mandanda postridie litteris commentabatur.

LXXVI. Dei Matrem MARIAM, & Custodem Angelum singularibus colebat obsequiis, nec sine præmio. Cum olim iter ageret per declive jugum, mulus, quo vehebatur, instabile vistigium posuit, &

fal-

fallente pede, se se & sessorem daturus erat in præceps. Chome viso periculo Magnæ Virginis opem imploravit, evasitque incolumis, præstitum e cœlo auxilium comitibus mirantibus. Alias a simili vitæ discrimine, advocato in subsidium Angelo Custode, liberatus est.

LXXVII. Par pietati patientia Chomæ. Laboravit senex podraga, & chiragra, unde in reliquum corpus manabat dolor assiduus. Curvatis pedum & manuum articulis, nec ingredi poterat, nec baculo niti. Exerebat tamen vires animi, Indique utens opera ad collegæ cubiculum sacra se confessione expiaturus ibat, atque inde in templum, ut sacrificio assisteret, & particeps fieret victimæ divinæ accepta Eucharistia: persistebat autem orans inibi, donec a bajulo in cubiculum reduceretur.

LXXVIII. Extremis decem mensibus, sæviente supra modum podraga, movere se loco non poterat, cogebaturque jacens spiritualia auxilia a collega accipere. Præ pace vero & tranquillitate spiritus, qua fruebatur, nihil curabat hominum commercia, nec requirebat futiles consolatores, quibuscum tempus confabulando teteret, quod nimirum assueverat cœlestium rerum meditatione se se erigere, vel etiam recreare secum ipse relegens aliquid, quod ad studia litterarum pertineret.

EGREDITUR E CHIQUITIS ET MORITUR.

LXXIX. ANnos jam undetriginta posuerat Chome inter Zamucos, & Chiquitos, cum inexpectata illa adfuit dies pridie Nonas Septemb. an. MDCCLXVII. qua excedere illinc coacti sunt Operarii Jesuitæ. Chome tum propter ætatem LXXI. annorum, tum propter affectam valetudinem, qua surgere e lecto nequibat, videbatur (& hæc erat testata voluntas Regis Catholici) omnino exemptus a jusso itinere.

Tri-

Tribunus militum, qui miſſus fuerat ad exigendos Socios, quid facto opus eſſet, quæſivit ab Chuquiſaca urbe, ubi Senatus Indicus eſt: redditum eſt inde durum reſponſum: Chomæ, & ceteris excedendum eſſe.

LXXX. Non credidit fortaſſe Curiæ Præſes tantum eſſe mali, & rem verbis amplificari. Verum dubitanti de graviſſimo impedimento dixiſſet in aurem aliquis illud Pauli ad Philippenſium magiſtratum: *non ita, ſed veniant, & ipſi nos ejiciant* (a). Franciſcus quidem Bucarelius, Prætor Bonaurenſis, ſeverus ceteroqui in exequendo exilii decreto, Sigiſmundum Aperger ſenem in oppidis Guaranicis (ut ſupra dictum eſt) reliquit. Cur ita? quia cum ipſe per ſe ad Guaranios iſſet, novit e propinquo Sacerdotem illum, rodente ulcere ejus crus, inutilem eſſe ad iter, & quidem iter ſexcentis partibus lenius, quam quod manebat Chomem.

LXXXI. Is Dei conſilia ſancte reveritus, acerbum viæ præceptum ſubmiſſe accepit. Ubi profectionis dies advenit, extrahitur e lecto, immittiturque in hamacam, quam tranſverſo ad oras vecte bini portabant robuſti Indi, majorine geſtati, an geſtantium moleſtia & labore neſcias. Hoc modo longum illud iter ab oppido S. Xaverii ad urbem S. Crucis Montanæ actum eſt. Inde effertur in viam multo deteriorem per montes aſperrimos, qui medium Peruvium dividunt. Erat Chome jam ita attritis viribus, ut cum inter eundum defeciſſet illum aliquando ſpiritus, comites Sacerdotes veluti jam jam morituro auxiliati pie ſint.

LXXXII. Ventum erat ad Cochavambam, frequens, & amœno poſitum in loco Hiſpanorum municipium. Hæc apta fuiſſet feſſo Chomæ ſedes: verum agendus porro erat teterrimo rurſus itinere. Præter horrentes atque inhoſpitales montes alios ſuperandus

 ille

(a) *Act. AA. c. XVI. vv. 37. & 38.*

ille fuit, quem vocant *Tapàri*, quo nihil afperius fe-raliufve: tamen per jugum etiam hoc tranfmiferunt improbo labore Chomem patientes bajuli, quibus exemplo erat invictus ad mala animus deportati fenis, qui fpirabat quidem non tam ut viveret, quam ut lentius & fæpius moreretur.

LXXXIII. Oruro nobilis & dives urbs eft regni Peruvici. Abundat auri argentique venis, quo fit, ut, folo quamvis fterili, rerum omnium aliunde importatarum affatim ei fit ad delicias ufque. Huc a Cochavamba XXX. leucarum itinere cum perveniffet Chome, fenfit adeffe jam fibi finem viæ & vitæ, ideoque fe fe diligentius ad mortem comparavit, petitis & acceptis pie ac religiofe Sacramentis Ecclefiæ. Tum Deum & Divos fuppliciter compellans tranquilliffime exfpiravit in pervigilio natalis diei Virginis MARIÆ. Anno MDCCLXVIII.

LXXXIV. Ultima hæc vitæ pars prioribus refpondit partibus, conftititque fibi Chome toto illo anno, quem poft juffum exilium vixit. In itinere cum tot ærumnis premeretur, numquam Sacerdotalium precum penfum omifit. Unde enim melius, quam a divina pfalmodia confolationem inter adverfa peteret? Recitabat ad extremum Officium (*a*) quotidie illud: *clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipfo fum in tribulatione;* promiffamque opem ei, *qui habitat in adjutorio Altiffimi*, ufu ipfo abunde experiebatur Chome.

LXXXV. Jacens in hamaca mentem & cor in cœlum attollebat, fe feque & fua & corporis dolores Deo, *qui reddit unicuique fecundum patientiam boni operis* (*b*), ultro offerebat. Iterabat item frequenter humilitatis, manfuetudinis, & confenfionis cum divina voluntate, & fidei, & fpei, & caritatis actus. Numquam in

(a) *Ad Completorium ex Pfalmo XC.*
(b) *Ad Rom. c. II. v. 6.*

in eos, qui in tantum, & tam durum iter illum compulerant, verbum ullum protulit, questusve est de re sibi acerbissima, & quæ Carolo III. Regi displicitura vehementer foret, si scisset.

LXXXVI. Sane mitioris sortis dignus erat vir ingenio rebusque clarus gestis, vir, qui minimum XII. linguas didicit (*a*), septem in Europa, quinque

(a) *Hæc Chomæ laus de tot cognitis linguis haud videtur magna & summa est. Vix mihi reperies e litteratis hominibus, qui plures quam ille, linguas tenuerit. Præstitit hac quidem re Hispanus ille Benedictus Arias Montanus*, omnium pæne gentium linguis, atque litteris (*ut de eo prædicat Haubertus Mireus*) raro exemplo ex[c]ultus, *quique præfuit regiæ, & magnificentissimæ editioni polyglotticæ Sacrorum Bibliorum: & tamen Arias decem dumtaxat linguas didicit Latinam, Græcam, Chaldæam, Hebræam, Syriacam, Arabicam &c. Sed hæ linguæ (dicet aliquis) cultæ sunt, & cultarum gentium; illæ vero, quibus in America studuit Chome, incultæ. Audio: sed id ipsum Chomæ, & gloriam & decus auget: nam ad cultas linguas addiscendas plura adjumenta sunt, quam ad incultas.*

APPENDIX.

Est quiddam notatu dignum, quod de Chome ad extremum dicam. Scripsit olim ille: non reconnoitre Chiriguanos aliquam divinitatem (*a*). *Id tamen, nequis erret, referendum eo non est, quod dicere velit Chome Indos illos vel Dei nomine carere, vel sine omni esse divinitatis notitia: illud unum intelligit, Chiriguanos parum de cultu Numinis sollicitos ex eorum esse numero,* qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. (*Ad Tit. c. I. v. 16.*)

(a) *Lett. Edif. vol. XXV.* Ils ne reconnoissent aucune divinite. *Vide Aloysium Brenna* de Generis humani contemtu in agnoscenda divinitate. *Vol. II. lib. II. p. II. c. IV. ubi vim verborum Chomæ aliter infirmare studet: sed verus & germanus Chomæ sensus ille est, quem reddidimus.*

que in America, primo Bonisauris Angolicam, deinde Guaranicam, tum Quichuam, poſtea Zamucocianam, denique Chiquiticam; vir, qui varias calluit artes cum ſpeculatrices, cum actuoſas, quas pro In-
do-

Hanc fuiſſe Chomæ mentem certiſſimum eſt. Nam qui inficiari poterat Chiriguanis eſſe Dei nomen, cum eadem illis lingua ſit, ac Guaraniis, inter quos diu jam verſatus fuerat Chome ipſe? Guaranii autem ad explicandum Ens omnium maximum & optimum, habent vocabulum Tupa, *quo etiam utuntur Hiſpani cives urbis Aſſumptionis Paraguaycæ, qui Guaranice loquuntur.*

Illud inter Chiriguanos, & Guaranios diſcrimen eſt, quod illi ad vocem Tupa *vix attendentes, inconſiderate eam & temere quodammodo uſurpant: hi vero a majoribus ſuis, quibus clarior, & dignior de divinitate ſenſus fuit, accepto nomine, ſanctius, & religioſius (utique poſt accepta Chriſtiana ſacra) utuntur.*

Norat præterea Chome jam pridem ad Chiriguanos penetraſſe PP. Franciſcanos, Dominicanos, Auguſtinianos, & demum Jeſuitas, qui omnes, explicarunt, licet exiguo fructu, Chiriguanis myſteria divinitatis. Qua ergo ratione fieri potuit, ut Chomæ tempore Chiriguani ipſi Deum ignorarent? vel e ſolo Hiſpanorum, quibuſcum frequenter olim egerant, commercio (ſi omnia alia deeſſent) Chiriguanos de Deo, & divinitatis myſteriis audire, & noſſe, neceſſe fuit.

Itaque cum dicuntur illi a Chome non recognoſcere divinitatem, *ſic id accipe, ac illud a Paulo de multis dictum:* quorum Deus venter eſt ... qui terrena ſapiunt. *(Ad Philip. c. III. v. 19.) Atque hi quidem nomen Dei, & divinitatis cognitionem habebant: ſcribit enim Apoſtolus ad Philippenſes, non Græca ſolum doctrina imbutos, ſed etiam Chriſtiana lege; ideo enim ait:* multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus. *(Ibid. v. 18.)* obliviſcuntur *nimirum* Deum *(ut eſt apud Jobum c. VIII. v. 13.) non dixit ignorant Deum, ſed* obliviſcuntur, *memoriam enim, & animum a Deo ſponte ſua avertunt.*

Accedit huc, eſſe nonnullos e ſacris Novi Orbis operariis, qui ſcribunt, dicuntque gentem aliquam Indorum

dorum utilitate exercuit, vir, qui plurima ſcripſit, ut religionem apud Americanos promoveret, atque Europæorum excitaret ſtudia ſive rei phyſicæ, ſive hiſtoricæ; vir, qui immani labore ignotas regiones

excur-

Dei nomine carere, non quin vocem habeant, qua ſupremum Ens ſignificent, ſed quia vel vim illius parum ponderant, vel diſtorta quædam, & indigna Deo ſimul fingunt. At id non ſatis eſt, ut Athei, Deique cognitione deſtituti cenſeantur. Sane Græci Latinique poſt inductam Theogoniam, fabulaſque poetarum, nec digne, nec recte de divinitate ſentiebant; & tamen Eccleſia retinuit illorum Θεὸς, *& horum* Deus. *Cur? quia cum gens utraque nominibus iſtis ſignificare vellet maximum, & ſupremum Ens, rejectis per fidei explicationem, quæ illi male adjecerant, & adjectis e contrario, quæ Dei perfectionem decent, ſacer uſus ambo iſta nomina conſecravit.*

Quidam itidem e viatoribus cum nec templa, nec aras, nec ſtata ſacrificia apud quaſdam barbarorum tribus reperiſſent, omiſſo examine, quo in ſenſa indigenarum altius deſcenderent, ac vix libata primis labris ipſorum lingua, immature pronuntiarunt, Dei notitiam eis, & Dei nomen deeſſe. Fuit, qui cum plures negarent certos Paraguayæ Indos habere Dei nomen, ipſe diſcuſſis eorum ſenſis, & indagatis linguæ locis reconditis, vocabulum deprehendit, quo Ens illi ſummum exprimebant.

Mos autem fuit pleriſque Indicæ gentis cultoribus, ut, adita nova ethnicorum regione, cum myſteria Religionis explicare adoriebantur, illico Hiſpanum nomen Dios *(Deus) in uſum inducerent, ſive quod diffiderent nomini, quo illi Ens ſupremum ſignificabant, ſive quod facilius explicari poſſe exiſtimarent, quæ vis inſit nomini* Dios, *quam purgari ridiculis quibuſdam ideis vocabulum, quod in id rei prius illi forte adhibuerant.*

Alias iidem præcones Evangelii, cum animadverterent novas gentes ad ſignificandum Numen appellativis (ut vocant grammatici) nominibus uti, v. g. Domini, Antiqui, Admirabilis, *his non contenti, & veriti, ne inde ethnicorum animis ob minus excultam mentem reſtrictior, imminutiorque notio divinitatis ſubiret, putarunt recurrendum eſſe ad proprium nomen, quo Dei majeſtas auguſtius explicaretur.*

excurrit, ut bono ſerviret publico; vir, qui capitis diſcrimine infeſtos Hiſpanorum hoſtes toties adiit, ut bonis moribus eos imbueret, atque averteret ab armis, quibus finitimos turbabant; vir, qui præſto ſemper fuit, quoquo divina ipſum vocabat gloria, ne degener eſſet ab Ignatii, quod acceperat, nomine; vir

Verum ſi Indi vocibus appellativis (ut illa Admirabilis *) rectum, & dignum de divinitate ſenſum efferunt, nihil vetat, quin appellativa nomina retineantur: vocabulum enim appellativum aliquando fit proprium uſu ipſo. Urbs quidem vox appellativa eſt, & tamen pro Roma proprie accipitur, cum dicunt ſcriptores* venit in urbem, abiit urbe, urbi periclitanti opem tulit. *Nec minus quamvis Papa (pater) per ſe nomen appellativum ſit, attributum maxime eſt Summo Pontifici, idque merito, cum ſit pater omnium gentium, qui titulus nulli mortalium convenit, & ne convenire quidem poteſt, alii.*


Hæc dicenda duximus pro explicanda Chomæ mente, aſſerendaque genti Chiriguanicæ vera cognitione Dei, quem nomine Tupa *(a) ſæpe appellant, ut me docuit P. Raymundus Salat, qui cum Chiriguanis ethnicis familiariter egit.*

Nec vero Chome ipſe ait Chiriguanos non cognoſcere divinitatem, ſed non recognoſcere quod longe diverſum eſt: ſic de quibuſdam dicitur cognoſcere beneficium, cognoſcere ſuperiorem; ſed nec beneficium recognoſcere, nec ſuperiorem: hoc exigit, ut jubenti pareas; illud, ut memor beneficii ſis, & gratus. Chiriguani cognoſcunt Deum, ſed nullo ſtato cultu, nulliſque externis officiis recognoſcunt, parumque de ejus præceptis ſolliciti ſunt.

Ipſis Gallis vox reconoiſſant *a verbo* reconnoitre *(quo utitur editor* Litterarum ædificantium *in vertendo Chomæ ſenſu) ſignificat accepti beneficii memorem eſſe, idque ferme conjunctum eſt cum extimis grati animi ſignis erga illum, qui de nobis benemeritus fuit.*

(a) *Legeſis, quæ de* Tupa *nomine fuſe narrat Pet. Franc. Xav. Charlevoix in documentis adjectis Hiſtoriæ Paraguayæ, quam Gallice ſcripſit.*

vir postremo, qui si in Europa remansisset, vel insignem laudem inter doctissimos auctores Bolandianos sibi peperisset, vel vitam certe vixisset tranquilliorem: sed maluit ille squalida barbarorum tuguria praeferre cultis Belgii urbibus, & veterum rerum eruditioni antetulit novum in Novo orbe studium pro Indicæ gentis institutione, probe conscius, ut maximum sit bonum Acta Sanctorum in lucem edere ad aliorum exemplum, melius longe esse agendo pie, & fortiter patiendo Sanctos imitari.



FRANCISCUS RUIZ
DE VILLEGAS
SACERDOS.

CUM tot hactenus scripserimus de Sociis iis, qui Indorum fuerunt Parochi, dicemus nunc de Francisco Ruizio, cujus tota ferme laus ab urbana Hispanorum parochia diu recteque administrata, pendet: in eo enim munere, non quæ sua erant quæsivit, sed quæ JESUCHRISTI, id quod fieri ab omnibus vult Doctor gentium, & queritur non fieri. (Ad Philipp. c. II. v. XXI.).

PATRIA RUIZII ET STUDIA LITTERARUM.

I. SALTA (cui sacrum nomen a S. Philippo Apostolo) sita est loco amœnissimo, quem ampla & longa efficit vallis oppositis circa montibus. Debet naturæ, ut tutissima sit a barbarorum e Chaco incursionibus: stagnantes quippe aquæ, relicta ad ædificaudum insula, urbem sepiunt undique valido repa-

 gulo;

gulo: ſed ut mortalibus nihil ab omni parte beatum eſt, ille ipſe deſes & iners liquor, qui pro muro eſt, reddit & cœlum grave, & ſolum humidum. Viæ omnes pulchræ, & æquis directæ ſpatiis, ædes commodæ, civibus opum abunde ob commercium, quod illac fit in Peruvium e præturis Tucumanica & Bonaurenſi.

II. Hæc fuit patria conſpicuæ Ruiziorum familiæ, unde Franciſcus genus duxit, natus an. MDCC. poſtridie Kal. Apriles. A teneris uſque annis pietatem ſimul ac ſtudia litterarum cœpit colere: & quo die otium ab ſcholis erat, una illi quies deliciæque cum viris religioſis domi eorum agere, & templo aſſiſtere. Poſitis jam rudimentis humanioris culturæ ad Cordubenſem Academiam (cujus maxima in Tucumania viciniſque provinciis fama) miſſus eſt a patre, qui cooptari eum curavit in Seminarium Monſerratenſe, ut inſtitueretur ſeveriori diſciplina, quæ ibi plurimum vigebat.

III. Addictus Philoſophiæ, quos feciſſet triennio progreſſus, oſtendit publice, propoſitis de arte theſibus eo ſucceſſu, ut quæ benemeritis dari ſolent inſignia, & præmia reportarit. Exin in Theologiæ ſtudium incubuit, & cum ad Doctoris lauream, quam anhelabat, adipiſcendam neceſſe eſſet, ut ſubinde periculum ſui faceret, & in certamen ſæpe deſcenderet coram profeſſoribus Academicis, ſtudioſiſque gravioris ſcientiæ adoleſcentibus, ita e litterariis illis proluſionibus victor ſemper abiit, ut Moderator Academiæ dicere ſolitus ſit, Ruizium non more diſcipuli, ſed magiſtri de Theologicis rebus diſſerere.

IV. Verumtamen major a virtute & pietate commendatio Ruizii. Philoſophiæ Chriſtianæ retinens animi curam litterarum ſtudio antetulit, præiitque exemplo condiſcipulis. Sacræ Confeſſionis atque Euchariſtiæ præſidiis contra rebellis naturæ deſideria, & inſidias ſpiritus maligni, muniebat ſe ſe frequentiſſime, acceptis inde viribus, quibus in dies *æmularetur cha-*

riſ-

risinata meliora. Quæ autem alumni institutæ sodalitatis B. Virginis MARIÆ exercebant opera, horum operum nullum Ruizius prætermittebat. Observabat itidem diligenter leges Seminarii, atque meditationi rerum cœlestium, discussionique conscientiæ, & spirituali lectioni statis horis sedulam dabat operam, alacrior inde prodiens ad gymnasticas doctrinæ exercitationes, quæ reliquam diei partem occupabant.

V. Eminebat præsertim ejus ardor, cum vacabat mysticis D. Ignatii commentationibus, quæ alumnis seminarii quotannis tradebantur: quo tempore cum summum servaretur ab omnibus silentium, atque alii aliis incitamento essent ad perpendendas serio æternas veritates, nemo hac in re sollicitior Ruizio fuit, ut non adolescens (ut erat) sed maturus jam vir gravitate vitæ, & morum honestate videretur.

VI. Sane ejus modestia, atque in susceptis Theologiæ studiis constantia tanta fuit; ut præmium a præfecto Seminarii retulerit, quo nullum Ruizio gratius esse poterat. Pendebantur a singulis alumnis in victum aurei centeni (non gravis hæc ibi pensio, ubi a copia argenti vilitas pecuniæ est.) Hos aureos Ruizii patruus (mortuus fortasse jam erat pater) Seminario numerabat: at is item intempestive obiit. Quid tum faceret Ruizius? Si rediret in patriam, actum erat de Doctoris laurea, quam optabat: remanere autem Cordubæ non poterat subtracto domestico subsidio.

VII. Nodum præfectus solvit; & talis ac tantus est, ait, alumnus noster Ruizius, ut nihil non ei vel extra ordinem concedendum sit; alii æs pendunt Seminario, ut educentur instituanturque: Ruizius vel ære Seminarii retinendus nobis est. Itaque totis illis annis, qui ad absolvendum curriculum sacræ disciplinæ deerant, illum gratis aluit. Quod beneficium ita animo Ruizii hæsit, ut numquam deinde oblitus ejus sit: atque ut intelligas benefacta semper fœnus danti parere, si accipientis grata sit mens, multo plu-

plura Ruizius (cum auctus fortunis est) reddidit Seminario, quam quot istud impenderat in illo sustentando.

ELECTUS CURIO PAROCHIAM SANCTE ADMINISTRAT.

VIII. CUM jam omnia litteraria pericula rite subiisset, Doctor Theologiæ renunciatus est, & dein initiatus Sacerdotio; nec multo post cum vacasset in Saltæ finibus ruralis parochia, nomen ad eam dedit, initoque cum competitoribus scientiæ certamine, donatus illa est ætatis anno septimo & vicesimo. Jam Parochus nullam omisit gravis oneris partem, quin clientes suos meliores efficeret verbi divini pabulo, & administratione Sacramentorum. Ut autem illorum bono magis magisque consuleret, singulis annis Oratorem sacrum (Missionarium vocant) arcessebat, qui piis declamationibus insontium mentes ad officia virtutis stimularet, & a vitiis sontes deterreret, audiretque confiteri volentes: hoc enim proponebat sibi prudens Parochus in illo vocando, ut confidentiore animo eum clientes adirent, externoque conscientiæ arbitro liberius uterentur; quod utinam exemplum, ubi pauci Sacerdotes sunt, ac fortasse non alius, quam cui creditus est grex, animarum curatores crebro imitarentur.

IX. Rurarem illam Parochiam septennio rexit. Postea designatus est Saltæ Parochus, quod ille munus XXIII. annos gessit. Fuit profecto honor is major, sed majus item onus, quandoquidem in oculis nobilissimæ urbis posito omnia pro civibus, quorum maximus numerus, prospicienda ei erant. Ergo incubuit totus huc, neque interdiu noctuque versabat aliud animo, quam necui parti deesset sacri ministerii. E præcepto autem Apostoli ad Timotheum: *attende tibi, & doctrinæ: insta in illis: hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt*, unum id ursit, ut sui & suorum curam a-

geret Parochus & Theologus, contra ac quidam faciunt, qui esse malunt Parochus & Astronomus, Parochus & Geometra, Parochus & cultor assiduus profanæ antiquitatis.

X. Ruizius se se penitus dedidit doctrinæ sacræ, sive quæ de moribus, & Religione est, sive quæ ad leges & Canones pertinet, sive quæ de promovenda animi perfectione tractat. Ut vero alii eadem discerent, vel ne, quæ didicerant, obliviscerentur, Sacerdotes omnes urbanos induxit ad disceptandum inter se singulis hebdomadis de finibus bonorum & malorum pro recte explicandis quæstionibus, quibus agitur de conscientia recte moderanda. Cui litterariæ functioni Ruizius ipse præerat.

XI. Ceterum quæ hauserat e libris in usum continuo deducebat, frequens in excipiendis confessionibus, instituendisque civibus, adjuvandisque ægris humana ope pariter & divina. Nequid vero quis admitteret Christiana indignum professione, cavebat summopere, perrumpens obstantia quæque, si bonis verbis & lenitati locus non erat. Egit idem maxime, ut clientes sui Dominicis diebus pomeridiano tempore convenirent ad explicationem legis, & mysteriorum: rogandoque perpulit alterum ex urbis Consulibus, ut, dum habebatur Catechesis, ipse vias circumiret, & quos otio torpentes, aut ludo vacantes reperisset, *compelleret intrare in cœnam*, qua animus cibo cælesti pascebatur. Quod siquis abfuisset sine justa causa, eum deinde reprehendebat, vel etiam, si mancipium erat, ab hero plecti curabat.

XII. Multo tamen severior erat & vigilantior, ut Paschali præcepto fieret ab omnibus satis. Et quamvis clientium multi pro more regionis ruri longe habitarent, permittendumque eis esset, ut templo alii se sisterent pro recipiendis Sacramentis, tamen ipse per se factæ Confessionis, acceptæque Eucharistiæ cautionem sedulo exigebat, nulli parcens reo, aut moratori hac in re, quisquis ille esset inops, seu dives,

ves, plebejus seu nobilis: *dispensator* enim *fidelis* pastorque, & audiri, & esse volebat, non mercenarius, qui fugit, vel canis mutus, qui latrare non valet.

CARITAS RUIZII IN PAUPERES.

XIII. CUM brevissima ad alios instituendos via sit exemplum, clientibus suis semper præivit Ruizius exercitatione virtutum. Quotannis (tradita interim alii Parochiæ cura) in Jesuitarum collegium secedebat ad meditandas procul a turba veritates æternas, secumque illuc Sacerdotes alios, quos comiter invitarat, adducebat, sat memor homines templo dicatos salem terræ esse, & fermentum populi, talemque futuram massam, & civium mores, qualis fermenti, & sacri salis vis fuerit. Toto autem illo tempore octo, novemve dierum uni sibi, & rebus animi vacabat exclusis negotiis urbicis.

XIV. At non erat ita austerus, ut probabili recreatione sibi vel aliis interdiceret. E viris honestis admittebat domo quosdam vesperi, quibuscum jucunde & modeste sermocinaretur. Sed colloquium excipiebat dein pii alicujus libri haud longa lectio, quæ post justam remissionem corporis animum quoque reficeret. Reliquum temporis studio rerum utilium impendebat. Apparere publice, nisi sacri ministerii munus cogeret, detrectabat, abstinebatque, quoad ejus fieri poterat, divitum tectis. E contrario, pauperibus, quoquo & quoties vocaretur, præsto aderat, induerat enim vere erga illos viscera misericordiæ.

XV. In urbe orborum ædes non erat, sed erat pro orbis domus Ruizii, qui communis erat inopum pater. Siqui ad illius fores, vel pudore vel paupertate parentum instigante, exponerentur, efferebat eos ipse, & tradebat nutrici, & deinceps educare pergebat quousque id erant ætatis, & judicii, ut per se sibi possent facile consulere. Virginibus autem egenis

nis dotem dabat, ac ſecreto eleemosynam impertiebat iis, qui de ſtatu priſtino dejecti *non valebant fodere, & mendicare erubeſcebant*. Inter hujuſmodi infortunatos fuit eques quidam, qui, everſis opibus, fame pæne peribat. Hunc (ne cum rubore ab aliis ſtipem peteret) quotidie Ruizius ad menſam vocabat, ea conſtantia, ut, cum abiit Salta, quamdam nummorum ſummam reliquerit, unde illi victus præberetur.

XVI. Ejuſdem generis ſunt duo alia admodum inſignia. Jacebat fœmina miſerabilis, manuum & pedum reſolutis nervis. Huic domo receptæ attribuit cubiculum, & ſervos, qui eidem miniſtrarent. Longus morbus longam exercendæ patientiæ materiem & copiam Ruizio ſuppeditavit. Illa ſeu naturæ, ſeu valetudinis vitio moroſior erat, & querulofior, hoſpitique haud parum moleſta & gravis: tamen Ruizius omnia voravit ſibi conſtans, donec ægra fato ſuo functa gratis ſepulta eſt a Parocho, qui gratis eam aluerat. Nam facilis Ruizius hac etiam erat re, ut quos norat pro functione miniſterii difficulter ob domeſtici cenſus anguſtias decretum lege ſtipendium ſoluturos, iis libenter debitum remitteret.

XVII. Alterum memoratu dignum hoc eſt. Peperit quædam fœtum ita informem pedibus manibuſque, & medio corpore, ut non ſe puerum edidiſſe in lucem, ſed monſtrum rata ſit: abjecit illum quidem certe. Obſtetrix matre clementior eum ad Ruizii oſtium depoſuit, ut is quid facto opus eſſet ſtatueret. Ille ut jacentem vidit, hæſit parumper ferane eſſet an homo; ſed e vultu, qui perfectus erat, hominem intelligens, baptizavit, tradiditque quæſitæ nutrici.

XVIII. Quid multa? Crevit ille, & qui defectus ita erat corpore acrem atque exporrectam oſtendit mentem. Fovit ingenium Ruizius. Habebat puer binos tantum digitos, quibus calamum ſtringeret. Ruizius eo, quod dabatur, uſus, ſcribere alumnum

ſuum

ſuum docuit jam doctum antea legere. Ubi grandior fuit, inſtruxit pecunia, qua ſibi tabernam poneret. Et quidem ille vitia naturæ arte corrigens rem auxit mercimonio, ſeque & matrem (hæc ſe tandem prodidit) liberaliter & pie aluit, idque ſumma lætitia, & voluptate Ruizii, qui hunc præ aliis amavit dicens eum ſibi a Deo ſubmiſſum in puram exercitationem caritatis.

XIX. Ut vero non vivis ſolum & præſentibus conſuleret, ſed futuris etiam proſpiceret & abſentibus, ad ceteram liberalitatem illud adjecit, novam videlicet ædem & commodam ſucceſſuris Parochis ſtruxit. In hæc, atque alia hujuſmodi opera utilia redditus Sacerdotii expendebantur, mirante Ruizio ipſo, qui tot impendiis ſat eſſent, neque alium reperiente fontem, unde emanarent, quam illum, qui numquam exhauritur: *date, & dabitur vobis*.

SPIRITUALIS ELEEMOSYNA PAROCHI RUIZII.

XX. QUæ dicta ſunt hactenus ad opem ſpectant, qua ſubvenitur corpori; ſed eſt & eleemoſyna ſpiritualis pro miſeriis animi, ad quam multo magis Parochi obſtricti ex munere ſuo ſunt. Adeuntibus facilem ſe ſe mitemque præbebat Ruizius, neque umquam ulli defuit conſilio, aut re. Quod ſiquando norat aliquem pravo exemplo alios offendere, non ceſſabat, donec petram ſcandali e medio tolleret, & faceret medicinam malo. Idem componendis litibus, tollendiſque inimicitiis, reconciliandæque diſſidentium voluntati prudentem navabat operam. Ac tanta erat illius in rebus expediendis dexteritas, ut ſiquid implexi negotii occurreret, Antiſtes, Prætor, Conſules (*Alcaldes* vocant) ad eum illud devolverent, ut extricaret ſalva juſtitia, & æquitate. Hinc apud omnes magna de Ruizio opinio, qua nihil ille, ut modeſtus erat & humilis, efferebatur.

XXI.

XXI. Amici familiaresque, cum tot emineret præclaris dotibus, auctores ei erant scribendi ad sacrorum negotiorum in Aula actores ut propositis plurium jam annorum laboribus, meritisque, ipsius ad Episcopatum aliquem, aut utique Canonicatum, ratio haberetur, operamque illi suam ad justam petitionem ultro offerebant; sed id numquam Ruizio persuaserunt, qui ne quidem (quod erat longe facilius) ut opimiore alia paræcia donaretur, quicquam movit. Effugere tamen non potuit, quid & Commissarius (ut dicunt) Bullæ Cruciatæ, atque Examinator synodalis designaretur.

XXII. Per id tempus vir nobilis, & clarus Saltæ munere Vexilliferi Regii (quod maximi honoris est) Bonaventura Caravajal moriens Ruizium (tantum hujus apud eum valebat auctoritas integritasque) hæredem ex asse instituit, ut curaret domum ædificari pro fœminis, quarum pudor & honestas vel asylo, vel cancellis indigeret: cavit autem testamento, ut, si Ruizius ipse opus aliud utilius fore arbitraretur, id libere, & sine cujusquam interpellatione facere posset. Ruizius confestim admovit manum cunstruendo ædificio pro fœminis illis colligendis. Sed cum incidisset casu in librum, qui explicabat institutum sacrarum Virginum (a), quibus cura est puellæ do-

ctri-

(a) *Ordo religiosus Virginis MARIÆ pro puellarum institutione (* de la Enseñanza *id est doctrina, vocant Hispani) quem approbavit Paulus V. die VII. Aprilis an. MDCVII., ab ejus conditrice Joanna Lestonac, nobilissimo loco nata, mirifice propagatus est in Gallia Deductis post in Hispaniam sacris Coloniis, Barcinone primum collegium positum est. Ab aliis deinceps urbibus avide exceptæ sunt eædem magistræ Virgines, quæ ad Americam usque Septemtrionalem navigarunt, & navigaturæ jam jam erant etiam ad Meridialem. Sane Institutum istud cum utile admodum sit (ut constat ex fructu) provinciis omnibus, esset idem utilissimum Novi Orbis*

ctrina Christiana, & fœmineis artibus erudire, consilium mutavit, ratus id optimum Saltæ futurum, cœpitque eo strenue imcumbere, ut collegium Virginibus illis de publica educatione benemeritis in urbe conderet, rem certe perfecturus, nisi ei abeundum post illinc fuisset exilii lege, de qua mox dicemus.

RUIZII PIETAS.

XXIII. CUm probe nosset Ruizius *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse* de-

---

urbibus. Non quin matres familias domi erudire filias possint; sed distinentur curiis aliis, & plerumque in prolis, quam nimis amant, erratis plus justo connivent immodica indulgentia.

Interest autem plurimum, an puellaris disciplina publice fiat a religiosis Virginibus, quibus in banc rem Deus impertit opem singularem, an ab aliis sæpe ineptis in id muneris, quod summi momenti est pro civitate bene constituta. Virgines illæ apertis pluribus gimnasiis pro numero, atque ætate, & progressu alumnarum, bas legere, & scribere, & pie canere, & preces rite fundere, & nere, & suere, & acu pingere, & cætera, quæ propria sunt sexus debilioris, sedulo, & scite docent, & (quod caput est) puellas ornatas verecundia, & modestia, & bonis moribus (ad exemplum Virginis MARIÆ, quam ad singulos borarum pulsus salutant) ac probe item institutas doctrina Christiana, & insigni pietate præditas, domum suam remittunt, quo quid majus & melius liberis suis optare parentes queant, non video.

Atque binc liquet, quam solide consuleret Ruizius bonis Saltæ in procurando puellarum rectricibus domicilio, & sede stabili: nam si tenera Virgo a primis annis recte educata sit, vix erit deinde, quin honestatis retinens, & periculosa vitans juvenum consortia, in opus domesticum castæ solitudinis amica incumbat; immo vero quærens *ultro* lanam & linum operabitur consilio manuum suarum, & digiti ejus apprehendent fusum, & panem otiosa non comedet, & timens Deum ipsa laudabitur. (*Proverb. c. XXXI.*)

descendens a patre luminum, assiduus erat in Dei Divorumque imploranda ope. Quotidie divinam litabat hostiam, ut a præsente gratiæ omnis auctore copiosiora auxilia ad commissi sibi muneris functiones rite obeundas posceret, & acciperet. Præibat idem exemplo aliis Sacerdotibus, ut rebus sacris debitus constaret honos, & sancta sancte tractarentur. Domi autem in se ipse frequenter descendebat, ne negotiorum mole spiritus, ut fit, fatisceret, & tepesceret conceptus ardor virtutum. Indiarum Apostolum S. Franciscum Xaverium singulari obsequio semper prosecutus est. Annis triginta festum ejus diem sollemni pompa suis impensis agi curavit, & cum novemdiales ad Divum preces sub initium mensis Martii quotannis funderentur, majori tum cærimonia totos novem dies sacrificabat, largitus omnia, quæ ad aram opus erant.

XXIV. Neque iis contentus, cum fines Saltæ barbarorum incursionibus obnoxii essent concursando, rogandoque persuasit Senatui populoque Saltensi, ut Xaverium adsciscerent alterum urbis Patronum (primi sunt Ss. Philippus & Jacobus Apostoli) indicta sacra quiete III. Nonas Decemb. qui dies Divo devotus est, & addita urbanorum ordinum, Religiosorumque virorum publica supplicatione. A Cœtu etiam militari obtinuit, ut eumdem sibi præsidem ad bellicas expeditiones advocarent. Nec defuit Xaverius novorum clientium votis: repressa est grassatorum, impune prius quoquoversus volitantium, effrenis audacia, & siquando in aciem descensum est, auspiciis Divi ducis victoria a pio agmine stetit.

XXV. Verum major Ruizii in MARIAM Dei matrem fiducia & amor. Delegerat eam sibi patronam jam inde a teneris annis, tum maxime cum in Seminario Monserratensi sub ejus tutela & fide graviora litterarum studia inchoavit absolvitque. Patriæ jam Parochus obsequia & cultum in eamdem magnam Matrem auxit, capta a templo, cui præerat, occasione. Diximus in vita Emmanuelis de Vergara, quam

ſit eximia Saltenſium religio in ſacram effigiem VIRGINIS A MIRACULO. Ruizius, ut pios civium motus magis magiſque ſtimularet, popoſcit ſupplex per litteras, impetravitque a Clemente Papa XIII. pro admiſſa peccata deteſtantibus plenam remiſſionem in tribus illis diebus, quibus medio menſe Septembri cultu exquiſitiore, & publica ſupplicatione pœnitentium, ad *Refugium peccatorum* tota civitas confugit.

XXVI. Nihil præterea omittens, quo ſalutaris animorum motus augeretur, revocabat clientibus in memoriam, quanti beneficii debitores eſſent cœlorum Reginæ, cujus ope ſtetit olim Salta nutabunda, cum Eſteci (quæ eodem illo die tota ſubſidit) ſuperſit quidem nomen, urbs non ſuperſit omnibus extinctis civibus, *quos aperto ore ſuo terra abſorbuit cum domibus, & tabernaculis, & univerſa ſubſtantia eorum* (a).

XXVII. Nec verbis ſolum (quod facile eſt) ſed factis cives hortabatur. Anniverſarii tridui præcipuum diem celebrabat de ſuo. Quin & illud egit, ut ſingulis totius anni tertiis feriis (fortaſſe fuit tertia feria dies illa horrendi terræ motus, quod ſupputare nunc non vacat e temporum tabulis) in gratiarum actionem Sacrum ſollemne fieret. Cum vero in hanc rem neceſſariæ eſſent impenſæ ad cereos, & cetera, omnia liberaliter præbuit, dum præſens fuit; & ne, ipſo abſente, pia functio intermitteretur, curavit, ut in id operis dis eques vectigal inſtitueret.

SOCIETATEM PETIT.

XXVIII. Jam vero MARIA Virgo ſtudioſum adeo ſui cultus clientem remunerata eſt beneficio, quod Ruizius omnium maximum exiſtimavit. Die illo, quem e ſacro triduo diximus ſibi deligere conſueſſe Ruizium

(a) *Deuter. c. XI. v. 6. de Dathanis atque Abironis ruina.*

zium pro ſupplicanda intentius VIRGINE A MIRACULO, cum oraret in templo, ſenſit ſe ad majoris perfectionis deſiderium incitari, quo magis & Deo, & Dei Matri placeret: tum viſus eſt ſibi intus in animo audire: da nomen Societati JESU. Ipſe quidem eam e cœlo miſſam vocem credidit, domumque rediens (ut moram non patitur ardens voluntas) illico ad præfectum Jeſuitarum litteras dedit, quibus annumerari Sociis poſtulabat.

XXIX. Præfectus, quod tanta jam ætate Ruizius eſſet, conſulendum cenſuit Præpoſitum Generalem, quid opus facto foret. Reſpondit Generalis, illum admitteret, quandoquidem ſacris miniſteriis ſtatim ab obito tirocinio vacare poterat. Moderator igitur provinciæ reſcripſit Ruizio, iret Deo auctore & duce in novitiorum domum Cordubenſem. Hæ litteræ redditæ Ruizio ſunt vertente illo ipſo die feſto VIRGINIS A MIRACULO (abierat enim jam annus, cum tam longe a Paraguayca provincia diſtet Roma) id quod tamquam a Patrona ſua conſulto & amanter factum non potuit non eſſe gratiſſimum pio clienti.

XXX. Is epiſtolam illam diu multumque expectatam a moderatore vix legit, cum, templi, & domus ſuæ compoſitis rebus, Cordubam (celata profectionis cauſa, nequis civium impedimenti quicquam ex amore & benevolentia injiceret) abiit, ibique omnibus rite cum Epiſcopo tranſactis, poſt abdicationem Parochiæ ingreſſus eſt tirocinium XI. Kal. Decemb. an. MDCCLVIII. (qui dies ſiſtenti ſe ſe MARIÆ Virgini in templum ſacer eſt) deducente illum Antiſtite ipſo Il. D. Petro Michaele de Argandona, qui coram Jeſuitis in ſacellum domeſticum coactis gravem orationem habuit de meritis & laudibus Ruizii, non ſine maximo rubore novi tironis, qui de ſe ipſe aliter ſentiebat.

XXXI. Dum autem deliciis ſanctis affluens canebat illud Regis Pſaltis: *hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*, magnus Saltæ

rumor erat, & magna civium admiratio secum reputantium, hominem id ætatis, post tot annos recte prudenterque administratæ opimæ & nobilis Parochiæ, repente & commodis, & celebritati nominis renunciasse, & quidem eo tempore, quo fama societatis ubique terrarum probris omnibus proscindebatur. Profecto si novum Ruizii consilium solis momentis humanæ rationis ponderes, vix probaris, nedum a Virgine illi inspiratum credideris. Quid enim? optabat propriæ proximorumque saluti, & perfectioni (qui erat finis societatis) studere? at id agebat Parochus tanto clientium bono. Quorsum ergo appetita religiosi secessus claustra præ finibus amplæ parœciæ?

XXXII. Equidem rem hanc eo unice referri posse puto, quod, cum prospere, & virgula, ut ajunt, divina semper Ruizio cuncta processissent, pro singulari munere datum eidem e cœlo sit, ut acerbis casibus extremo vitæ actu exerceretur, quo majorem sibi meritorum copiam accumularet, magisque splenderet *tamquam aurum in fornace*. Accidit quippe Ruizio, quod dictum est optimo Tobiæ: *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te* (a). Sed quæcumque hujus rei fuerit causa, quam scrutari nobis non licet, Ruizius senex (agebat annos LVIII.) inter pueros tirones cœpit quodammodo repuerascere, & *sine dolo lac concupiscere*.

XXXIII. Alacrem se se stitit & impigrum ad omnia quæ fert secum religiosa disciplina, & imperabat magister. Ut autem ceteris tironibus maturitate judicii antecellebat, ita erat eisdem modestior, & ferventior, humiliorque, & silentii observantior, studiosiorque verrendæ domus, sternendique triclinii, & cohibendi crebro cruciatu corporis, excolendique animi assidua exercitatione virtutum. Ad hæc, promptus illi quidem semper spiritus, etsi nonnumquam caro

(a) *Tobiæ c. XII. v. 13.*

caro infirma; ad manum enim erat tentatori fratrum, quo eum intus verſaret. Objiciebat præteritos honores, cum lateret nunc unus e multis; commoda abs ſe ſtructæ ædis, cum nunc anguſte habitaret; arctum & tenuem victum pro largo & copioſo.

XXXIV. Tanta hæc rerum mutatio dura erat veteri homini, ſed ſtabat contra homo novus, & Crucem libens portabat, quam ſponte ſua ſuſceperat, ut JESUM CRUCIFIXUM ſequeretur. Abſoluto jam biennio tirocinii e more Societatis, religioſa vota nuncupavit, & bonis, quæ, quamdiu tiro erat, diſtrahi non poterant, abdicans ſe ſe addixit piis illa operibus, libros autem, quibus uſus fuerat, dono dedit collegio Saltenſi, neque ſibi quicquam ſervavit, reliquam deinceps vitam vere pauper victurus.

XXXV. Obedientiæ cultor eximius, nec majorum voluntati ſuam prævertit, & nihil, quod præceptum ei fuerit, renuit facere præter rem unam, de qua mox dicemus. Juſſus eſt primo ad collegium ire S. Michaelis Tucumanici, & operarium ſacrum ibi agere; quod ad munus (ut in tractandis animis expertus jam pridem erat) pro virili incubuit. Inde (cum prætor provinciæ eum apud ſe vellet, urgentique obſiſti non poſſet) miſſus Saltam eſt, renitente plurimum ipſo Ruizio, atque obſecrante, ne redderetur patriæ; ſed vel in minimum omnium collegium detruderetur. At incaſſum fuſæ preces. Paruit, in prætoriam urbem venit, factuſque cunctis ſpectaculum, concionando, confeſſiones audiendo, & pia ægris ſubſidia miniſtrando, civium ſuorum, qui ejus Parochi caritatem, atque zelum meminerant procurabat ſanctitatem perfectionemque.

AMANDATUR IN EUROPAM.

XXXVI. ECce autem repente ab opere ceſſandum fuit. Indicta Saltenſibus Jeſuitis lex exilii eſt

III. Nonas mensis Augusti an. MDCCLXVII. In hoc Ruizium tempus reservarat Deus, constrinxeratque vinclis religiosis, ut qui, *cum erat junior, cingebat se, & ibat quo volebat, senex ferretur, quo non volebat*. Nihil tristius & gravius accidere ei poterat tanto Societatis casu, tantaque ignominia. Adiisset ille quidem *VIRGINEM A MIRACULO*, robur, & constantiam, & lenimen mœroris imploraturus; sed occupato armatis collegio, efferre domo pedem nulli licuit: commeatu autem propere curato, postridie in vehiculum, quo Bonasauras veheretur, impositus est.

XXXVII. Iter ab Salta ad urbem, quam modo diximus, CCC. leucarum est. Hoc iter confecit Ruizius ætatis anno sexto & sexagesimo inclusus vehiculo, quod interdiu currus erat, quo agebatur, noctu cubiculum, ubi dormiebat, nam in desertis illis locis hospitia non sunt. Quo autem Ruizii, & comitum patientia magis exerceretur, accessit inter eumdum res intolerabilis. Nihil aliud Sociis permissum fuerat efferre e colegio, quam aliquot pios libros, vestesque necessarias, quæ arculis includebantur, & lectum, qui stratus erat in medio curru.

XXXVIII. Prætor (nomini parcimus, tantum dicimus eumdem illum esse, qui tanto studio & precibus importunis ad se Ruizium vocarat: velificabatur scilicet tempori & auræ vir instabilis, ut vel hinc noris quantum voluntati hominum fidendum sit) Prætor, inquam, cum jam multorum dierum iter processissent, jussit excuti omnia, quæ Jesuitæ secum ferebant. Stant vehicula: exscendunt illi, receduntque in vicinam casam stramento tectam. Missi lictores, depositis humi arculis, pallia, indusia, tibialia, cetera explicant, & susque deque vertunt, siquid scriptæ manu chartæ (nam id præsertim quærebatur) lateat. Ubi multis inspectantibus cuncta palam exposita sunt, atque iterum clausa, Jesuitæ in vehiculum quisque suum se se rursus recipiunt. Quæsitores redeunt

deunt ad prætorem, qui in propinqua urbe erat. Huic illi diligentiam ſuam non probarunt; præcipitque denuo, ut de nocte, ubi jam ſe Socii ad ſomnum compoſuiſſent, veſtes, quibus interdiu utebantur, arripiant, arreptaſque pertentent, & ſinus explorent omnes. Sic Aulico præcepto, quo jubebatur Jeſuitas exules urbane & benigne haberi, bonus prætor paruit. Sed res illa erat jam paulo irreligioſior: ideo cautum eſt e voluntate Epiſcopi (is dudum e vita exceſſit) ut adderetur profanis miniſtris Sacerdos, qui, dum inquiſitioni iſti dabatur opera, adeſſet coram. Dictum, factum: ſuperveniunt improviſi: lictor veſtes decumbentium excutit.

XXXIX. Quid autem tanto molimine inventum tandem eſt? Præter pios libros, qui vel Rege ipſo jubente dari debebant, nonnulli etiam reperti nummi, quos Hiſpani quidam in privatum uſum Sociis largiti benigne fuerant. Sed (dicendum enim quod verum eſt) ne as quidem, vel teruntius, ad prætorem, opinor, rediit, quod lictores, pro diurno nocturnoque labore, reperta ſibi forſan retinuerint: quamvis ſanctius, meo quidem judicio, feciſſent, ſi rem reliquiſſent iis, quibus data erat. Neque Rex Catholicus vetuit pecuniam in viæ uſum Jeſuitis ſuppeditari: immo vero diſerte in mandatis ſecretis ad magiſtratus, qui eos comprehenſuri erant, poſuit, ut præfectis collegiorum ſumma quædam (& ſat magna) nummorum præberetur, qua (præter impenſas viæ & victus, quæ publice fiebant) præfecti ipſi ſuorum neceſſitati & commodis arbitratu ſuo conſulerent.

XL. Ceterum quæ acta ſunt a prætore nequaquam ſcrupuloſo, non potuerunt non eſſe moleſta & aſpera tum Ruizio, tum comitibus. Ille a viæ laboribus, & animi ægritudine, Boniſauris incidit in morbum, quem lethalem ratus, ſe ſe ad vitæ exitum comparavit totius ante actæ ætatis confeſſione, tantis facta lacrimis ſingultibuſque, ut vel extra cubiculum, ubi jacebat, exaudirentur. Remiſit tamen vis mali,

paratiſque jam rebus ad navigandum debili etiam tum corpore *Smaragdum* navigium conſcendit pridie Nonas Majas an. MDCCLXVIII.

MORITUR.

XLI. IN Oceani trajectione cœpit principio melius habere: Sed dein ob incommoda (quæ multa ſunt) longæ navigationis redintegrato morbo, iterum ſibi viſus eſt mori. Sic exercebat, purgabatque Ruizium Deus, & Ruizius purganti, exercentique Deo ſe ſe ſancte ſubmittebat; neque umquam ſuſcepti ſtatus, qui tot ei ærumnis conſtabat, ipſum pœnituit; quin etiam quod ſui, & rerum ſuarum, & honoris, & famæ ſacrificium ſemel obtulerat, perrexit deinceps ſæpe renovare inſtauratis votis religioſis.

XLII. Addo huc rem levem, quæ tamen, quam ſibi nihil indulgeret, abunde monſtrat. Dum erat in tirocinio, tironum magiſter eum ſibi ſocium Officii divini recitandi aſſumpſit. Is veſpertinas preces reddebat hora Ruizio incommodiſſima. Accidit, ut Rector collegii, ab eo quæreret, ſatiſne valeret? Valeo equidem reſpondit; ſed valetudini meæ ea magiſtri hora pro ſacro penſo parum apta eſt (ob calorem, credo, qui per æſtatem maximus Cordubæ eſt, quouſque Sol propius occaſum vergit). Tum Rector: monebo, inquit, magiſtrum de hac re. Contra Ruizius, ſi me amas, ait, ne, quæſo, id feceris: iſtud enim moleſtiæ pro expiatione erit mearum olim noxarum in pſallendo.

XLIII. De reliquo, illa Ruizii vox erat inter terreſtria itinera, maritimaſque ærumnas, ut didicimus ab uno ſuorum comitum: *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſit nomen Domini benedictum*: extremo autem proſtratus morbo iterabat ſæpe: *fiat in me voluntas Dei mei*. Semel dumtaxat, cum in tantis jaceret malis, & tot undique rerum anguſtiis premeretur ſine ullo hominum ſolatio, coram familiari ſuo

ali-

aliquot protulit verba, quibus id ſibi dolere ſignificavit: ſed mox indicati doloris pœnitens vocari ad ſe juſſit familiarem illum ſuum, veniamque ab eo petiit, quod querela animi parum patientis ipſi fuiſſet ſcandalo.

XLIV. Finis jam ſit. In portu S. MARIÆ morti proximus iterum confeſſus eſt totius errata vitæ, & divino Viatico, & ſacra unctione munitus animam Deo reddidit an. MDCCLXVIII. pridie Idus Septembres, in pervigilio nimirum *B. VIRGINIS A MIRACULO*, cujus feſtum diem adeo pie celebrarat toties, & ab aliis celebrari curarat: perinde ac Deipara clientem ſuum eo maxime die habere ſecum vellet. Natus erat annos LXVIII., quorum X. circiter in Societate JESU vixit.



JOANNES ANGELUS
AMILAGA
ET ANTONIUS DEL CASTILLO
LAICI.

DE Joanne Angelo Amilaga, & Antonio Caſtillio vere illud poſſis dicere: qui alterutrum norit, ambos norit, ita illi patria regione, vitæ ſtudiis, rerum uſu, & virtutibus, & pietate ſimiles inter ſe fuerunt. Uterque Cantaber, uterque morum gravitate inſignis, maturo uterque judicio, uterque in ſuſceptæ vitæ propoſito ſive per proſpera, ſive per adverſa, conſtans. Ob id eos hic conjungendos duximus, ut quos officiorum par ſors & ratio vinxit, ſcriptio noſtra non ſeparet, quamvis non idem utrique mortis annus fuerit.

EO-

EORUM PATRIA ET ADOLESCENTIA.

I. NAtus eſt Amilaga poſtridie Kal. Octob. anno MDCC. in Cantabriæ oppido Aramayona. Debuit natali diei, qui ſacer eſt Sanctis Angelis, ut Angelus vocaretur, fauſto quidem omine, utpote qui auſpiciis, & præſidio cœleſtium Spirituum caſte & pie victurus erat. Caſtillio in lucem edito IV. Kal. Novemb. an. MDCCII. patria fuit Cantabricum item municipium nobile Durango.

II. Ambo orti ſunt parentibus honeſtis, qui & domeſticis exemplis, & præſtantis Ludimagiſtri ſtudio & diligentia inſtitui eos pie liberaliterque curarunt: uterque autem cum polleret mente acri, prima litterarum elementa probe arripuit, ac pulchre ſcribendi, ſupputandique numerorum calculos excelluit dein arte.

III. Hæc, opinor, cauſa fuit, cur ambo (cum e Cantabria in Americam frequentes comeent naves commercio deſtinatæ) Novum Orbem cogitarint, rati, neque id falſo, fortunis ſe ſe illic ſuis melius conſulturos, ut conſuluerunt olim, perguntque nunc ſibi conſulere Indico mercimonio plurimi opulenti e Cantabris inſtitores. Quippe facile admodum eſt ingenuo adoleſcenti, qui probatis ſit moribus, bonaque ad ſcribendum manu, & (quod caput eſt) Deum timeat, ametque, decoris ſimul retinens, honeſtæque famæ, facile, inquam, ejuſmodi adoleſcenti eſt, patronum aliquem munificum, & cum patrono rem & lucrum reperire inter tot ſive Mexiceas, ſive Peruvicas divitias.

IV. An una illuc ambo navigarint, neſcio; illud ſcio eodem ferme tempore utrumque appuliſſe in flumen Argenteum, cum (ut licet conjectare) ætas illis eſſet duodeviginti circiter annorum. Amilaga reſtitit Boniſauris celebri emporio apud civem divitem, cui apprime carus, & utilis fuit. Caſtillius petendas

ſibi

sibi opes ratus ab ipso opum fonte, e monte videlicet Potosino, qui Europæis vile (*a*), ut ita dixerim, argentum reddidit, eo, relicta urbe ceteroquin locuplete, se se contulit.

V. Castillius positus jam prope immensas montis inexhausti gazas, merito sperare poterat (qua erat sollertia in honeste sibi conciliandis hominum voluntatibus) brevi se auctum iri rerum copia & commodis. Verum, ut crescentem sequitur cura pecuniam, majorumque fames, (*b*) & fames hæc, dirusque hydrops non sine plurimis vitiorum periculis animum occupant, voluit a tanto errore Castillium eximere divina Sapientia. Quocirca adolescenti pio, deditoque virtutum exercitationi, eam inspiravit e cœlo senten-

---

(a) *De vilitate argenti in Europa post repertum Novum Orbem, & Potosii venas, ita graviter, & eleganter disserit Il. Antistes Antonius Maria Gratianus: ,, divitiæ, ait, quæ hinc (*ex America*) in Hispaniam ,, Europamque cum publice Regi, tum privatis aliis advehuntur, credi vix possunt. Tantum auri argentique ,, importatum est, ut & duplicata inde pretia rerum sint, ,, & domestica suppellex, vestisque & vasa aurea argenteaque ad quotidianos mensæ usus, antea unis regibus ,, principibusque, ac ne his quidem omnibus, adhiberi solita, nunc in privatorum domibus ita conspiciantur, ,, ut coquinæ quoque instrumenta argentea habere nos non ,, puleat: & novus quærendus Orbis, in visceraque ejus ,, eundum fuerit, ut effoderetur, ac per tanta maris terræque spatia asportaretur, quo nobis dapes argento ,, inferrentur, & vasa lavandis pedibus argentea fierent. ,, Saltem habendi libidinem minuisset copia. At nunquam ,, avaritia flagrantior ,, creverunt opes & opum furiosa libido ,, (Ovid. I. Fast.) Sic pecuniæ nobis simul ,, copia, simul cupiditas addita est. Ex quo constat, non ,, auro argentoque nos, sed auri argentique contemptu divites fieri.,, Hæc ille (*de Scriptis invita Minerva* tom. I. lib. V. ubi alia pulcherrima de Novo Orbe habet).*

(b) *Horat. lib. III. Od. XI.*

tentiam: *mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia; melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.* (a)

PETUNT AMBO SOCIETATEM PRIMAQUE EORUM MUNIA.

VI. Divinum illud oraculum meditanti Castillio sub fœtas argento Potosii montis radices orta est salutaris rerum humanarum despicientia, neglectoque lucri studio immortales sibi opes, veramque justitiam unice quærendas duxit. Neque alia Bonisauris immissa a Deo mens Amilagæ est, quem etiam cœpit tædium mercaturæ, partique ab ea quæstus. Itaque cum & ille Jesuitis Potosinis, & hic Bonaurensibus se se morum integritate probasset, cooptatus uterque est in societatem. Castillius Cordubam petiit natus annos XXIII, & vestem religiosam induit XIV. Kal. Januarias an. MDCCXXV. Amilaga autem eodem se se contulit, tironibusque adnumeratus est septimo & vicesimo ætatis anno, XIII. Kalend. Martias anno MDCCXXVII.

VII. Quod vero tirocinium in Societate duraret biennio, tirones isti inter se Cordubæ norunt, & amarunt, alterque alterius exemplo pie incensus est, incubuitque ad virtutes proprias humilis laicorum status, quem ambo amplecti voluerunt, tametsi in utroque sat esset ingenii, quo, si litteris studerent, haud pœnitendos fructus facerent, præsertim Castillius, quem omnes semper existimarunt singulari vi mentis præditum.

VIII. Exacto rite tirocinio, sacrisque votis nuncupatis, præfectus provinciæ, cum nosset, quanta in utroque esset pietas ac religio, præter elegantem scribendi modum, artemque arithmeticam, jussit ambos (ante-

(a) *Proverb. c. VIII. vv.* 18. 19.

(alterum alibi) Ludimagiſtrum agere. Hoc illi munus alacriter ſubierunt, conſcii quantum prodeſſe poſſent animis puerorum (quorum e recta inſtitutione totum reipublicæ bonum pendet) non ſolum legere ipſos & ſcribere docendo, ſed etiam (ut fit in molli cera) fingendo ſenſim eorumdem mores.

IX. Dubites porro uter hac in re diligentior fuerit. Ferebant ambo patientia inſigni faſtidia puerilia, teneroſque alumnos, quacumque quibant induſtria, ad diſcendum alliciebant. Curabant vero maxime, nequod vitium (quod facile eſt, niſi vigil magiſter ſit) illis adhæreſceret. Explicabant iiſdem doctrinæ Chriſtianæ capita, inſtituebantque inſuper omnes ad ſancte obeundum ſingulis menſibus Pœnitentiæ Sacramentum, vel etiam ad petendum divinæ Euchariſtiæ panem, cum jam ejus erant capaces judicio Sacerdotum. Cavebant præterea nequis deeſſet Sacrificio Miſſæ, cui quotidie cuncti ſimul intererant laudabili modeſtia. His rebus factum eſt, ut e diſciplina Amilagæ & Caſtillii plures in hiſpanicis illis præturis prodierint egregii diſcipuli, quorum alii in clauſtra religioſa ſeceſſerunt, alii Clerici urbani fuerunt pii probique.

X. Poſtquam munus hoc aliquot annis cum laude geſſerunt, juſſus uterque eſt (datis in ludum puerorum idoneis ſucceſſoribus) cura fungi rei collegiorum temporariæ. Amilaga deſignatus eſt procurator domus Tucumanicæ in urbe S. Michaelis, Caſtillius domus Cordubenſis, quæ totius provinciæ maxima erat: quibus in collegiis plurimos vixerunt annos ad legem uſque exilii.

CURAT UTERQUE PIE ET SOLLICITE RES COLLEGIORUM.

XI. MOdus in procuratorio munere in ambobus fuit, ut ſedulam daret operam pro ſe quiſque in tuenda re familiari, cavendoque nequid detrimenti paterentur prædia, unde pendebat victus Sociorum; qua

in

in re ſpirituale civium bonum adjuvabant; Sacerdotes enim, cum ſine ulla ipſorum ſollicitudine omnia eis neceſſaria præberentur, expeditius vacare poterant ſacris miniſteriis, quorum bona pars ad procuratores ipſos Amilagam & Caſtillium perveniebat largitate donorum omnium præbitoris Dei, qui non modo opus factum, ſed meram etiam faciundi operis (quod quis nequit facere) voluntatem remuneratur; juſtiſſime enim ſuis olim militibus Rex David denunciavit: *æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident.* (a)

XII. Igitur quæcumque honeſte deſiderare vir religioſus poteſt, ſingulis juſſu Rectorum ſuppeditabant Amilaga & Caſtillius, nequid ſibi quis a civibus petere cogeretur, idque diſciplinæ domeſticæ bono maximo: nam accepta ab externis ſunt inſtar viſci, quo illigatæ aves humi repunt, nec celum verſus volare jam valent libere. Soli procuratores ipſi Amilaga & Caſtillius pejus aliis habebant, ſibi enim deteriora reſervabant, utebanturque veſte pauperrima, & viliſſima cubiculi ſuppellectile; quod de Amilaga (quem numquam vidimus) alieno dicimus teſtimonio; de Caſtillio autem nos ipſi teſtes ſumus, qui cum eo plures annos egimus: cella enim ejus amictuſque ſanctam paupertatem penitus ſpirabant.

XIII. Nihil ambo de fortunis collegii ſine præfecti venia diſponebant, parati ad illius nutum quidquid juſſiſſet facere. Iter ingreſſurus adit olim Sacerdos quidam Caſtillium, & da mihi, ait, ephippia in viam. Non poſſum, reſpondit modeſte: nam tibi vehiculum paratum eſt, & iter ad urbem in quam mitteris, lene prorſus & planum eſt: voluntas autem præfecti, & mos eſt, ut ephippia ſolum dentur ituro per loca montana. Atqui, addit Sacerdos, etiam ipſe ad minuendum vehiculi faſtidium uti potero equo ali-
quo

(a) I. Regg. c. XXX. v. 24.

quo eorum, quos in usus suos secum ferunt servi vehicularii, ob idque ephippia peto. Poteris quidem interdum equitare, inquit Castillius, sed res hæc ad commoditatem tuam erit: collegii vero procurator solum consulit necessitati; atque in hac illa responsione constanter perstitit.

XIV. Commoditati certe suæ non studebat Castillius, quippe qui durus in se se ne sindones quidem ad lectum adhibebat. Amilaga autem, quibus utebatur, ea sibi tamquam mendico a Rectore præbita reputabat: & observatum est a quodam scripsisse eum ad tergum Bullæ Cruciate (singulas singulis Sociis acceperat præfectus pro gratiis spiritualibus ibi a Pontifice Max. large concessis) *Hæc Bulla mihi a P. Rectore data est in Eleemosynam*. Ita ille assueverat spiritu veræ paupertatis accipere veluti stipem, quæ e re communi ad eum proveniebant. Par paupertati in Amilaga humilitas. Cum ad sacrum fontem donatus fuisset nomine *JOANNIS ANGELI* atque Joannes Angelus ab aliis appellaretur, ipse mittendis litteris *Joannes Amilaga* tantum subscribebat, quasi indignus esset *ANGELI* cognomento, tametsi Angelos imitari contenderet puritate vitæ, & morum innocentia. Malebat scilicet Angelus esse, quam dici.

XV. Quod vacuum erat temporis a munere procuratorio, & opere domestico, uterque aversatus otium, precibus dabat, & piæ lectioni, & meditationi rerum cœlestium. Deus autem, quem quærebant in silentio & spe, rebus eorum curæ commissis dexter aderat, augebatque bona, quæ tractabant (idque vel si ambo inopibus multa largirentur e Superiorum præscripto) ob divinam illam promissionem: *quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*.

XVI. Humiles, modesti, alieni a civium consuetudine, nisi siquando munus quod gerebant, adire eos cogeret, affabiles omnibus, obsequiosi erga Sacerdotes, simplices, candidi, alieni ab aliorum dictis,

factis-

factisve carpendis, laboris amantes, pii, benigni, quieti, verborum parci, his dotibus domesticorum sibi animos conciliabant. Iidem cum fœminis, si negotii alicujus causa, quæ ad illos pertineret, ad collegii januam vocarentur, circumspectissimi, se seque ab eis quam primum expediebant.

XVII. Quid multis opus est? Quales voluit laicos S. Ignatius, scriptis pro ipsorum statu regulis, talis fuit Castillius in collegio Cordubensi, & in Tucumanico Amilaga: atque huic quidem minus laboris minore in domo, & plus temporis erat, quam Castillio domus maximæ curis occupatissimo, ad res spirituales. Rosarium ille B. MARIÆ ita paulatim, attenteque recitabat, ut contubernales dicerent, Amilagæ satis non esse solidum diem ad unum Rosarium absolvendum: at erat profecto satis; quin immo sacris illis precibus alia addebat pia opera, quibus (cum nihil pro munere procuratorio agendum erat) vacabat in templo.

PRUDENTER ET BENIGNE AMBO SERVOS TRACTANT.

XVIII. Quæ hactenus diximus, vix quicquam negotii exhibebant Amilagæ & Castillio præ onere alio tædii pleno & molestissimo. Usus est in præturis Monsvideana, Bonaurensi, Paraguayca, & Tucumanica (ut de aliis Americæ provinciis taceam) cives, equites, & Religiosas familias, & Clericos, atque adeo Episcopos ipsos, pro famulis domi Æthiopas alere (a). Mancipia sunt, & mancipia nusquam non (etsi illorum multa bona sint) fastidii plurimum

(a) *De mancipiis in America, eorumque servitute, habet multa scitu digna Cyriacus Morelli, qui diu in Paraguaya vixit. (Rudimenta Juris Nat. & Gent. lib. II. disput. IV.)*

rimum heris faceſſunt, vetuſque proverbium fuit; *totidem eſſe hoſtes, quot ſervos*.

XIX. Plato, magnus ille Philoſophus, agens *in Republica* de mancipiis graviter ait: *difficilis homini eſt hominis poſſeſſio*. Domus, ſupellex, ager, res pecuaria, ceteræ civium fortunæ, ut pro voto ipſorum non ſint, nec reſiſtunt, nec poſſunt, hero, mancipia vero & poſſunt reſiſtere, & volunt, herique vitæ audent aliquando inſidiari. Quid fiet igitur? Recte, inquit, educentur; nulla contumelia afficiantur, nulla injuria; tractentur benigne, ſed benignitati admiſceatur gravitas, quæ omnem cum eis jocum nugaſque excludat; aliter, ſumunt ſpiritus, & inſoleſcunt, & laſciviunt. Siquid peccent, plectantur intra modum, ſi recte agunt, habeantur liberaliter. Hæc doctus Plato, qui videtur quodammodo expreſſiſſe mores in mancipia Amilagæ, & Caſtillii, ut mox conſtabit.

XX. Servorum collegii cura temporaria (pro rebus ſpiritualibus aſſignabatur unus e Sacerdotibus) pertinebat ad procuratorem; is illis laborem dividebat, dabatque veſtes & victum, & domos providebat in ſepto procul poſito ab æde religioſa. Quod ſiquis eorum quicquam peccarat, ipſius erat plectere, & efficere item, ut rectus ordo in illorum ſeparato hoſpitio ſervaretur, omneſque quiete & caſte viverent.

XXI. Ceterum, magnus cum eſſet Nigritarum numerus, haud deerant, qui ſupplicium ſæpe mererentur; & procurator reum corrigere & coercere debebat: hinc moleſtiæ plurimum, & facilis ira: nam ut apud ſis, cum alius alia de cauſa cupidum quietis interpellat, & irritat, neceſſe prorſus eſt, ut felle careas & bili, cujus expertes Amilaga & Caſtillius (horum enim cauſa huc recidimus) videbantur. Convictum de noxa accipi moderatis plagis jubebant, tam tranquillo vultu animoque, quam ſi nulla offenſionis cauſa interveniſſet: puniebant enim ſontes, ut ſolet liberos pater, cujus animadverſio, & ſupplicium, amor eſt. Quæ illorum lenitas, additis conſiliis de

meliore fruge in posterum, ipsis mancipiis utrumque venerabilem efficiebat.

XXII. Implerunt scilicet Amilaga & Castillius usu ipso præceptum Hispani Senecæ de servis: *colant potius te, quam timeant*. „ At enim servi illi sunt, heˮ rus ego. Esto. Servi sunt? ait, immo homines. „ Servi sunt? immo contubernales. Servi sunt? im„ mo humiles amici. Servi sunt? immo conservi. “ (*a*) Quod quidem monitum de sorte conservitii altiore philosophia Doctor gentium dedit heris Christianis, quos æquos & mites in servos esse jubet, *scientes*, inquit, *quia & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud eum* (*b*).

XXIII. Diximus paulo ante Nigritarum numerum magnum fuisse, idque erat ferme necessarium. Inibant matrimonia Æthiopes inter se, & proles in dies crescebat, retinendaque & alenda omnino erat. Nam ut Religiosis viris sacrata lege fundos & bona stabilia distrahere non licet, ita collegiorum Rectoribus, severe vetitum erat, nequem servum (utpote partem domestici census) venderent, nisi quis adeo pervicax, atque insanabilis esset, ut tentata nequicquam correctione, duriori alicui hero, qui eum domaret, mancipandus foret. Eo autem fiebat, ut vernarum examen sensim subolesceret. Fac a conditore collegii sena manciporum paria relicta fuisse: e senis istis alia atque alia nascentur deinceps. Certe fœminæ quædam vividiores, robustique viri longum post se nepotum, & pronepotum gregem relinquunt. Ut vero conjugia Æthiopum adeo fœcunda non sint, genus tamen illi continuant, & augent.

XXIV. Verum hæc ratio multiplicatæ servorum stirpis dispar est in heris sæcularibus. Etenim si, cum multi fratres sunt, ercíscere singuli familiam velint, di-

(a) *Epistola XLVII.*
(b) *Ad Ephes. c. VI. v. 9.*

divisa mancipia sequuntur alia alium, & decessio fit a principe domo. In collegiis (idem est in ceteris Religiosorum virorum ædibus) perpetuo manebat crescens propago, & adolescebat. Arguet hinc fortasse aliquis e tot mancipiis auctum vehementer iri sacrorum hominum opes. Id rerum Americanarum inexpertus quispiam dixerit, expertus non dixerit. Nam e centenis fere Nigritis vix tantumdem exsculpes, quam e strenua opera denum in Europa famulorum.

XXV. Mediocri autem labori accedunt impensæ in illis vestiendis nutriendisque, & pretium medicinarum, cum ægrotant, & curatio funeris, cum vita excedunt. Tum pueri puellæque, qui nihil agunt, induendi pariter pascendique sunt cum patribus matribusque. Fœminarum vero pensum levissimum est, ex eoque haud multo amplius coges, quam quantum eisdem, si honeste illas tegas, & benigne cibes, suppeditandum est. Immo (res pæne incredibilis) in tanto tot mancipiorum grege conduci mercede solent in prædia liberi aliquot hibridæ, quod iis in curando armento industria major sit & ardor.

XXVI. Generatim dici potest de mancipiis, quod de fœminis dixit Philosophus nescio quis: *malum necessarium*. Erat sane qui diceret in Paraguaya: *mal con ellos, y peor sin ellos*, id est, male cum ipsis; sine ipsis, pejus: male si servos Æthiopes habes, habes enim domi rem multis obnoxiam curis; pejus, si non habes; nam aut servitio omni carebis, aut si soli serviant mercenarii, magno id tibi stabit pretio.

AMILAGÆ ET CASTILLII CURA PRO PRÆDIIS ET MUSICA.

XXVII. IDem, quod de mancipiis, Europæorum error est de prædiis, quæ Religiosis familiis sunt in regione illa Paraguayca. Magna quidem prædia, adde etiam multa, sed nec multus, nec magnus e præ-

diis fructus, cum plus agri ſit, quam coli poſſit; ideoque vaſta pars terræ deſes, & rudis vacat. Accommodari huc poteſt pulchra illa Virgilii ſententia: *laudato ingentia rura... exiguum colito*. Accidit nimirum in re campeſtri, quod in maritima: ſi navis ſit juſto minor cunarum inſtar, ad navigandum inutilis eſt; ſi juſto major inſtar montis, regi non poteſt; ob idque oportet in ea fabricanda medium teneri: ſic ager, ſi minimus fuerit, te non alet, ſi maximus ſine meta, curari non poterit.

XXVIII. Videas in Paraguaya honeſtos cives, & aliquot Religioſi ordinis ſacros cœtus magnorum poſſeſſores camporum, qui ob tenuem, quem illinc efferunt, fructum ægre vitam tolerant: videas etiam immenſos terrarum tractus, quorum qui ſint domini neſcias, nuſquam enim apparent humani cultus veſtigia. Ea autem ipſa, quæ certis limitibus ad certos pertinent, ita coli jubet herus, ut cum quoddam agri pinguius ſolum ad meſſem pro familiæ uſu deſtinarit, cetera permittat armentis, quæ tamquam rari nantes in gurgite vaſto ſpatioſiſſime hac illac vagantur.

XXIX. Hac cauſa tam ampli latique ruris, mos Jeſuitis erat aſſignare e prædio ſuo quibuſdam mancipiorum patribusfamilias certa terræ jugera, quæ ſibi illi colerent, ut (præter cetera, quæ communiter ſingulis dabantur ad victum) e ſato legumine, & melopeponibus, & aliis, quæ mallent, liberis & uxori copioſius conſulerent, & ſiquid ſupererat, etiam venderent reſervato pretio in peculium. Ex iis autem (ſimul cum veſte data ipſi ſuo tempore, ac magna bubulæ portione in dies diviſa, nonnulliſque munuſculis, quæ interdum procurator collegii benemerentibus elargiebatur) ex iis, inquam, qui bonum erat mancipium commode vivebat & læte, malebatque ſervitutem ſervire apud Amilagam & Caſtillium, quam libertate donari: fuiſſe vero hujuſmodi aliquot Jeſuitarum mancipia notiſſimum eſt Hiſpanis civibus.

XXX.

XXX. Vixi ego diu in nobilium adoleſcentium Seminario Cordubenſi cum P. Ladislao Orozio, ejus præfecto, viro prudente. Is prædia (*Caroya* illis nomen) attributa Seminario ab illuſtri illius conditore Ignatio Duarte, quæ optima quondam fuerant, deſerere cogitabat, atque alia emere (feciſſetque utique niſi impedimenta quædam orta fuiſſent pro adeunda poſſeſſione agri, quem optabat.) Cauſa deſtituendi multarum leucarum fundi una hæc, quod ita illac creverat ſpinoſior & inutilis ſilva; aqua vero, quæ olim perennis, ſatiſque erat ad verſandas piſtrini molas, ſic ſenſim aruerat, ut ſitiens armentum humoris deſiderio longe aberraret, ſe ſeque indueret ſpiſſis dumis, unde extrahi vix poterat; quocirca magna alioquin poſſeſſio vix reddebat, quo mancipia ſuſtentarentur.

XXXI. Cordubæ item Tucumanorum habebant Jeſuitæ prædium (*Altagratia* nomine) ita amplum, & tot inſtructum ſervis, ut, ſi tantumdem frugis, & pecoris efferret, quantum in Hiſpania, Italiaque multis partibus minor terræ modus parere hero cogitur, illud unum prædium ſatis ſuperque fuiſſet ad alendos centum circiter Socios partim ſtudioſos litterarum, partim magiſtros (nam erat ibi Academia pro tota provincia) qui in collegio degebant: & tamen ſi paulo malignior propter cœli intemperiem fuerat meſſis, & fœtura armenti, neque illud ipſum, neque alia ſimul prædia ſufficiebant opem neceſſariam victui Sociorum. Ultimus quidem collegii Rector Petrus Joannes Andreu, qui procuratore utebatur Antonio Caſtillio, dequo hic ſcribimus, magnam pecuniæ ſummam accepit mutuam a Templi Decano, ſive Præpoſito V. Cl. D. Joſepho Garay. Ita cum prædiis ingentibus dives domus non erat.

XXXII. Ex iis, quæ antea poſuimus de agris, verniſque ſervitiis, facile intelliges difficultatem muneris procuratorii Amilagæ & Caſtillii, quibus & prædiis providendum erat, & gens illa mancipiorum gu-

bernanda, atque continenda intra honeſtatis, & Chriſtianæ virtutis officia. Pars virorum (fœminarum enim labor omnis in ſuo illo ſepto concludebatur) ruri opus exercebat, pars domeſticis muniis vacabat: erat ex illis alius faber ferrarius, alius faber lignarius, alius cæmentarius, alius tonſor, alius ſutor, alius ſartor, alius piſtor, alius aliud: qui enim opificia hæc in mediterraneis urbibus provinciæ Paraguaycæ pretio agat, vix ullus eſt. E collegiis autem, quandoquidem induſtria ſollertium laicorum inſtituti fuerant artibus utilibus peculiares ſervi, horum opera a civibus plerumque petebatur.

XXXIII. Muſica urbibus in illis alia non erat quam e Jeſuitarum mancipiis. Jerant in provinciam ab Europa Sacerdotes aliqui ea arte præſtantes, qui & Indos in oppidis, & in collegii Nigritas canere, & ſonoris uti inſtrumentis docuerunt. Sed nemo hac re illuſtrior fuit, nec plura egit, quam Dominicus Zipoli, Romanus quondam muſicus, cujus harmonia numeris omnibus abſoluta nihil dulcius elaboratiuſque fieri poteſt. Verum dum alios atque alios ad templum concentus (qui inde uſque a principe urbe Americæ Meridialis Lima per immenſa viarum intervalla miſſo tabellario petiti ab eo ſunt) componit, & ſimul navat operam ſtudiis litterarum gravioribus, his immortuus eſt, magno ſui relicto deſiderio: & quidem qui e Zipolianis modis aliquid ſemel audiit, vix ei quicquam aliud arridet, perinde ac edenti mel ſiquid cibi aliunde ingeras, grave eſt, nec ſapit. Obiit ille Cordubæ Tucumanorum an. MDCCXXV. ejus extant opera.

XXXIV. Jam vero, nigros cum audis muſicos, nolim tibi mente fingas tetrum aliquod obſcurumque os & guttur: tam liquida illis vox eſt, quam nobis, & canunt ad notas, & tubis, & fidibus, & tibiis rite utuntur, & dextre pulſant organa pneumatica. Amilagæ & Caſtillii ceterorumque procuratorum munus erat, ut neceſſaria ad artem muſicis iſtis ſuppeterent,

ferent, eosque vestirent cultius aliis mancipiis, ipsi enim ad templi sollemnia canebant, neque umquam e sacro solio Christus Dominus publice proponebatur, quin toto, quo patebat Numen, tempore, canoris instrumentis populi pietatem excitarent, idque in illis etiam quadraginta omnino horis, quæ triduo ante majora jejunia celebrari consueverant: succedebant enim alii aliis musici (saltem Cordubæ, ubi eorum major erat numerus, nam in aliis collegiis, quid tum fieret haud satis scio, cum nusquam alibi piæ illi functioni interfuerim).

XXXV. Cum autem (uti supra dictum est) alia non esset in urbibus musica, Musici Jesuitici e collegiis ad templum maximum, & ad ædes Religiosorum virorum (si celebrior dies agebatur) & ad pompas civicas, si Regis vita functi exequiæ fierent, aut Successori ad regnum fidelitatem & obsequium magistratus publice profiteretur, (quod Hispani vocant la JURA DEL REY) ibant illi gratis, & sine ulla mercede. At de servis Paraguaycis sat dictum est, ut quivis per se ipse nosse possit, quanta prudentia, atque animi æquitate pollerent Amilaga & Castillius procuratores, qui se se recte erga illos gessere.

QUÆDAM PROPRIA AMILAGÆ.

XXXVI. Quoniam ea, quæ utrique communia fuerunt, jam scripsimus, addemus nunc privata quædam de Amilaga. Nihil propius affuit, quam ut bis a barbaris occideretur. Jerat in prædium e collegio Tucumanico, & quod illic dies aliquot moraturus esset, rude tentorium statuit seorsum a casis mancipiorum, ne inter fœminas versaretur. Accidit autem ut (cum inclusus pomeridiano tempore vacaret piæ lectioni libri optimi, cui titulus est: *discrimen inter temporaria, & æterna*) excitaretur a prætereunte equite, qui magna voce clama-

vit: adſunt, Joannes, barbari, cave: id ipſum alius atque alius effuſo curſu fugiens vociferatus eſt.

XXXVII. Perculſus Amilaga ferali nuncio in vicinum dumetum latendi cauſa ſe proripit, manu una ferream ferens fiſtulam, altera Roſarium B. MARIÆ, idque recte, opitulaturus enim homini Deus ab eo poſcit viciſſim, ut & orationi inſtet, qua auxilium e cœlo advocet, & operam ponat, quam poteſt, hoc quippe pertinet *ad prudentiam ſerpentis*, quæ ne occidatur, tota obſiſtit vi corporis, illud vero *ad ſimplicitatem columbæ*, quæ ſe ſe ab accipitre tuetur, aſylum quærens, & herilis domus præſidium.

XXXVIII. Latuit igitur illic Amilaga, commendans ſe ſe enixe Matri Virgini; actum enim erat de eo, ſi barbari ſenſiſſent: & quidem timuit vehementer, ne proderetur a cane, qui ipſum ſecutus fuerat; ſed factum bene; non latravit, interea dum graſſatores illi debacchati ſunt & prædati quidquid coram fuit, & libuit. Amilaga, dilapſis jam Indis, revertit incolumis in urbem. Nuſquam per id tempus in provincia quies & pax erat (ut docuimus in vita Petri Joannis Andreu) a Tobis, & Abiponibus, Mocoviiſque.

XXXIX. Anno MDCCXLVI. deſcenderat Amilaga (neſcio cujus rei cauſa) ex urbe S. Michaelis Bonaſauras. Ut ſe ſe præſenti cura expediit, iter ad Cordubam (qua ei tranſeundum erat neceſſario) ingreſſus rurſum eſt comite nobiliſſimo cive Cordubenſi Joſepho Galarza. Cum tenerent jam Pampas (ſunt hæ immenſa deſerti campi planities plurium dierum) irruit repente in vehicula, quibus Galarza, & Amilaga, aliique vehebantur, globus barbarorum. (*a*) Ad horum inconditos clamores conſtitit animus Amilagæ, & Galarzæ. Is e fiſtulis ferreis, quas ſecum ex urbe extulerat, unam arripit, exploditque. Ami-

(*a*) *Hoc factum narrat Pet. Franc. Xav. Charlevoix lib. XXI. Hiſtor. Paraguaycæ.*

Amilaga ſtans a tergo vacuam fiſtulam capit, & plenam aliam porrigit, atque ita deinceps alias atque alias accipit, oppletaſque propere pulvere nitrato, & pila, reddit Galarzæ continua verberatione in armatum hoſtem jaculanti. Illi, ubi intellexere rem ſibi eſſe cum ſtrenuis viris, ceſſerunt tandem, capto uno Galarzæ ipſius mancipio, & occiſo altero Hiſpano adoleſcente. Reliquus comitatus, qui ceteroqui totus periiſſet cum ſarcinis, vitam debuit virtuti Galarzæ, & Amilagæ ſedulitati. Atque hic licuit cognoſcere, quantum ſit hominibus auxilii in animi firmitate, & conſtantia.

XL. Id verum eſt. Sed ſervatum tunc Amilagam equidem potius retulerim in oraculum illud divinum: *vir obediens loquetur victorias*, ex obedientia enim iter iſtud ſuſceperat, & ſive domi, ſive foris eſſet, præfectorum volebat auſpiciis ductuque regi. En tibi hujus rei aliquot exempla. Dabat operam ædificando novo collegii templo. Ventum erat ad tholum, & cogitabat Amilaga mediam teſtudinem altius attollere ex artis regulis: Rector humiliorem voluit, & ille ſtatim ab incepto deſtitit.

XLI. In ſilvis Tucumanicis abundat optima materia Cedrorum, aliarumque arborum indigenarum ad quodvis artificium. Pro truncis ſecandis in aſſeres poſita fuerat officina in collegii prædio. Machina (rotis libratis, agitatiſque aſſiduo impulſu aquæ illuc per incile derivatæ) grandem ducebat ſerram ſcabro tactu mordentem applicitos ſibi ſtipites. Id magno compendio fiebat, ſupplebatque multarum operarum manus laboremque. Animadvertit, obſervato motu, Amilaga impediri aliquantulum ſerræ caput a depreſſo tecto, ne vim ſuam omnem exereret: quapropter elevare contignationem decreverat. Obſtitit huic conſilio iterum Rector, ac bonus ille obedientiæ cultor, nihil contra reniſus, confeſtim paruit.

XLII. Alias, cum pro ſecundis menſis emiſſet ſiccatos agri fructus, collegii præfectus (cui vix uſus

ha-

harum erat rerum) ratus eſt Amilagam ſpopondiſſe pretium juſto minus, intendique illud juſſit. Amilaga, qui longa experientia norat, quid juſte peti, quid æque dari poſſet, tacuit, atque e Superioris voluntate duplo fere majus pretium, quam quanti merx erat, ſolvit, volens potius largus eſſe in venditorem (cui Rectoris ſancta ſimplicitas lucro fuit) quam parcus in religioſæ ſubmiſſionis virtutem.

XLIII. In hunc modum adminiſtravit annis plurimis bona collegii. Extremo tempore juſſus eſt, dimiſſo procuratorio munere, promumcondum agere, & triclinium ſternere, & inſtruere: quæ bina ille munia alacriter ſubiit, eoque libentius, quod majus eſſet otium ad vacandum rebus ſpiritualibus, & ad orandum, prout faciebat ille ſæpe ante aram divinæ Euchariſtiæ.

XLIV. Caritate in pauperes fuit inſignis. Comparabat ſibi e montibus Tucumanicis radices herbaſque ſalubres (harum illic ingens copia eſt) quas indigentibus civibus in notos morbos divideret. Verum ejus erga alios amor eximie eminuit in ſuſcepta cura Sebaſtiani Biaderis. Erat is laicus commota mente, & aliquando irritatis plus ſolito humoribus etiam furebat. Hujus tædia & iras mira lenitate ſuſtinuit devoravitque miris Amilaga: & res quidem diuturnior fuit, viginti enim amplius annis ille plane deſipuit.

XLV. Erat his rebus intentus Amilaga, cum indicta eſt exilii lex, quam ille patienter pertulit, ut cetera toleratu aſpera, nihil de quodam queſtus. Sed de Biadere (cujus modo facta mentio eſt) & Amilagam, & Rectorem Collegii Joſephum Sanchez Murcianum, alioſque Socios vehemens angor inceſſit, quid illi fieret, timebant enim, ne, denunciato exilio, inſaniret ſupra modum. Spectabat, ſecundum teſtatam Regis voluntatem, ad eum, qui Jeſuitas comprehendit, religioſam aliquam domum quærere, qua miſer ille, & ſui impotens detineretur. At (ut

non

non ſemel diximus) qui regium decretum in Paraguayca provincia executi ſunt (ſi quoſdam excipias) ſcrupuloſi non fuerunt.

XLVI. Biaderi paratus eſt currus e majoribus (ſic voco quos Hiſpani appellant *Carretones*) quibus veluti parva in domo & commeatus, & veſtes, & lectus, & alia portantur. Habent illi a parte poſtica oſtium, quod poteſt ſera claudi: lumen accipit feneſtella temonem verſus poſita. Hujuſmodi curru includendus erat Biader. Sed quis eum cogeret ad parvam ſcalam, qua in illum aſcenditur? Cum jam iter inſtaret, it Amilaga (ſeu quiſpiam alius) ad Biaderem, & vehiculum ſcande, ait, tibi enim, & nobis, abeundum hinc eſt in Italiam. Ille cur? inquit. Quia id Rex jubet. Mirum dictu! Si Rex jubet, ait Biader, eamus, ex eoque tempore tractabilis fuit.

XLVII. Ex itinere ſubſtiterunt Socii Tucumanici in villa nobilis, & gravis Sacerdotis, Doctoris Theologi Joſephi Ignatii Villaſane (quem honoris cauſa nomino) dum regius Æconomus neceſſaria pararet in viam longiſſimam, quæ reſtabat Bonaſauras uſque. Erat ibi templum: litabatur a Sociis, & Biader (inſanus nuper) cœpit aſſiſtere rei divinæ (cujus functionis incapax fuerat vicennio) & ultro miniſtrare ad aram non uni dumtaxat Sacro Miſſæ in diem, ſed pluribus. Rediit ipſi etiam mens & animus ad uſum Sacramenti Pœnitentiæ, & cœleſtis cibi, quibus toto illo tempore caruerat, utpote accipiendo ineptus. Quo autem ſit factum modo, ut tanta repente converſione læſi cerebri maſſa corrigeretur, explicanto phyſici: ego id unum dico, legem exilii, quæ multis amittendæ mentis occaſio fuit, Biaderi fuiſſe cauſam ejus recuperandæ, ſaltem ad tempus, nam aliquando vacillavit poſtea, ſed numquam ita graviter ac prius. Obiit Ravennæ XV. Kal. Jun. an. MDCCLXXVIII.

QUÆ-

QUÆDAM CASTILII PROPRIA.

XLVIII. Castillio nullum vitæ discrimen par fuit illis, quæ accidisse Amilagæ diximus, nisi forsan illud adierit jens in urbem Assumptionis, atque inde Cordubam rediens. Circumcursant Paraguayum flumen Indi piratæ, quos & Lusitani & Hispani admodum infestos experti olim sunt. Scaphis monoxylis, iisdemque pernicissimis volitant ultro citroque, atque ex insidiis præternavigantes adoriuntur noctu maxime; visis autem interdiu nihil eis ferme noceri potest; saltu enim se se in fluvium proripiunt, & subtus aquam piscium instar tutum ab ictu locum longe petunt, vel etiam utuntur cymbis ipsis pro clypeo, facile quippe eas invertunt, tectique infra latent, quousque præsenti functi periculo, illas iterum supinas statuunt, vacuantque protinus ab haustis undis.

XLIX. Ab his piratis occisi sunt an. MDCCXV. P. Josephus Augustinus Arce, & Bartholomæus Blende, qui ad novum iter aperiendum in Chiquitos ibant: an. autem MDCCXVIII. ab eisdem oppressi interiere P. Blasius de Silva, & Josephus Mazo cum triginta neophytis. Id vero dictum sit de priscis Payaguais (hoc illis nomen) nam eorum soboles paulo mitior facta est, postquam tribum istam sub jugum misit Raphael de Moneda Prætor Paraguaycus, cui parem prætorem regio illa non habuit; Lusitani quoque fregerunt illorum spiritus armato lembo, quem bellicum vocant, ad tuendam amnicam navigationem in Cuyabam, & Matogrossum fœcunda auri, & adamantum loca. Fuit qui paucis ante annis, cum jam e provincia Jesuitæ exacti fuerant, Payaguas istos miris laudibus extulerit, commendaritque docile blandumque eorumdem ingenium. Utinam tales sint. Unum dico prudentis esse diffidere genti sine lege, sine rege, sine vindice, donec susceptis sacris Chri-

stia-

ftianis (hæc enim felicitatis publicæ privatæque origo est) homines fiant, & culturæ patientes. Meræ laudes neminis naturam mutant (*a*).

L. Ceterum Castillii princeps virtus fuit æquitas animi. Erat ille certe humilis, modestus, amans paupertatis, & silentii, & mortificationis. Erat idem deditus rebus spiritualibus, & laboris appetens; sed dotes ejus propius inspicientem nihil tam movebat quam tranquilla & serena mens ubicumque locorum, & quibusvis in actionibus, adeo ut senex quidam, qui multos novit rerum temporariarum procuratores, nobis affirmarit, pacatiorem atque æquabiliorem Castillio se quidem vidisse neminem. Collegium Cordubense, cum esset omnium maximum, constabat centum circiter Sociis, ut supra dictum est. Hinc plurima (quandoquidem quæ vir religiosus desiderare honeste potest omnia omnibus communiter præbebantur) Castillio providenda erant, præter rationes, quas de prædiorum redditibus exigere debebat, præterque tabulas, quas accurate conficiebat accepti & expensi; tamen si illum adires, aut obvium salutares, eam præseferebat & vultu & verbis quietem animi, ut nihil illum agere, altoque frui otio crederes.

LI. Sane nemo erit neu Sacerdotum, neu Scholasticorum, neu laicorum, neu ipsorum etiam mancipiorum, a quibus sæpe conveniendus erat, quin se comiter exceptum a Castillio dixerit, quacumque eum hora adierit, & quavis de re interpellarit: narramus id, quod nos ipsi experti sumus. Hanc animi æquitatem hauriebat ille a consortio sermonis Domini. Qui statis horis (ut moris erat) circuibat cubicula

(a) *Ill. D. Josephus de Peralta Episcopus Bonaurensis Ord. Pred. an.* 1743. *monuit per litteras Philippum V. de damnis, quæ Indi Payaguaiæ inferebant diœcesi suæ, ut Rex ipse malo mederetur. Reddit Peraltæ litteras Gallus Charlevoix inter monumenta hist. Paraguay.*

cula obſervaturus, an omnes juſſæ meditationi, & diſcuſſioni vacarent, Caſtillium ſemper reperiebat innixum humi, intentumque piis illis animi exercitationibus, re omni alia intermiſſa, relictiſque interim curis, & ſervis, quibus (ut ita dicam) denunciabat illud magni Abrahami: *expectate hic cum aſino, & poſtquam adoraverimus revertemur ad vos* (*a*). Quæ quidem eſſe debet regula ſacrati Deo viri.

LII. Eo procuratore vir quidam gravis (cujus conſulto nomen reticemus) litem collegio movit de parte prædii, quæ illius prædio finitima erat. Inſtrumenta, metæ limitum (qui in illa terrarum vaſtitate a fluviis, ventorumque plagis, & collibus petuntur) & poſſeſſio ſtabant a collegio, cui demum, diſcuſſo jure, a Senatu Chuquiſacenſi adjudicata eſt. Dum lis pendebat, adeundus erat audienduſque ſæpe Caſtillio adverſarius, qui vincendi amore, multa illi (ut fit) & de lite, & extra litem amare objiciebat. Caſtillius ſibi conſtans, quæ nihil ad cauſam pro non dictis mira manſuetudine & patientia præteribat; atque ego ad tot querelas, & lamenta iſta tua, ajebat, hoc unum repono, partem illam prædii ſine dubio collegii eſſe, id teſtes, id tabulæ, id limites, id ratio evincunt. Poſtea, tametſi judicio cecidit rivalis ille, in gratiam cum Jeſuitis, quibus tam modeſtus procurator erat, rediit, eoſque fecit magni.

AMILAGA ET CASTILLIUS DEPORTATI IN EUROPAM PIE MORIUNTUR.

LIII. Conjungimus iterum Amilagam, & Caſtillium, quod in eamdem navim impoſiti ſint, ut e Paraguaya ejecti Oceanum trajicerent. Agebat jam Caſtillius annos ætatis LXV., cum ei nova, & inopina


(a) *Genes. c. XXII. v. 5.*

pina rerum tristissimarum species supervenit, indicta exilii lege. De primis incommodis, quæ illi ac nobis communia fuerunt, & de nimia severitate Tribuni, qui Cordubenses Jesuitas comprehendit, nihil attinet dicere. Postquam, parato ad iter commeatu, jussi sumus e triclinio, ubi detinebamur, carros conscendere, qui nos Bonasauras deveherent, Castillius Cordubæ restitit, ut siquid in tabulis rationum, aut in cernendis prædiis, difficultatis occurreret, ipse, utpote rerum expertus, nodum solveret.

LIV. Functus eo officio venit Bonasauras, & cum CLII. Sociis deductus est in navigium *Smaragdos*, quod sublatis ancoris navigare cœpit e portu Monsvideano pridie Nonas Maj. an. MDCCLXVIII., quo tempore jam nos Gades perveneramus. Accidit seni Castillio, ut navim ascendens in prædurum lignum impingeret crus, & læderet, qua e re tota trium mensium navigatione doluit. Chirurgus certis horis eum adiens, ut vulneri mederetur, vix tenebat lacrimis, reperiebat enim Castillium, positis ad manum libris spiritualibus, nunc uni, nunc alii vacantem tanta oris tranquillitate, ac si non de suo, sed de alieno malo ageretur.

LV. Amilagæ vicissim haud benignior ibi sors fuit e fluenti sensim alvo, quæ dysenteria tres illum menses in Oceani trajectu positos comitata est, eoque fuit istud genus morbi gravius seni pudicissimo, quod navarchus aliquanto durior jusserit (id quidem non fecit in navigio nostro Gabriel Guerra vir humanissimus) ne laici irent ad interiores latrinas, sed ad publicas, quæ propalam erant. Appulerunt tandem in sinum Gaditanum XI. Kal. Septemb. ejus anni MDCCLXVIII. e navi delatus est æger Amilaga ad hospitium, quod habuerant Jesuitæ in urbe S. MARIÆ. Ibi duos dumtaxat menses vitam extendit fractus enim navigationis ærumnis, & pertinaci ventris profluvio, ut pie vixerat, pie obiit post accepta singulari religione Sacramenta VI. Kal. Novembr.

LVI. Castillio mœrenti tam cari capitis morte navigandum denuo fuit in Italiam, venitque Faventiam, ubi pars major Sociorum Paraguaycorum constiteramus. Hic cum perrexisset vitam honestissimam, & plenam virtutibus vivere inter assiduos corporis dolores, naturæ demum cessit XIV. Kal. Majas anno MDCCLXXIV. Mors illum a respirandi difficultate, qua laborabat, repentina oppressit, sed non improvisa: nihil quippe ille aliud egerat, quam ad extremum se se exitum comparare. Atque is finis fuit Joannis Angeli Amilagæ, & Antonii Castillii, qui ita similes inter se fuerunt, ut anima una gemino in corpore habitare videretur,



STEPHANUS PALLOZZIUS

SACERDOS.

UTinam Sacerdotes omnes, qui Religionis propagandæ causa navigant in Americam, tales essent, quales ii sunt, quos sanctus juxta atque elegans Paulus Segnerius maximopere commendat. Mittit Vetus, inquit, Orbis in Orbem Novum viros summæ pietatis, summique ingenii, & doctrinæ quos divinæ zelus gloriæ, & salus animarum stimulant, ut, relicta Europa, & commodis domesticis, parentibusque, & amicis, per innumerabilia vitæ discrimina Oceanum trajiciant solo desiderio mansuefaciendi feros homines barbarosque, qui illis sunt pro pretiosis margaritis, quarum piscandarum cupiditate tot alii inhiantes lucro ad freta & littora priscis ignota Cosmographis decurrunt. Et quidem pium istud alienæ felicitatis studium, & sacer fidei ardor eorum instar, ait, prodigiorum est, quibus JESUCHRISTI lex, & EVAN-

GE-

GELIUM, nascente Ecclesia, promulgari cœperunt (a).

Hæc ille. Et vero quis putet sine divinæ opis factum miraculo, Antonium Vieyram (ut de aliis taceam) cum tota in Europa sublimissimi ingenii, exquisitæque eruditionis (prout ejus tot volumina supra modum acuta testantur) portentum quoddam haberetur, eximiosque sibi honores, & famam peperisset, voluisse cuncta iterum atque iterum excelso animo despicere, ut rediret in Americam, nec detineri potuisse effuso plausu Aulæ Lusitanicæ (ubi Regius Orator fuit) nec Romanæ urbis celebritate, nec singulari amore Pontificis Max. Clementis X., nec purpuratorum (apud quos sæpe concionatus est) benevolo studio, nec miro favore Reginæ Svecorum (quæ tum Romæ gratia & opibus florebat) Christinæ, nec dulci commercio doctissimorum hominum, nec sacro fulgore Episcopalis Mitræ, quæ bis ultro delata ei fuit, re harum, inquam, nulla adduci se passum Vieyram, quominus ad Indos per immensos labores reverteretur, rursumque ad amnis Maranonii silvas penetraret, & in barbarorum latibulis delitesceret, se seque vivum quodammodo sepeliret, adeo ejus menti alte insederat Redemptoris hominum vox illa divina: *evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum* (b). Idque postquam mulctatus exilio fuerat, indignisque habitus modis, ac protrusus in Oceanum,

 & de-

(a) *L' Incredulo senza scusa part. II. c. 7. n.* 10. *Atque hæc quidem præstantium virorum ad Indos trajectio vel ipsos movet Hæreticos, qui moderatiores & candidiores sunt, ut erat quidem Hugo Grotius. Is præter alias laudes, quas liberaliter Jesuitis tribuit, hanc ponit:* arcta per Americam & Indiam gloria, dum feras inter gentes Philippo (erat IV. hoc nomine) imperium Christiana institutione circumdant. *Hist. lib. III. pag.* 273. *edit. Amstelod. an.* 1658.

(b) *Lucæ c. IV. vv.* 18. 19.

& devectus tamquam seditiosus & perduellis Olyssipponem, non alia mali causa, quam quod ex Regis Summique Ecclesiæ Pastoris imperio pro Indorum libertate acerrime pugnaret. Ter ille Atlanticum mare trajecit, ut suis neophytis (quorum sex linguis Catechismum scripsit) frueretur, secumque quondam ad ipsorum institutionem ex veteri hoc Orbe triginta Socios deduxit, tanto dignos præceptore & duce. Sed venio jam ad Pallozzium, qui eodem anno natus est, quo mortuus Vieyra, cui si minus parfuit, fuit certe quidem similis.

PATRIA ET STUDIA LITTERARUM PALLOZZII.

I. EA ergo laus præstantium Operariorum vineæ Domini Sabaoth, quæ *implevit terram, & extendit palmites suos usque ad mare* (a), convenit apprime Stephano Pallozzio, qui natus est Romæ e conspicua & divite familia VII. Idus Octobr. an. MDCXCVII. triennio non amplius postquam ibi supremum diem obiit transmarini ministerii laudator ille Segnerius. Fuit Pallozzius magno ingenio, magnaque virtute, atque instituendorum Indorum studio singulari. Sed, quod nusquam nisi in viro penitus spirituali videris, proprium ipsi fuit, cum esset egregie doctus & prudens, ut stultus sibi semper visus sit, nulliusque consilii & pretii, idque sincere atque ex animo professus perpetuo est, voluitque idem persuadere aliis aliter de eo sentientibus.

II. Pie liberaliterque educatus amorem sibi parentum, & magistrorum, & æqualium conciliavit ob candorem animi, & morum innocentiam. Annum jam agens undevicesimum, cum non solum declinasset vitia, quæ adhærescere solent incautis adolescentibus

(a) *Psalm. LXXIX. vv.* 10. & 12.

tibus, sed emineret etiam inter condiscipulos mentis vi vivida, & ornatiore cultu amœniorum litterarum, in locum tutum a sæculi nequam periculis recipere se se decrevit. Eæ sane erant in Pallozzio dotes, ut si studere vellet honoribus, in principe Orbis terrarum urbe, ubi suum viris eruditis præmium est & laus, facilem aditum ad sublimem aliquem dignitatis gradum reperturus foret. Verum Pallozzius neque eo anhelabat, neque se quicquam præ aliis meriturum opinabatur: atque hæc causa fuit, cur, dans Societati JESU nomen, eam sibi provinciam delegerit, ubi inter rudes Indos (quandoquidem apparere nequibat, ut sibi ipse videbatur, in urbibus illustribus) utilem operam ad Dei gloriam, & salutem animarum poneret.

III. Cur autem præcipue Paraguayam optarit, id, opinor, fuit, quod an. MDCCXV. Romam illinc venerint ad supplementum Sociorum scribendum Bartholomæus Ximenez, & Josephus Aguirre, quos in Hispaniam dein secutus est adolescens Jesuita Emmanuel Querini. Is in collegio Romano Philosophiæ per id tempus vacabat, notusque, opinor, erat Pallozzio; facile enim qui virtute pares sunt inter se noscunt, si easdem frequentent scholas. Igitur ubi certus fuit cooptatum iri se in cultores Indorum Paraguaycos, relictis domo, familiaribus, consanguineis, & magna Roma, Pallozzius (numquam cara illa pignora revisurus) iter arripuit in Bætin, quo jam procuratores, quos diximus, præcesserant.

IV. Vestem Societatis induit Nonis Octobr. an. MDCCXVI. Proximo anno ineunte navim in Americam conscendit, trajectoque Oceano Atlantico portum Bonaurensem, non sine sævissima tempestate ad ostia fluminis Argentei, tenuit. Bonisauris ab longissima navigatione cum aliquandiu quievisset, missus est Cordubam Tucumanorum, ubi collegium provinciæ maximum erat, & celebris Academia. Severiorum ibi disciplinarum cursum absolvit, si aliorum ju-

dicio ſtes, ſumma laude, ſi Stephani ipſius, nulla. Magiſtri quidem illius ingenium, quo difficillima quæque indagabat tenebatque, mirabantur, & condiſcipuli facile eidem primas deferebant: tamen novus hic Socrates id unum ſcire ajebat ſe, nihil ſe ſcire, & minimum eſſe omnium, qui litteris operam dabant. Dicam quid ei inter ipſam diſcendi contentionem acciderit.

V. Il. D. Joannes de Sarricolea Epiſcopus Tucumanicus cum diœceſin luſtraret, dignatus eſt dies octo in villa collegii Cordubenſis commorari, ut in templo, quod ibi erat, Nigritas colonoſque Hiſpanos, ſparſim (ut fit in ea regione) ruri habitantes ſacro Chriſmate confirmaret. Aderant (ut par erat) tanto hoſpiti aliquot Jeſuitæ officii cauſa, miſſuſque etiam illuc eſt Pallozzius nondum Sacerdotio initiatus, qui eidem præſto eſſet. Erat Antiſtes in primis doctus, eruditusque, ac publice Theologiam profeſſus fuerat in Limana S. Marci Academia. Igitur adoleſcentis, qui tum maxime ad ſacra ſtudia incumbebat, lætus præſentia, quidquid a divinis miniſteriis erat otii, cum eo agebat, tentabatque latens ingenium variis ſeu de ſchola, ſeu de media eruditione quæſtionibus, ad quas Pallozzius ita ſemper ſolide, appoſiteque reſpondit, ut ſuſpiceret ſapiens Sarricolea ſingulare in juvene mentis acumen multiplicemque doctrinam.

VI. Hinc Præſul optimus mirifice ex eo tempore Pallozzium dilexit, ac fortaſſe ab ejus colloquio, præſertimque modeſtia, qua gravis Antiſtes plurimum delectabatur, magis incenſus eſt ad petendum (quod jam pridem agitabat) a Clemente Papa XII., ut liceret ſibi, ſaltem ſub vitæ tempus ultimum, Societatis JESU vota profiteri, cui rei ſi Epiſcopatus impedimento eſſet, ſponte ſe ſe eo abdicaturum dicebat. Litteræ ad Pontificem Max. datæ ſunt Cordubæ IX. Kal. Decemb. an. MDCCXXX., & reſcriptum Pontificis, quo ei annuebat, ut, retento Epiſcopatu,

in

in mortis articulo vota Societatis nuncuparet, missum Roma est a C. Card. Orighi Præfecto Congregationis C. Tridentini III. Non. Decemb. an. MDCCXXXII. (*a*).

MITTITUR AD INDOS CHIQUITOS.

VII. INitiatum jam sacris ordinibus Pallozzium decreverat præfectus provinciæ magistris Academicis aggregare, doctrina enim, & vitæ sanctitate (qua sine vir doctus parvi faciendus) profuturus erat plurimum adolescentibus, qui Cordubæ instituebantur. Pallozzius contra ad Chiquitos, quæ provinciæ pars omnium maxime distat ab urbe Academica, mitti enixe petiit, impetravitque. Iter ingressus confestim est, nequid novi obicis oriretur. Sed quantumvis properarit, velocior fuit tabellarius, qui ei litteras a moderatore Jesuitarum reddidit, cum jam longissime processisset, quibus litteris jubebatur Cordubam redire, ut vel professor in Academia esset, vel provinciæ historiam scriberet.

VIII. Hæsit mæstus Pallozzius, responditque neutri se muneri aptum esse vel docendi, vel scribendi, idque quibusdam probabat rationibus (ortis ab humilitate) sed eo ordine, & ita bene digestis, ut ipsa excusatio argumento esse posset utrique illum muneri apprime aptum fore: tamen (cum Deus cultorem Chiquitorum Pallozzium vellet) permissum ei est ultra tendere (nam restiterat eo loco ubi litteras acceperat, donec responsum redderetur). Igitur voti compos devenit tandem ad optatos Indos, videturque vectem quemdam ferreum apud viarum exitus post se opposuisse, ne inde umquam ad ullum provinciæ ho-

(a) *Videsis has litteras Il. Sarricolea, & responsum Romanum in monumentis adjectis Histor. Paraguay. Charlevoixii Galli, monum. XLVIII. & XLIX.*

honorem, ſive magiſtratum egrederetur. Etenim (ut id ante tempus dicam) alias a Præpoſito Generali Societatis deſignatus eſt ad munus Secretarii Provincialis, alias electus in conſiliariorum numerum collegii maximi, ubi erat ſenatus provinciæ, alias renunciatus Rector domus Bonaurenſis: ſed ingenioſus ad ſui depreſſionem Pallozzius, tot reperit cauſas, ne ullum iſtorum munus cogeretur admittere, ut annuendum recuſanti fuerit: ita artes, quas alii adhibent, ut provehantur, adhibebat ipſe, ne proveheretur.

IX. Cum jam ſecurus animi inter Chiquitos verſaretur, juſſus eſt ad Zamucos ire, de quibus tam multa diximus in vita Joannis Meſnerii, & Ignatii Chomæ. Erat oppidum illud, dum ſtetit, tamquam campus Martius, & palæſtra, ubi luctando ſudandoque ſacri Operarii exercebantur Athletarum more ad ærumnas laboreſque, qui multi eos manebant. Nihil Pallozzium terruit, paratoque ad famem, & ſitim, & quævis vitæ pericula, nulla malorum nova ei facies obvenit. Cum oſtendiſſet illic annis aliquot quanto Indorum ſalutis amore flagraret, revocatus eſt ad Chiquitos, ut regeret Curio oppidum S. Joſephi. Id egit quadriennio: & nemo fuit in ejuſmodi munere attentior ſollicitiorque Pallozzio: quippe cui certum erat (ut eſt) Parochum non ſibi debere vivere, ſed ſuis clientibus.

X. Horis omnibus die ac nocte paratus erat excipiendis ægrorum confeſſionibus, adminiſtrandiſque ceteris Sacramentis. Inviſebat ſæpe Indos, qui diuturniore morbo detinebantur, ut eos recrearet, excitaretque ad fidem, ſpem, & caritatem, & patientiam Chriſtianam. In templo omnibus fere hebdomadæ feriis catecheſin alternis cum collega pueris puelliſque tradebat, aderatque quotidie precibus Roſarii, quæ publice recitabantur. Ad ſacrum tribunal mane frequens erat, ſiqui abſolvi culparum vinclis vellent.

XI. Dominicis feſtiſque diebus ad populum verba

ba e ſuperiore loco faciebat, atque ea pollebat arte explicandi dilucide myſteria Religionis, & alliciendi clientes ſuos ad virtutum officia, ut collegæ Jeſuitæ ad audiendum accederent, mirati cum illius dexteritatem in verſanda difficillima lingua Chiquitorum, tum vim ad ciendos pios animi motus, quibus cum ipſe intus tangeretur, facile eoſdem aliis inſpirabat.

XII. Commendabat ſuis maxime amorem in Dei matrem, qua opitulante & Deum ipſum impenſius amarent, & ſe ſe contra hominum hoſtis inſidias defenderent, & dignam cœlo vitam viverent, mortemque ſancte obirent. Idcirco B. MARIÆ feſtos dies eximio apparatu celebrabat, hortabaturque clientes, ut ad illam rite colendam ſe ſe culpis per pœnitentiam expiarent, ac deinde divino refecti cibo puros illibatoſque mores induerent.

XIII. Poſtquam S. Joſephi incolas hac diligentia quadriennium inſtituerat, juſſus eſt ad S. Raphaelis oppidum ire Curionis item muneri inſtiturus. Fuit ibi Pallozzius idem, qui in S. Joſephi fuerat, verbi divini, & Sacramentorum fidelis diſpenſator. Addidit ad alia pia opera illud etiam; ædificavit elegans atque amplum templum (Martino Schmido, de quo poſtea ſcribemus, architecto) ſatis conſcius nulla re tam Indos delectari, quam æde ſacra magnifica, atque inſtructa bonis muſicis, quos ille pariter procuravit.

XIV. Et quoniam in oppido iſto S. Raphaelis vixit dein fere ſemper Pallozzius, memoratu dignum eſt, adeo ſibi, aliiſque ſacris operariis clientium illorum animos conciliaſſe, ut Chiquitorum nulli majorem in Jeſuitas obſervantiam atque amorem præ ſe ferrent, quam Raphaelitæ, Amabant utique boni illi neophyti in oppidis omnibus Curatores ſuos, eiſque audientes dicto erant admodum; ſed tantas benevolentiæ ſignificationes oppidani alii edebant nuſquam. Siquis hoſpes eo venerat, ita effuſa gratulantium turba illum undique circumſiſtebat, ut vix ad Patrum ædem iter pateret. Id vero debebatur Pal-

lozio, qui plane ostendit ad Indorum animos captandos nihil tam valere, quam dulcem agendi modum, si cum beneficiis spiritualibus & temporariis conjunctus sit.

SOCIIS CHIQUITICIS PRÆFICITUR.

XV. BIS Sociorum præfecturam gessit, quod ille munus detrectasset ab humilitate, nisi in eo minimum esset honoris, laboris plurimum: sed ad illud acceptandum fortasse eum impulit, quod liberior expeditiorque futurus esset ad circumcursandas Indorum stationes, eorumque bona promovenda, quæ una erat Pallozzii votorum summa. Munus præfecti durabat quadriennium. Erant autem ejus partes oppida lustrare, & de rebus Sociorum cognoscere, & disciplinam religiosam urgere, & querere, an Parochi, horumque collegæ seduli essent & diligentes in obeundis sacris ministeriis, jubere item & vetare, quæ tempus & status rerum posceret (salvo semper jure Episcopi Sanctacruciani, cujus sub ditione, & imperio illa sunt templa) audire item, siquæ essent Indorum (quibus facilis ad præfectum quavis hora patebat aditus) querelæ in cultores suos, ac (si veræ & justæ) in posterum providere. Quod vero oppida inter se longe distarent, & iter fieret per deserta loca silvasque, lustratio hæc constabat præfecto maximis incommodis.

XVI. Pallozzius, qui optimus Parochus fuerat, optimus itidem præfectus fuit, nihilque omisit, quo consolaretur Socios, animaretque ad susceptos labores in regione illa a toto ferme Orbe divisa. Regendi modus illi dulcis, lenisque. Primus nomine & munere (ex Christi præcepto) erat *omnium servus*: & fuit, qui dixerit haud inepte, opus quodammodo esse actu fidei, ut quis crederet Pallozzium Superiorem aliis, cum ubique quæsitis ab studio humilitatis vilioribus muniis & rebus, & infimo loco, omnibus inferior videretur.

XVII.

XVII. Angebatur autem maxime, ſiquis admonendus corrigenduſve foret, diuque apud ſe cogitabat, quo tempore, quibus verbis, & qua ratione quemque adiret, vel ad eum ſcriberet. Neque ſi in quoquam quicquam erat, quod ei diſpliceret, aut de quo illum argueret, minus propterea eumdem amabat, iratus culpæ, non perſonæ, & ſolitus fuit dicere: *odi officium, quo cogor homini honeſto & probo gravis eſſe & moleſtus* (a) Non tacebat tamen, cum erat *tempus loquendi*, nihil quippe magis nocet recto ordini inter ſacratos viros, quam deſes & iners taciturnitas præfectorum, qui fiunt *canes muti*, ideoque inutiles tuendæ domo Dei.

XVIII. Indos amabat, ſicut liberos pater, eorumque commodis aſſidue providebat. Ut vero ſiquem ardenter diligis, quæ illius ſunt tibi uſque placent, ita Pallozzius omnia Chiquitorum probabat, mores, artes, robur, ingenium; omnia laudibus proſequebatur, omnia quæ coram erant, etſi rudia, & parva, pulchris & magnis Europæ urbibus, ipſique adeo patriæ ſuæ Romæ anteferebat. Commendabat idem ſæpe & multum oppidorum Curatoribus, ne in ipſis quidem rebus, quæ pro eorum bono fiebant (puta edificationem templi, culturam agri communis) neophytos nimium urgerent, ſed acciperent benigne, quod ſponte dabatur, ſuoque illos ire paſſu ſinerent, tantumdem enim fore ſi opus viginti diebus, quam ſi decem abſolveretur; compenſarique moram amore clientium, quos mulcet lenitas, aſperitas frangit; quam regulam Pallozzius ſemper ſecutus eſt, ob id ipſum ubique locorum Indis omnibus acceptiſſimus.

XIX. cum primo præfectus fuit, conditum eſt Chiquitorum luſtrum, neque enim adhuc cenſi publice fuerant, quandoquidem nec Prorex Limanus, nec Rex

(a) *Verba Pallozzji erant:* reniego de Oficio, que me obliga a dar peſadumbre a un hombre de bien.

Rex Catholicus id jusserant. Prætor autem S. Crucis Montanæ, cujus in finibus tractus ille terrarum est, contentus erat, quod Chiquiti bono servirent publico captis armis contra barbarorum incursiones, & essent præsidio ad tuendam urbem & agros, adversus Chiriguanos, qua de re nos supra diximus. Verum procurator generalis provinciæ Paraguaycæ Joannes Josephus Rico petiit a Rege Philippo V., ut Chiquiti eodem jure, ac Guaranii, censerentur, & par vectigal fisco penderent.

XX. Annuit æquis postulatis Rex, atque anno MDCCXLV. jussit Senatorem Curiæ Chuquisacensis Franciscum Xaverium de Palacios ire ad Chiquitos, & lustrum condere, & vectigal instituere ex mandatis, quæ ipsi transmissa in hanc rem fuerunt. Palacius, cætera doctus & prudens, parabat illuc iter anxius animo, quod nec de regionis natura, nec de Chiquitorum moribus sat cognorat.

XXI. Commodum accidit, ut cum Limam venissent nuncii de condendo isto lustro, Josephus Pardo de Figueroa, Marchio de Valumbroso ad legatum Palacium pro amicitia scriberet XVIII. Kal. Jul. an. MDCCXLVI., atque (ut erat eruditus experiensque utriusque Americæ, neque Americæ solum, sed etiam Europæ, quam studio peregrina visendi lustrarat) de quibusdam Palacium moneret, quæ usui ad demandatum munus erant ei futura. Ecce tibi exemplum litterarum.

XXII " Gratum mihi erit in primis, si omnia
" apud Chiquitos evenerint tibi e sententia, tanto-
" que major voluptas, si bene id fiat utrique, futura
" est, quanto difficilius esse arbitror condere neophi-
" torum lustrum, e quo deinceps vectigal exigatur.
" Regio illa sat nobis nota est, ut affirmem vento
" australi gigni ibi morbos, qui vulgati luem edunt
" magna Indorum strage, ita ut pagi illi non cre-
" scant, sed imminutioni potius obnoxii sint in sin-
" gulos annos. Ceterum reperies Indos ad Reli-
" gio-

„ gionis vitæque ſocialis officia rite inſtitutos, præ-
„ ſtanteſque artibus utilibus, atque armorum etiam
„ uſu. Sua ibi laus muſicæ, cujus partes omnes egre-
„ gie callent. Eorum ſaltationes neu Gallia, ſi vi-
„ deat, neu Italia faſtiditura ſit. Mutationes id ge-
„ nus in America ab unis Societatis Patribus fieri fa-
„ tendum eſt. Oppidorum elegantia, & divini cul-
„ tus ſplendor, & gens Chriſtiana primævum Eccle-
„ ſiæ fervorem referens ante oculos tibi obverſabun-
„ tur. His in Novo Orbe opibus inhiant homines
„ Apoſtolici: hæc Paraguaycorum Jeſuitarum imperii
„ ſumma eſt. Per labores maximos Eccleſiæ, & Re-
„ gi ſubdunt gentes, quæ antea belluis quam homi-
„ nibus propiores erant. Atque ex his Reſpublica
„ coaluit, quam ratio, & Religio moderantur, & e
„ qua in dies novæ Cœlitibus acceſſiones fiunt. Sa-
„ cros Operarios tibi plurimum commendo, & cer-
„ tus ſum nihil eos, quod non ſit ad majorem Dei
„ gloriam (ut Inſtituti eorum eſt) a te poſtulaturos (a). „

XXIII. His acceptis litteris multo alacrior Legatus ad Chiquitos contendit. Obviam ei proceſſit ad oppidum S. Franciſci Xaverii, quod primum eſt, præfectus Pallozzius, & poſt officia regio Cenſori debita,

---

(a) *Hæ litteræ editæ in lucem ſunt a Petro Franc. Xav. Charlevoix Gallo, lib. XXI Hiſtor. Paraguay. pag. 312. edit. latinæ. Venet. an. MDCCLXXIX. Joſephus Pardo de Figueroa, Marchio, Limanus erat Eum a ſumma eruditione, & profundo ingenio, & juſta critice laudat eruditiſſimus Benedictus Hieronimus Feyjoo ex Ord. S. Bened. qui commercium litterarum cum eo habuit. (tom. IV. theat. Critici Diſſert. VI.* De Hiſpanis Americanis. *§. VII. n. 28.) Eumdem Limanum equitem eximie commendat P. Jacobus Vanier in preſtanti opere* Prædii ruſtici. *lib. VI, cujus libri epiſodion eſt de laudibus ipſius Figueroæ quem vates ille in Gallia novit. Hac nos de Marchione Pardo Figueroa retulimus, ut conſtet quam recte Legatus Palacius ejus conſiliis ſtare potuerit.*

bita, illum in reliqua oppida deduxit. Mirabatur Palacius tantum honoris, reverentiæque ab Indis omnibus ſibi exhiberi eo nomine, quod Regis perſonam gereret. Crevit autem admiratio (poſtquam in album capita familiarum retulit) cum vidit, decreto jam vectigali annuo, non patienter tantum, ſed libenter etiam ſe ſe illi cunctos ſubmittere. Expertus eſt præſens Palacius vera eſſe, quæ abſens Figueroa monuerat. Nuſquam querelarum quicquam turbarumve fuit. Reverſus autem ille Chuquiſ cam, unde venerat, laudabat ſummopere pietatem Chiquitorum, & templorum elegantiam, & Operariorum Concordiam, & ſacros labores, bonumque & rectum ordinem oppidorum. Præſertim vero commendabat prudentiam, comitatem, generoſam indolem, & ingenium, ac religioſas virtutes præfecti Pallozzii, quicum deinde per litteras doctum & eruditum commercium inſtituit.

BONO PUBLICO CAVET.

XXIV. PRæpoſitus iterum Sociis Chiquiticis Pallozzius omnium pater (ut antea fuerat) & conſolator fuit. Præfecturæ ejus tempore miſſum eſt ad Chiquitos præſidium Hiſpanorum militum, qui una cum neophytis obſiſterent Luſitanis, ſiquid ea parte tentarent. Unde vero is tum timor? Rem totam (ut intelligas quid ageretur) explicabo brevi. Placuit ſemper Luſitanæ genti laxius habitare in America Meridiali, cujus maxima pars (ſi eos audis) ex ducta limitum linea ab Alexandro VI. Pontif. Max. an. MCDXCIII. Fideliſſimo debetur Regi. Dominicus Texeira (*a*) Bonaſauras vocat ultimam urbem imperii Luſitanici Auſtrum verſus, quo fit, ut totum Argenteum flumen Luſitanorum ſit. Liberalior fuit ille, qui anno MDCLXVIII. edidit Olyſſippone tabulam geographicam,

(a) *In vita Gomezii Freire ſenioris lib. II.*

cam, qua tabula limes divisæ Americæ per Tucumaniæ fines agebatur. Immo fuerunt Lusitani quidam, qui dicerent, Potosinum montem, id est, immensam illam argenti vim suam esse.

XXV. Dictis respondent facta. Fixerunt sedem Moxos Indos proxime. Qui Sociis Peruvicis illic præerat, scripsit comiter ad Lusitanorum ducem, nequid contra pacta regnorum fœdera, & Regum amicitiam faceret. Ille neutri se rei officere velle respondit, nec tamen loco cessit. Præfectus Jesuitarum cavens Hispano dominio, & oppidis illis sibi creditis, monuit propere per litteras Prætorem S. Crucis Montanæ, quid fieret. Prætor ducta Hispanorum manu, assumptisque auxiliaribus Moxis, Lusitanos inde depulit. At Lusitanorum invicta est constantia in America. Victi redierunt, condideruntque S. Rosæ castrum (*La Estacada* vulgo dicunt) quod ita munierunt, ut missus cum exercitu Præses Chuquiasecensis Joannes Franciscus Pestana, expertus coram sit majoribus sibi copiis, quam quantas adduxerat, opus esse ad eos oppugnandos, ob idque censuit differendam rem in tempus aliud.

XXVI. Quod ad Chiquitos attinet an. MDCCXL. Antonius Pineiro cum lecta equitum turma penetravit mense Augusto ad oppidum usque S. Raphaelis, ubi Curio erat Marcus Avendano. Is nobiles illos viros urbane accepit, rogavitque unde venissent, & quo irent per impervia loca, silvasque vix ulli mortalium visas. Pineirius afferre se, ait, litteras & munera a Prætore Cuyabensi: optare hunc, ut inter Lusitanos & Chiquitos, & Hispanos Peruvicos institueretur illac commercium, quo alteri ab alteris (æqua conditione) acciperent, darentque, quibus utrique indigerent; idque Jesuitis ipsis percommodum futurum ut sibi necessaria compararent in usus neophytorum, & pro templi supellectile, sacroque ornatu. Quæ autem via & ipsi jam facta esset, & facienda dein foret ultro citroque commeantibus, ostendebat tabula locorum accurate descripta.

XXVII. Avendanus ad hæc: neque ego munere, inquit, isto egeo, neque fieri potest, quod optas: vetitum enim est a Rege Catholico commercium inter Hispanos Brasilosque: ejus autem legi standum nobis omnino est. Pineirius videns se frustra niti, neque instando quiquam extundere, retro, unde venerat, abiit: datique ei comites e Chiquitis sunt, qui deducerent extra oppidi fines, observarentque quo porro pergeret. Abeunti reddidit Avendanus allatum munus, quod tamen recusanti obtrusit Pineirius ipse, & noluit secum illud referre. Quodnam autem fuerit munus istud Charlevoixius, qui rem narrat, non explicat. Ego in M. S. reperi fuisse pretiosam pallam Sacerdotalem (*a*), cui alia, credo, adjecta erant. Sed qualecumque donum fuerit, constat, transmissum dein esse ad Proregem Limanum Antonium Josephum de Mendoza, appetita enim & retenta *munera* ex cœlesti oraculo *excæcant oculos sapientum*, & *mutant verba justorum* (*b*): cujus divini testimonii utinam non tam multi veritatem usu frequenti comprobarent.

XXVIII. Ceterum Bartholomæus de Mora, qui tum Socios Chiquiticos regebat, scripsit ad Prætorem S. Crucis Montanæ, & ad Senatum Chuquisacensem, quæ acta fuissent. Probata ab illis res est, laudatique Socii ob navatam operam bono publico, & moniti, ut idem deinceps facerent, neque munus ullum ab ullo exterorum acciperent, providerentque nequid simile a Lusitanis in posterum tentaretur.

XXIX. Atqui idem, etsi minore apparatu, moverunt ejusdem gentis alii, cum oppidum ipsum S. Ra-

(a) *Aliquid sacri eo in munere fuisse satis innuit Charlevoixius ipse (lib. XXI.) ait enim Pineirium professum fuisse se in primis* cultorem esse S. Francisci Xaverii, cui donum consecraverat.

(b) *Deuteron. c. XVI. v.* 19.

Raphaelis curaret Pallozzius. Advenere illuc improvisi duo Lusitani pedites cum mercibus, quas ibi venderent, vel (si rejicerentur) deveherent in Peruvium. Sarcinas dorso portabant, quod fieri posse per illa immensa viarum spatia iis incredibile videbitur, qui nesciant quam Brasili patientes sint laborum, præ quibus, quos de vago Hercule fabulosa finxit antiquitas, nugæ sunt. Pallozzius bajulos illos detinuit, regredique coegit. Sed cum pergerent nihilo minus clam ire in Peruvium, studuit Pallozzius retrahi illos ab Indis Chiquitis, compellique eo reverti, unde venerant: ita sollicitus erat, nequid detrimenti res Hispana pateretur, vel quicquam fieret contra Regis edicta.

XXX. Jam vero (ut dicere institueram) cum iterum Sociorum Chiquiticorum præfecturam gessit Pallozzius, metuendum magis fuit, ne, reperta dudum via, illuc irruerent armati Lusitani. Salutatus per id tempus Rex Hispaniarum Carolus III. pro infecto irritoque haberi voluit fœdus limitum Americæ Meridialis ictum cum Lusitanis a fratre Ferdinando VI. illisque paulo post bellum indixit. Captis armis, Prorex Peruvicus Emmanuel Amat depelli jussit Lusitanos, qui ad S. Rosæ castrum consederant, remque (uti supra docuimus) demandavit Præsidi Senatus Chuquisacensis Joanni Francisco Pestanæ, cui optimo viro infausta illa expeditio immaturæ mortis occasio fuit. Cum autem e Cuyaba, & Matogrosso, ubi Lusitani vires sat firmas habent, haud difficile esset agmen duci, quod facesseret negotium Chiquitis, hac causa militaris cohors missa est, quæ fines illos tueretur.

XXXI. Habente jam stativa in oppidis præsidio Hispanorum, prospiciendum erat Pallozzio præfecto, ne vel neophiti quid turbarum excitarent, offenderentque apud milites, vel ne hi vicissim illorum simplicitate, atque facilitate, abuterentur: siqua enim oriretur rixa, ut Chiquiti animosi sunt & bello bo

nì,

ni, magnum imminebat malum Hispanis numero longe inferioribus. Utrique rei consuluit affatim Pallozzius, tantumque vigilantia, & prudentia valuit (communicatis consiliis cum militum Tribuno Didaco Martinez) ut cunctis plane satisfecerit.

XXXII. Et tum quidem plures accepit litteras a Senatus Chuquisacensis præside vel monente, vel præcipiente, quæ facto opus essent, vel de jam factis quid censeret ostendente. Hoc cum regio ministro (uti alias cum Antistite S. Crucis Montanæ, a quo, quemadmodum antea monuimus, sacrum jus petunt Chiquitici Operarii) commercium erat admodum grave Pallozzio, & ubi litterarum ab eo accederat, demittebat se quamplurimum, palamque profitebatur, idoneum se non esse, qui apposite responderet, quærebatque, qui hoc faceret suo nomine. Verum id operæ detrectabant omnes, cum scirent experimento neminem esse inter Chiquitos, qui ei aut scribendi arte præcelleret, aut melius nosset, quid pro re nata deliberandum agendumque esset.

XXXIII. Rescribebat igitur ipse, ita tamen suo diffidens judicio, ut prius ab aliis exquireret, quid sentirent, ne forte erraret. E Sociis Chiquiticis unus rem sic explicat: " pudebat me mei, ait, cum tam
" humilem, & docilem, & ab alieno pendentem
" consilio superiorem meum viderem, quasi imperi-
" tus esset ipse & ineptus rebus gerendis: exprimi
" certe satis non potest, quam facile sententiam alio-
" rum anteferret suæ. Alienissimus ab altercando erat,
" & statim ac norat alium a se aliter de re aliqua
" opinari, huic se se accommodabat, dummodo id pos-
" set salvo officio, & disciplina. " Hæc ille.

XXXIV. Defunctus jam præfectura Pallozzius in S. Raphaelis oppidum secessit; sed paulo post mitti petiit ad S. Jacobi: nova hæc erat Chiquitorum statio Paraguayum amnim versus, majorque ibi laborandi patiendique pro Dei honore materies suppetebat. At vero dum cohors Hispana in S. Raphaelis,

& S.

& S. Annæ oppidis commorabatur, opus ibi erat Pallozzii præſentia & auctoritate. Hæc certe olim valuit. Reum ab aſylo extraxerant vi milites. Res viſa eſt (ut erat) indigna Pallozzio, qui conſtanter reſtitit Tribuno id jure factum defendenti.

XXXV. Scripſit uterque ad Præſidem Curiæ Chuquiſacenſis, qui perpenſis rationibus ſtetit a Pallozzio. Ut vero vinci acerbum eſt, militari præſertim Viro, victus Tribunus doluit. Pallozzius per collegam, quem tum habebat, Joannem Meſnerium renunciari illi juſſit, non ſe rem aggreſſum, quo gravis ei & moleſtus eſſet, ſed pro munere Sacerdotali aræ ſibi & templi patrocinium ſuſceptum: atque hujus conſilii ita denuo cauſas expoſuit, ut hominem flexerit, eumdemque amiciorem ſibi reddiderit, & ſtudioſiorem Chriſtianæ pietatis: nam ex eo tempore ad Meſnerii cubiculum ibat quotidie, ut cum viro illo ſpirituali de animi rebus colloqueretur, legentemque audiret caput unum aurei libri Thomæ a Kempis; idemque deinceps frequentius, quam fecerat, ad Pœnitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramenta acceſſit: tantum prudentia, atque agendi dexteritate Pallozzius aſſecutus eſt.

ABIT E CHIQUITIS ET MORITUR.

XXXVI. DE reliquo, quos ad S. Jacobi optarat novos labores, reperit Pallozzius in S. Raphaelis oppido, & quidem multo majores, quam mente præceperat. Indicta eſt nihil tale cogitanti exilii lex. Tribunus, cui negotium hoc commiſſum fuit (erat idem ille Didacus Martinez, cujus modo meminimus) norat optime, quanti Pallozzius ab Indis fieret, ac proin exiſtimabat neminem eo aptiorem fore ad ſedandos neophytorum animos, ſiquis forte tumultus exiſteret, quoad novi Parochi oppidis paulatim præficerentur. Scripſit igitur ad Præſidem Chuquiſa-

censem e re publica futurum, si Pallozzius maneret LXX. jam annos natus. Responsum triste fuit, etiam Pallozzio abeundum.

XXXVII. Optimi senis dolor & ægritudo in relinquendis neophytis par fuit tenero amori, quo eos prosequebatur. Maluisset ille millies mori, quam inde avelli; opusque fuit probata tot annorum virtute nequid indecorum aut diceret, aut faceret; præsertim quod Indi eo abeunte tanta tristitiæ signa ediderunt, quanta pro nullo alio (quamvis omnium discessum ægerrime tulerint), quippe lacrimis, singultibus, suspiriisque oppidum & vicinos agros implerunt.

XXXVIII. Quot autem incommoda ærumnasque homo id ætatis passus sit ex ipsa viarum longitudine, & natura licet intelligere. Ex oppido S. Raphaelis, unde egressus est, ad oppidum S. Francisci Xaverii, qua illi transeundum erat, leucæ sunt LII. A S. Xaverii ad primam Hispanorum urbem S. Crucis Montanæ LX. Inde ad Cochabambæ nobile municipium C. A Cochabamba ad urbem Oruro XXX. Ab Oruro per asperrimos Peruvii montes ad Aricam XC. Hinc fit, ut seni Pallozzio conficiendæ fuerint terrestri itinere CCCXXXII. leucæ, labore immani, muliones enim male illac viatoribus provident de jumentis.

XXXIX. Deportandus Limam per mare Pacificum conscendit Aricæ navim. Hæc parva erat, & aperta, ob idque ipsum exposita cadenti rori noctu, & interdiu ardentissimo Soli, qui ibi, ut in regno suo, id est in Zona torrida, vehementissime flagrat. Inter hæc Pallozzius læto semper vultu præibat exemplo patientiæ comitibus Jesuitis, aliisque vectoribus, quos piis, & amœnis sermonibus recreabat. Cl. V. Josephus Dominicus Jofrè, Chilensis Socius, qui cum eo tum navigavit, ajebat dein: " Pallozzius erat indole, & moribus Angelus. Omnes, qui navi illa vehebamur ad lætitiam, & simul ad pietatem in tantis illis angustiis excitabat, quapropter & amabamus eum, & venerabamur."

XL.

XL. Curſu ſecundo appulerunt tandem ad Limæ portum; & Pallozzius incluſus fuit domo, quæ nuper Jeſuitarum fuerat, & nunc erat eorumdem carcer. Nobiles matronæ Limanæ nihil prætermiſere, quo minus detentos cuſtodia illa recrearent a præteritis laboribus, liberaleſque in eos & generoſæ fuerunt quam maxime. Singulari autem memoria dignæ ſunt ſacratæ Virgines ex Ordine Dominicano. Hæ, ubi advenerunt Limam Socii Chiquitici, illos officioſiſſimis litteris ſalutarunt, ultroque eiſdem pollicitæ ſunt, ſi quidem ipſarum uti vellent opera, ſe ſe omnium induſia, linteola, ſindones, ceteraque gratis loturas, & gratis reſarturas, & gratis, quidquid fœminei laboris eſt, præſtituras, neque aliud optare, quam in tam triſti ſorte ſingulorum commodis, & levamini conſulere idque quamdiu in urbe eſſent, & quoties opus foret. Percutiebat ſcilicet una, ut ita dicam, manu Deus Jeſuitas, & altera ipſis blandiebatur.

XLI. Conſcenſa iterum navi ad portum Callao, qui binis Lima diſtat leucis, navigavit Pallozzius ad urbem Panamæ, quæ eſt ad Iſthmum, quo Novus Orbis, æquatis propemodum partibus, dividitur in Americam Septemtrionalem, & Meridialem. A Panama partim terreſtri itinere, partim per flumen Chagre, venit Pallozzius ad Portumbellum, qui obverſus eſt Oceano Atlantico. In tot autem maris terræque caſibus ſenex Pallozzius idem ſemper fuit, patiens, benignus, humilis. Patientiam oſtendit, quod, cum & incommodis viæ longiſſimæ, & malis, quæ longa fert ætas, plurimum premeretur, queſtus numquam ſit, ac conſentiente animo cum divina voluntate æquabiliter cuncta pertulerit.

XLII. Benignitas ejuſdem & caritas eminuit, quod, cum iret in comitatu Socius ipſo ſenior, & æger, huic ſe ille non tam curatorem, & opitulatorem, quam famulum & ſervum addixit. Aderat ei aſſidue, illumque conſolabatur, & recreabat, laboreſque, quoad ejus fieri poterat, leniebat, & quid-

quid, morbo languens innuerat extemplo obibat.

XLIII. Sed tamen humilitas ubique locorum primas tenuit partes. Non ſolum toto corporis habitu, quam ſibi ipſe vileſceret, patefecit hoc tempore, ſed nullum, quo opem ferret ſeniori illi ſuo, abjectum, & ſordidum miniſterium vel refugit, vel faſtidivit. Ipſe per ſe cibos ei, & alia neceſſaria miniſtrabat, ac munditiæ ſtudens matulam foras efferebat, purgabatque. Quæ illius demiſſio ad infima quæque officia ita adſpectantes movit, ut cum ex aliis provinciis Socii alii conveniſſent, ex iis dumtaxat, quæ ſubinde obſervabant, cum de illo alias nihil audiſſent, non proprio cognomine Pallozzium appellarent, ſed hoc alio: *hominem ſanctum*.

XLIV. PORTUSBELLUS præter tutam navibus ſtationem, & nomen pulchrum, nihil ſpecioſi habet. Eum aperuit Chriſtophorus Columbus poſtridie Kal. Novemb. an. MDII., & pulchra captus forma, pulchro donavit vocabulo. Locus ob calidum humidumque cœlum ita inſalubris eſt, ut præſidiarii milites, qui arcem, & propugnacula tuentur, per vices Paranam urbem commodo & amœno ſitu poſitam, in certum tempus remeent, miſſis interea illuc aliis; ne ſi iidem toto anno detineantur; pereant morbo. Urbs eiſdem cauſis infrequens: rari cives, raræ ædes, poſtquam inde averſum eſt alio commercium, quod olim ibi plurimum viguit. Delatis igitur eo Sociis domicilium peſſimum contigit, nec mirum in tanta ædificiorum paucitate.

XLV. Pallozzius, qui tot ferendis malis impar jam erat, e loci intemperie correptus eſt gravi morbo. Senſit illico inſtare ſibi exitum ſupremum, ſe ſeque comparavit ad mortem intentiore virtutum exercitatione. Solitus fuerat quotidie Sacramento Pœnitentiæ expiare ſe ſe pari diligentia, ac ſi futura eſſet ultima accuſatio, ea, qua tum ſacro ſe judici ſiſtebat. Nihilo tamen minus ad extremum certamen tot lacrimis vitæ acta confeſſus eſt, ut ſatis oſtendereret,

ret, quanto intrinſecus dolore tangeretur. Eodem pietatis ſenſu, & ſumma animi tranquillitate, divino Viatico refectus, & ſacrato unctus oleo, placide exſpiravit vir vere magnus, & magno Sociis, qui eum perpetuo venerati fuerant, relicto ſui deſiderio.

XLVI. Mortuus eſt XII. Kal. Jan. an. MDCCLXIX. natus annos LXXI., quorum LII. in Societate vixit. Sepultus fuit in parœcialis templi cœmeterio, ut nihil poſt mortem privati honoris haberet, qui adeo honores omnes vivus fugerat. Videtur tamen Deus, qui *glorificantes ſe glorificat*, mortuum Pallozzium decorare publice voluiſſe. Nam cum ſemotus ab incolis Portobellanis inter Socios latuiſſet, neſcio unde fama de ejus ſanctitate manavit ad cives, quorum multi (ut narrat qui præſens aderat) illius vita jam functi vel fruſtulum veſtis, vel capillos, vel quid rerum, quibus uſus fuerat, ſibi popoſcerunt, in pias ſcilicet reliquias.

RELIQUÆ PALLOZZII VIRTUTES.

XLVII. IN agendo loquendoque erat admodum circumſpectus. Summa in eo modeſtia, ſed miſta cum dulci affabilitate, & inſigni caritate. Indos, ut dictum eſt, tenerrime amabat, & dummodo illis bene eſſet, nihil penſi ducebat, ſi ipſi foret interim male. Cibi temperans fuit in primis: numquam cœnabat, & prandebat parce, contentus nonnumquam ſiccata ad fumum, Solemve, carne. Potione, quæ fit inſtar Aſiatici The e foliis arboris Paraguaycæ, & qua in America Meridiali viri etiam pauperrimi utuntur, ſemper abſtinuit. Contra æſtum, qui apud Chiquitos ut in Zona torrida, maximus eſt, tepidam aquam ſorbebat humectando corpori: quod ſiquando ipſi libuerat paulo melius bibere addebat liquori illi tantum ſacari, quanto ſale adſpergi ſolent dapes.

XLVIII. Nulla in cubiculo niſi vilis ſupellex.

Siquod ei munuſculum aliquando dabatur, illud extemplo Indis dividebat. Tunica e goſſipio male texto, tinctoque; etſi enim textores boni non deerant, eorum opera in rem ſuam Pallozzius nolebat uti. Vagam a Superiore veniam, ut quædam acciperet, daretve, oderat; adibatque more tironis ad ſingula præfectum, ſi aderat; ſin autem aberat, & res inſtabat, uſui tum illi erat conceſſa in hos caſus generalis facultas.

XLIX. Quantumvis neophitos tamquam filios diligeret, cautus erat ſummopere. Indas numquam adloquebatur niſi de rebus neceſſariis, & propalam. Ejus gravitatem, & pudorem commendat res pæne ridicula. Cum barbam olim raſiſſet, quidam jocans, vel potius ineptiens dixit: fortaſſis, Stephane, ſiqua te Inda vultu nitenti viderit, male tentabitur. Horruit eo audito Pallozzius, & toto deinceps anno barbam aluit, totamque per vitam aluiſſet, niſi Socii contra joculatoris imprudentis, impudentiſque ſcurrilitatem, ſcrupulum illi exemiſſent, & nihil ejuſmodi timendum eſſe ſerio affirmaſſent. Tum barbam poſuit, quam deinceps non niſi decimo quinto quoque die per ſe ſibi totondit. Cultrum tonſorium acuebat numquam, eoque non tam radebat genas, quam vellebat: quod tormenti genus dolebat minus Pallozzio ſolito in ſe ſe aſperrimis flagris ſævire.

L. Diſtributi diei partes ad ſpirituales exercitationes, ubicumque eſſet, exacte ſervabat. Quod ſi ſtatum tempus videbat impeditum iri re alia, ut in diebus feſtis cum futurus erat magnus confitentium numerus, ſurgebat maturius, & juſſæ meditationi in templo per horam vacabat. Penſum ſacrarum precum ante tabernaculum Euchariſtiæ flexis genibus ſolvebat, illucque redibat, cum quid temporis nactus erat vacuum ab animarum miniſterio, aut ceſſabat a ſtudio librorum. Dei matrem, ut matrem quoque ſuam impenſe colebat, eamque eximie ſemper veneratus eſt.

HUMI-

HUMILITAS PALLOZZII.

LI. DIximus initio principem Pallozzii virtutem fuisse humilitatem. Hæc quanta in illo esset, explicari vix verbis potest. Quædam sequar, ne omnia videar præteriisse. Si ad ejus oppidum accedebat hospes aliquis, audito adventu, propere obviam prodibat, illumque comiter ad cubiculum deducebat. Tum viatorium instrumentum, ephippia, equi frenum, cetera, commodo ponebat loco: lectum dein sternebat, quo exceptus domi usurus erat; & candelabrum parabat, & per se ipse lasanum trullamque foras efferebat, ut purgarentur. Resistebat scilicet hospes tot officiis boni senis; sed Pallozzius eas reddebat caussas, quibus munia ista ab se potius, quam ab alio fieri oportere contendebat, ut resisti ab hospite non posset, ne doleret Pallozzius, si ab humili ministerio, quod summa voluptate obibat, impediretur. Id cum memini (ait Joachimus Camano rem olim expertus) vix continere lacrimas queo, certusque sum, neminem, qui Pallozzium hæc agentem non viderit, umquam animo concepturum, quanta viro in illo esset veræ humilitatis spiritus.

LII. Erat Pallozzius linguæ Chiquiticæ peritissimus. Chiquitorum cultores scripta illius habere secum optabant, ut & proprietatem sermonis, & dicendi artem, qua eminebat, discerent, simulque (cum esset admodum doctus) ex ejus concionibus, & catechesibus optima quæque sibi in usum excerperent. Multi obtendentes speciosa quædam nomina lucubrationes hujusmodi reposcebant. At Pallozzius numquam se vinci passus est, ut quicquam cum aliis communicaret, ajens omnes melius ipso loqui, & melius scribere. Itaque qui proficere eloquentia & doctrina Pallozzii vellet, opus erat ut ad eum audiendum iret, & deinde referret in commentarium, quæ præ aliis ipsi placuerant.

LIII. Rem (etsi paulo longior est) ad extremum addo, qua plane patuit, quam nihili se ipse faceret, despicique ab aliis cuperet. Agebatur de deducenda colonia propius amnem Paraguayum, ultraque oppidum Sacri Cordis. Hujus oppidi Curio Josephus Chueca penetrarat sæpe in vastam illam regionem, neque umquam repererat situm aliquem in id operis aptum. Fuit tamen, cum in locum desertum veniret, ubi multæ erant opportunitates pro colonia illa: sed omnia attentius vestigans, animadvertit ex ulvis, quæ hæserant truncis arborum, solum illud a fluvio Paraguayo, cum late redundat annuorum imbrium tempore, totum operiri, ac proinde inutile ædificando prorsus esse.

LIV. Interea junior quidam Socius terendi otii causa descripsit poetice, quæ essent commoda, & bona eximia aditi a Chueca agri, sed de alluvione fluminis, siluit, opinor cum id argumento suo minus conveniret. Narrationem istam magnificam vidit senex quidam antiquæ simplicitatis, neque mentem ludentis & artem assecutus, elysios sibi nescio quos campos finxit, scripsitque gratulabundus ad moderatorem provinciæ inventam tandem aliquando felicissimam sedem pro tamdiu expetita colonia: unum esse præfectum Pallozzium, qui siquidem in migrando multus futurus esset neophitorum labor, huic timens, rem non probaret, impediretque.

LV. Moderator provincialis, qui nihil magis avebat, quam eam deduci coloniam ob ingentia, quæ illinc proventura erant bona ad conversionem circumvagantium barbarorum, & ad iter aperiendum incredibili compendio in præturam Paraguaycam, seni credulo nimium & ipse credulus ardentes ad præfectum Pallozzium litteras dedit, quibus vehementer ejus consilia, injectasque rei tam utili moras reprehendebat. Legit has litteras Pallozzius tranquille.

LVI. Post id (quoniam apud Chiquitos sintne alibi alii hominum vix scitur, adeo ab urbibus distant)

ſtant) quærunt a Pallozzio Socii numquid novi e media provincia veniſſet ? Venit quidem, ait, nam mihi illinc nunciatur, repertum hic locum commodiſſimum ad deducendam coloniam, quam omnes ita cupimus, in amnem Paraguayum. Ecce vobis litteras, eaſque legendas dat collegarum uni. Is cum tam acri ſtilo ſcriptas cerneret, ſubſiſtebat idemtidem præ reverentia Pallozzii. Is, quid hæres ? perge, nihil hic mali eſt, lege cetera. Et voluit omnia, quæ in ipſum dicebantur, ad finem uſque recitari. Tum lector, o quam vellem, inquit, committeretur mihi reſponſio ad moderatorem : oſtenderem profecto, quam ille plus iuſto provectus ſit iracundia. Meliora Deus, reſpondit Pallozzius. Superior noſter eſt : & reprehenſiones a Superiore, modeſte & humiliter accipiendæ ſunt, tamquam e cœlo miſſæ. Ad patrem provincialem res aliter, ac eſt, relata fuit bona fide : hinc illius dolor, & acrimonia.



CLEMENS BAIGORRI

SCHOLASTICUS.

CONSTANS ESTO (*a*). Binis his verbis ad Apoſtolum gentium e cœlo olim dictis, ut dura quæque, & calamitates, quibus undique premebatur, ferret fortiter, tota continetur (meo quidem judicio) Clementis Baigorrii adoleſcentis vita, ut ſeries dicendarum rerum ſatis oſtendet.

PATRIA ET EDUCATIO.

I. NAtus eſt an. MDCCXLVI. Nonis Martiis, qui dies ſacer eſt D. Thomæ Aquinati, patre Clemen-

(a) *AA. Apoſtol. c. XXIII. v.* 11.

mente, & matre Francifca Avila nobilibus Cordubæ Tucumanorum civibus. Annum nondum egerat, cum pæne periit. Barbari e Chaco adorti funt villam, ubi parentes tum degebant. Ut Indi inconditis clamoribus implent omnia, cum ex infidiis aliquo irrumpunt, mater horrendo excita tumultu, ululatuque, fe fe domo proripuit, arrepto filio, filiaque quadrienni, quam paulo poft (cum metus onufque fugam impedirent) tradidit aviæ latebras etiam quærenti. Ipfa cogitans filvam vicinam, qua fe indueret, deficiente jam fpiritu, fubftitit propius ædem trans humile dumetum.

II. Graffatores interea invadunt villam, eunt, redeunt, mifcent omnia, fervos trucidant, vidente matre, quæ tamen (dictu incredibile!) vifa ab illis non eft, & (quod mirum magis) infans denum menfium inter tantam prædantium vociferationem, tremoremque & impetum matris, numquam vagiit, proditurus, fi hifceret, & eam, & fe: diceres compreffa puerulo labia, & umbram quæfitam mœftæ matri a B. MARIA, cui fe fe illa filiumque commendabat per intemeratum conceptum, quod Virgini privilegium fæpe pia fœmina gratulabatur.

III. Latrocinium diu protractum eft luce palam, fiebant enim hæc pomeridiano tempore, tantos jam fibi fpiritus fumpferant, afflicta penitus provincia, Abipones, & Mocovii, & Tobæ (*a*), qui antea non audebant incurrere in Hifpanos nifi fub extremæ noctis tenebras. Aviæ triftior, quam matri, fors fuit. Fugientem affecuti occiderunt barbari, & quam geftabat teneram Clementis fororem, Catharinam nomine, fecum in fervitutem abduxerunt. Poftquam dila-

(a) *Videfis quid de his Indis (quibus ad fidem vocatis pofita dein funt oppida magno provinciæ bono) diximus in vita Petri Joannis Andreu.*

dilapſi ſunt, auſo potiti, rediit cum filio mater domum, vacuam habitatoribus, pollutamque cruore e palpitantibus adhuc cæſorum membris.

IV. Pater, qui (cum reſiſti non poſſet armatæ turmæ) in abſtruſum ſe quoque locum abdiderat, ut ſilvulam vidit, quæ uxorem texit, non ſine miraculo & matrem, & filium ibi latuiſſe ratus eſt. Atque illa quidem rem hanc præſenti Virginis præſidio attribuit, & ubi Clemens crevit, factum ſæpe narrabat, ut debitas Magnæ Matri grates ſolveret: idque fecit ipſe libens, interque alia a Deo accepta beneficia, iſtud in primis ſcripto adnotavit, ut grata memoria ſervatam ſibi divinitus vitam frequenter recoleret. Ceterum quos rebus adverſis exercuit providens Deus, eos deinde conſolatus eſt recepta a barbaris filia, & prole aucta poſt tantum infortunium.

V. His initiis reliqua reſpondit Clementis vita, quam perpetuo comitata ſunt mala miſta bonis, & bona miſta malis. Pie a piis parentibus educatus eſt. Pater ſummopere cavit, necui licentiori puero adhæreſceret, talis enim quiſque eſt, quales ſunt ſocii, & amici. Foras eum ducebat ſecum, & domi vetabat, ne cum mancipiis, vel bonis nimium ageret. Grandiuſculus jam, & traditus Ludimagiſtro, facile litteras nectere, & ſcribere (legebat autem poſtea ſcitiſſime, & pulcherrime ſcribebat) cum arithmetice didicit.

VI. E ludo redibat recta domum; quo factum eſt, ut præter cognatorum & affinium ædes, alias ignoraret, ut ipſe poſtmodo ingenue confeſſus eſt, negans familiam quamdam Cordubenſem, de qua interrogatus fuerat, ſibi cognitam. Attentus ſtudio litterarum, alacerque ad arripienda doctrinæ Chriſtianæ capita, brevi adnumeratus eſt grammaticis pueris, quos inter & docilitate ingenii, & intelligendi facilitate longe eminuit, ut ſibi magiſter de optimo diſcipulo plauderet; adeo a reprehendendo, caſtigando procul aberat. Nomen tum dedit Sodalitio B. V.

MA-

MARIÆ, quam inſtar matris toto vitæ tempore deinceps coluit, alioſque ad eamdem caſte colendam modeſtia, & pietate, & ſilentio, ac compoſito corporis habitu excitabat.

VII. Is erat fructus Sacramentorum ſæpe & rite perceptorum. Elegit jam tum ſibi certum ſtabilemque Sacerdotem, cui omnes animi motus, inſtinctuſque ſingillatim patefaceret, idque non modo inter arcane confitendum, ſed ſeorſum etiam, ut qua ratione virtutem aſſequeretur, & fugeret vitia, diſtinctius diſceret: quem dein morem intermiſit numquam. His rebus effectum eſt, ut nulli non carus eſſet vitæ innocentia, & circumſpectione quadam ſupra ætatem, ita, ut qui a teneris illum novit, teſtatus ſit numquam ſe in puero Clemente puerile aliquid animadvertiſſe.

COOPTATUR IN SEMINARIUM MONSERRATENSE.

VIII. PUer pius & diligens, ſi ingenioſus idem ſit, multum promoveat, neceſſe eſt. Talis erat Clemens: haud longo tempore latine ſic ſcivit, ut maturus ſit viſus audiendæ philoſophiæ. Hic (ubi ingeniis latior campus) quam ſubtili eſſet mente illico aperuit, ſive propoſitæ in certamen theſis propugnator veniret, ſive contra impugnator. Optabat magiſter Benedictus Rivas, ut in ſeminarium V. MARIÆ Monſerratenſis, quod curabant Jeſuitæ, domo transferretur, quod tanto majus operæ pretium ſedulus diſcipulus facturus foret, quanto majora erant ibi adjumenta ad ſtudendum litteris.

IX. Seminarium hoc nobilium adoleſcentium condidit ſuperiore ſæculo (cum prius munificum in hanc rem diploma a Carolo II. Rege retuliſſet) venerabilis Sacerdos, & ſacræ Theologiæ Doctor Ignatius Duarte & Quiros, nobilis Cordubenſis, ingenti patriæ bono. Confluebant autem illuc non ſolum e vi-

vicinis provinciis, sed e Chili etiam regno, & imperio Peruvico, trecentarum eoque amplius leucarum itinere, ob famam quæ de illius optima disciplina (sive quæ ad pietatem, sive quæ ad litteras spectat) quoquoversus penetrarat (*a*).

X. Merito igitur optabat magister Clementem eo migrare; optabantque idem ejusdem parentes: sed utrorumque vota distinebat res una, quod, ut sæpe nobilitas & opes disjunctæ sunt, Baigorria familia nobilis erat, dives non erat satis (utique post stragem illam a barbaris illatam villæ) ut filium in Seminario aleret. Admittebat quidem Rector e Duartii conditoris decreto sex gratis alumnos e Cordubensi pube, quibus angustior domi census esset. At nullus tum beneficii hujus locus vacabat. Relinquebatur ea spes, quod ex beneficiariis illis adolescentibus post sex menses abiturus erat unus. Verum erat vicissim timor, ne interea competitor alius Clementi præferretur.

XI. Negotium hoc mater, aut (ut verius dicam) pro matre extricavit B. V. MARIA. Prosequebatur illa, ut supra diximus, singulari obsequio immunitatem Deiparæ a primæva labe. Strata ergo pro ejus simulacro, sic precata est: *Domina, si filii mei interest, ut Seminario admittatur, tu domus illius tuæ fores aperi.* Ratæ preces. Eo ipso die bini Clementis fratres, qui, ducta uxore, longe & ab urbe, & in-

(a) *Diximus in vita Vicentii Sansii, quid de hoc seminario scripserit ad Clementem XII. Pontif. Max.* Joannes *de Sarricolea, Antistes Tucumanicus. Illis laudibus addendæ sunt aliæ, quibus idem Seminarium commendavit Pilippo V. Hispaniarum Regi Alfonsus del Pozo, & Silva, Episcopus item Tucumanorum. Illius litteras datas Cordubæ die* 24. *Jul. an.* 1720. *adidit Petr. Franciscus Xav. Charlevoix Gallus, in documentis Histor. Paraguay documento* XXIII. *pag.* 425. *edit. latin. Venet. an.* 1779.

& inter se distabant, cum alter alteri nihil condixisset, ac neuter sollicitam ea re matrem nosset, diverso uterque itinere, domum venit, auditoque quid illam angeret, ambo polliciti sunt factum ab se iri impensas pro alendo Clemente in Seminario, quousque sortis illius beneficiariæ tempus adveniret. Ingens hinc matri, ingens Clementi, ingens Clementis Magistro gaudium.

XII. Exceptus Seminario amorem in Dei parentem auxit plurimum, utque illic moris erat, sacramento se se obstrinxit tuendi semper intemerati illius conceptus. Legibus autem collegii illus sancte servatis, alias sibi privatim perscripsit. In pervigiliis sollemnitatum JESUCHRISTI, & B. MARIÆ, itemque in die spiritualis secessus, qui ad intentiorem animi curam fiebat singulis mensibus, macerabat se se inedia, cædebatque flagris, & in triclinio vescentum convictorum pedes osculabatur, & utebatur cilicio: neque his contentus, ubi studere Theologiæ cœpit, feria IV., & Sabbatis jejunium addidit in Dei matris majus obsequium.

XIII. Emisit tum, quamvis de eligendo vitæ certo statu nihildum deliberarat, votum Virginitatis, quam illibatam ad mortem usque retinuit exemplo S. Aloysii Gonzagæ, hunc enim imitandum sibi proposuit, ejusque vitam frequenter legebat, narrabatque deinde sodalibus (cum post prandium & cœnam colloquendi facultas erat) res gestas Divi, ut illos ad virtutem accenderet.

XIV. Baigorrii prudentia, & integritas sic eminebat, ut Censor morum octo alumnos ætatis teneræ ei concrediderit, quorum studia litterarum regeret, & foveret pietatem, ac siquid emendato opus foret, ad ipsum referret, id quod Clemens fideliter præstitit, tantamque de se pueris illis admirationem movit, ut *Sanctum* appellarent; alii vero contubernales (ut adolescentes proni sunt ad effingenda pronomina) eum ob insignem gravitatem *Catonem* vo-

ca-

cabant; neque id male, inerat enim illi a natura ſerius quidam habitus, & ſeverus modus, quem tamen in tempore norat remittere honeſta urbanitate.

XV. Ceterum à puerilibus nugis abhorrebat: cumque ſodales conceſſæ animi remiſſioni, & ludis, ſtata hora, indulgebant, ipſe partim lectioni piorum librorum, partim meditationi in templo vacabat, quo etiam alias ibat adoraturus Deum abſconditum. Inter hæc abſoluto Philoſophiæ curriculo, quantum triennio profeciſſet, publice oſtendit deſignatus a profeſſoribus Academicis ad theſes de tota arte propugnandas, quod omnium plauſu atque approbatione fecit.

XVI. Verum Clemens Philoſophiæ Chriſtianæ, quæ cunctis naturæ artibus præferenda eſt, præſertim ſtudebat. Bis ſe ſe exercuit D. Ignatii ſacris commentationibus, & tertio eaſdem repetens ſecum reputare cœpit, quodnam vitæ genus amplecteretur, ut magis magiſque æternæ ſaluti provideret. Frequentior tum fuit in imploranda Virginis ope, & adeundo JESUCHRISTO latente ad aram, conſulendoque animi moderatore, tamquam interprete divinæ voluntatis.

SOCIETATEM PETIT.

XVII. ANno MDCCLXVI. cum exercitationes ſpirituales S. Ignatii obiiſſet denuo, ſtatuit Societati JESU nomen dare, ut & ſibi, & aliis (quoad poſſet) iter in Cœlum muniret. Monitus a conſcientiæ arbitro petiit a parentibus veniam *exeundi de domo, & cognatione ſua*. Mox moderatorem Jeſuitarum Emmanuelem de Vergara, qui tum erat Cordubæ, adiit, eique aperuit quid optaret. Res erat expeditiſſima ob eximias candidati dotes. Vergara admitti illum tirocinio juſſit, eoque migravit Clemens e Seminario, quod medio tantum vico ſejunctum erat. Neque ego hic illud ommittendum puto, locum ſcilicet, quem Clemens vacuum reliquit, da-

tum ultro fuiſſe Clementis minori fratri, qui inter ſenos adoleſcentes Duartii beneficiarios aleretur, quæ res argumento eſt, quam ille ſe probaſſet Seminarii adminiſtratoribus, qui ſperabant in fratre dignum fratris ſucceſſorem.

XVIII. Igitur VI. Idus Decembr. qui dies intemerato Virginis conceptui ſacer eſt (cum triduo tamquam hoſpes inter tirones egiſſet) veſtem religioſam induit, binis B. MARIÆ beneficiis præcipue obſtrictus, & quod olim vitam ipſi ſervaſſet, & quod nunc novæ vitæ initium daret in votiva ipſi luce, & domi ſuæ, tirocinii enim domus aſſumptæ in Cœlum Deiparæ dedicata erat. Cum in manus regulæ Societatis fuiſſent ei traditæ, ſingularumque ille vim, & ſanctitatem perpendiſſet, quæſivit a monitore ſuo, qua ratione perfectionem virtutis ibi deſcriptam aſſequi poſſet? Ille, ſi perturbationes, inquit, animi, ejuſque motus minus rectos aſſidua contentione fregeris. Hæſit conſilium hoc tironi alte, & toto vitæ tempore, ut deinceps apparuit, ſalubre præceptum implere uſu conatus eſt.

XIX. Quod ad voluntarios membrorum cruciatus attinet, cum jam pridem illos frequentaſſet, non calcari opus fuit, ſed freno; modumque impoſuit tironum magiſter Joannes Eſcandonius, vir prudens, qui unum id illi præter ordinarias exercitationes petenti annuit, ut hora meditationis matutinæ ſemihoram adderet veſperi, etiam iis diebus, quibus juſta ex cauſa alii tirones ea eximebantur: quam Clemens conſuetudinem ſemper retinuit, ſive domi eſſet, ſive iter ageret, ſive iterum ad ſtudia litterarum incumberet. Septem tirocinii abierant jam menſes, breviſſimum, ut ei videbatur, tempus præ ſumma pace, & animi quiete, qua fruebatur; cum advenit dies IV. Idus Julias an. MDCCLXVII., qui magnorum Clementi certaminum origo fuit. Res, quæ paulo altius repetenda nobis eſt, ſic accidit.

INDI-

INDICITUR CLEMENTI LEX EXILII.

XX. JUsserat Rex Catholicus Carolus III. exigi e toto regno Jesuitas. Id mense Aprili factum est Matriti, & in continente Hispania. Ut autem illinc immenso intervallo distat America, nihildum in Paraguaya de tam tristi nobis re rescitum fuerat. Missa est Gadibus Bonasauras celox cum regio decreto, quod sub exitum Junii mensis reddidit navarchus Prætori Francisco Bucarelio. Is silentio usus summo Cordubam misit Fernandum Fabrum Tribunum cum LXXX. militum manu, ut Jesuitas, priusquam illuc rumor perferretur, comprehenderet.

XXI. Iter est CXXX. leucarum. Distabat Fabrus adhuc longe ab urbe, cum vocavit ad se aliquot e civibus, quibuscum ageret de ratione modoque inopinantes Socios adoriendi. Capto consilio, præmisit partem militum, qui Cordubam ingressi sunt V. Idus Julias, quo die vacarant Jesuitæ solitis ministeriis, agitaruntque theses Theologicas Academicorum adolescentium frequenti concursu. Tribunus, qui extra urbem restiterat, cum jam quieti nos nocturnæ composuissemus, silentio ad fores collegii venit; dispositis circa militum custodiis. Causatus autem alia omnia, crebro tintinnabuli pulsu, aperiri sibi ostium fecit.

XXII. Ingressus, omissa jam dissimulatione, contendit armatus ad cubiculum Rectoris, quem jussit surgere, & designare amplum locum, in quem omnes convenirent: afferre se mandata a Rege. Ille cœnaculum nominat, & surgit. Post id laici duo stipati militibus cubicula circumeunt, & excitatis e somno Sociis denunciant, ut eant in triclinium. Eo coactis, attonitisque quorsum res evaderet, excitat Tribunus Scribam, quem secum adduxerat, ut legem exilii legeret. Stantes pro reverentia Regis verbis debita, brevem audivimus summam decreti, quo deportari in Italiam jubebamur.

XXIII. Petrus Joannes Andreu collegii Rector reſpondit omnium nomine obtemperaturos nos Regis voluntati. His actis, excepit idem Scriba univerſorum nomina, & Tribunus petiit cubiculorum claves: datæ ſunt. Idem, clauſa triclinii janua, & impoſito præſidio militum, qui nos prohiberent pedem illinc efferre, egreſſus eſt ad poſſeſſionem ineundam rerum omnium. Tantus is apparatus, & vis, & tricliniarius carcer, fueritne ſevera nimium cautio, an fictus, quo paverent animi, terror, non eſt noſtrum decidere: fortaſſe timuit vir militaris, ne in collegio totius provinciæ maximo, & unde Operarii ad Guaranios ceteroſque Indos identidem prodibant, aliquid deliteſceret, tamquam in communi armamentario, de bellico apparatu famoſi Nicolai I. Sed non eſt hic nugandi locus. Rex certe Catholicus juſſit Jeſuitas inter exequendam exilii legem comiter, & benigne, & liberaliter haberi (*a*).

QUID TUM EGERIT CLEMENS.

XXIV. REdeo ad Clementem, cujus cauſa hæc nobis dicenda fuerunt, hinc enim tota illius deinceps pendet vita. Erat tironibus in triclinio proprius quidam locus: huc cum veniſſet Scriba pro excipiendis nominibus, & vos quidem, ait, felices eſtis: datur enim veſtrum unicuique a Rege optio, ut vel domum redeatis, vel veteranos ſequamini (*b*). Tirones

(a) *Verba Regis ſunt hæc*: tractantor, dum opera dabitur legi de exilio, decenter, quam poſſit maxime, & humane, & attente, & accurate, ut cuncta fiant ſecundum mentem meam

(b) *In monitis ſecretis, quæ miſſa ſunt ad magiſtratus pro comprehendendis Jeſuitis ſic cavet Rex de tironibus num. X. ,, In tirociniis, ſive domibus, ubi aliquis ,, ſit tiro, qui hujuſmodi conditionis ſunt, cum vota ,, religioſa nondum ediderint, extemplo ſeparantor, ne ,, poſſint eo tempore cum aliis agere; ob idque transfe-*

nes nec ſcribæ hujus illecebris flexi, nec Tribuni illius ſupercilio, aut nec militum oſtenſis armis territi, reſponderunt omnes ad unum pro data abs Rege optione velle ſe veteranos ſequi. Atque hæc illo acta ſunt die..

XXV. Poſtridie ſub noctem deductus eſt Clemens cum ſociis tironibus ad cœnobium RR. PP. Franciſcanorum. Cuſtos R. P. Blaſius Aguero (quem honoris cauſa nomino) ceterique eos benigne exceperunt. Hinc exagitari cœpti ſunt perſeverarene vellent in propoſito illo ſuo. Ut magna in domo non idem omnes ſentiunt, alii ſuadebant, ut a ſequendo veteranos (quandoquidem tanta erat rerum facta converſio, totque ipſos alioquin manebant ærumnæ) deſiſterent: contra alii laudabant conſtantiam, & animos addebant. Idem ſenſus civium honeſtorum, qui ſubinde intromittebantur, aliis aliud ajentibus.

XXVI. Tironum nemini acrior pugna fuit, quam Clementi. Cænobita quidam mihi probe cognitus (nomen conſulto reticeo) eum abduxit a cœtu aliorum in cellam. Aderat ex compoſito Clementis pater. Ille intrepidi vir ingenii dejicere tironem nititur. Exercitatiſſimus erat in ſcholæ paleſtra, eoque facilius argumenta in rem ſuam reperit: trium generum propoſuit. Primum, ſequi veteranos eſſe contra jus naturale, cum vitam exponeret Clemens innumerabilibus vitæ periculis terra marique, quibus tandem

---

„ *runtor in ædem privatam, ubi plèna libertate, & edocti exilium, quod cæteris indicitur, partem illam eligant, quam malint. His tironibus, dum ita deliberant, dantor alimenta ex ærario. Quid autem ſinguli ſtatuerint, conſtare debet proprio eorum chirografo, ut qui ſequi velit, aliis adjungatur; ſin contra deſiſtat, libere dimittatur veſte ſeculari. Nec permittet Commiſſarius inſtigationes, ut hoc, illudve quiſpian amplectatur; cum id relinquendum ſit uni, & libero arbitrio ejus, cujus intereſt.*

succumbendum esset. Alterum, esse contra jus divinum: præcipit Deus liberis honorare patrem, & matrem, atque eorumdem curam gerere: atqui tu ultro mœrentes afflictosque deseris, non illos amplius revisurus. Tertium, esse contra jus humanum. Parendum est jubenti Regi: sine gravi causa Jesuitas exilio non mulctat: si abis, pluris veteranos facis, quam veteranorum res damnantem Carolum, cujus decretum facto tuo improbas. Hæc ille, cui larga fandi copia.

XXVII. At res viro erat cum non rudi tirone, sed acris, & vividæ mentis, quique aggredienti resistere strenue posset. Defensionis hæc summa fuit: Jubet Deus patrem, & matrem sancte a liberis coli: at secedere ab utroque licet ex justa causa. Ex his causis una est electio status religiosi, qui abjiciendus non est ob nimium amorem parentum, divinus enim magister homines instituens dixit per se ipse: *qui amat patrem, aut matrem plusquàm me, non est me dignus*: viderer autem plus Deo meos amare, si JESU, qui me vocavit, terga obverterem, neque audirem illius oraculum: *nemo mitens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Quod si ipsi graviter egerent, & deforet, qui opitularetur, scio, quid tum mihi agendum esset: sed sunt alii fratres, qui hac me cura liberent. Adde, ex eorum me voluntate Societati nomen dedisse, nec quicquam nunc est, cur illos concessæ veniæ pœniteat. Id de parentibus.

XXVIII. Pericula, & mala itinerum, & maris non horreo: eaque salvo jure naturali subire fas est: nisi forte peccant, tot institores, & milites, qui majoribus, quam me manent, calamitatibus, infortuniisque se & sua in fluctus ac ferrum objiciunt. Sed illud de non adeundis capitis periculis ardenti disputatori male quidem excidit; ipse enim haud multo antea nullo territus vitæ discrimine, nullisque malis, ex America in Europam, atque ex Europa in Americam (nescio qua causa) navigarat, incolumisque Cordubam redie-

redierat. Qui ergo convenit movere religionem Clementi e re, quam ipſe prior fecerat? Sic ſumus, blandi in nos, in alios rigidi.

XXIX. Quod ad decretum Regis attinet ſubmiſſe & reverenter reſpondit Clemens. Dat Rex (preſſis ſilentio cauſis exilii) optionem tironibus vel repetendæ domus, vel ſequendæ Societatis. Si domum reverterer, ut tu vis, contra edictum non facerem; neque fecero igitur, ſi, ut volo ego, uſus Caroli beneficio, Societatem, & veteranos ſequar. Immo vero ſiquis me invitum retinere tentet, & teneat, is contra Regis noſtri voluntatem agere dicendus eſt.

XXX. Diſceptatio hæc diu duravit. Ad extremum oppugnator ille converſus ad Clementis patrem, qui toto eo tempore ſiluit, partes, ait, egi tuas: quod reliquum eſt, tu confice; idque ut liberius faceret, cella egreſſus eſt. Ut ſoli fuerunt, complexus pater filium, macte, inquit, iſto tuo animo, & conſtantia, Clemens: perſuaſiſti mihi: multo ſolidiores reſponſiones tuæ ſunt, quam illius argumenta. I, quo te vocat Deus. Grates refert patri Clemens, & rogat, ut a matre eamdem ſibi abeundi veniam impetret.

XXXI. Quod ad cœnobii Cuſtodem R. P. Blaſium attinet, æquiſſimo eo & humaniſſimo tirones uſi ſunt. Vir erat doctus & prudens, ſtatimque in animum induxit nullum ad illos (quos frequenter adibat) ſermonem inferre ſuper retinenda, deferendave Societate: agi de ſtatu vitæ, de quo tironibus ipſis, habentibus jam ſatis & ætatis, & judicii, conſulendus erat Deus: ſibi quidem aliquem adhæreſcere ſcrupulum, quod currentes detinuerit, vel in alterutram impulerit partem, haud paſſurum. Conſilium autem hoc illum iniiſſe vel eo laudandum magis, quod unus e tironibus, Bernardus Azcona, erat filius e Sorore.

XXXII. Ex quo cœnobium ingreſſus eſt Clemens ſibi propoſuit obedire penitus Cuſtodi domus,

neque quicquam gravioris momenti, eo inconſulto, moliri. Ante omnia tirones ab eodem Cuſtode duo communiter petierunt: unum, liceret ipſis inſiſtere iis excercitationibus ſpiritualibus, quibus in tirocinio aſſueverant; alterum, deſignaret idem Sacerdotem e ſuis, cui peccata confiterentur, ut rite expiati ſacræ menſæ accumberent, quo die per hebdomadam erat eis mos. His conceſſis, cum toto quatriduo Tribunus, qui abitionem Jeſuitarum curabat, moviſſet nihil, rogarunt inſuper Cuſtodem, ut permitteret ad illum de rebus ſuis ſcribere: id quoque æquum erat, & probavit Aguerus.

XXXIII. Electus eſt ſcribendo Clemens, qui id fecit in hanc formam: Cum Rex noſter explorari juſſerit, & tu, V. Cl. ex Regis voluntate noſtros tironum animos exploraris, an ſequi, an deſerere velimus veteranos, cumque firmum fixumque unicuique noſtrum ſit (poſtquam mature coram Deo rem perpendimus) illos comitari, retenta Societate JESU, fac, petimus, ut eiſdem aggregemur: quo munere optatius nihil præſtare nobis potes. Vale. His acceptis litteris, Tribunus toto triduo nihil reſpondit: ob id iterum ad eum ſcripſit Clemens, ne diutius negaret ſibi & Sociis ſuis uti Regis beneficio. Tandem XII. Kal. Auguſt. miſſus ad illos eſt Scriba, qui ſingulorum dicta in commentarium referret. Sub noctem autem ejuſdem diei, cum Cuſtodi Aguero, ceteriſque Cœnobitis pro benigno hoſpitio gratias egiſſent, reducti ſunt in Collegii triclinium, ubi nos detinebamur.

MITTITUR IN NAVIM.

XXXIV. ADerat jam media nox, quæ diem XI. Kal. Auguſt. conſecuta eſt, cum vocati ad nomen, juſſi ſumus e triclinio egredi. Stabant ad poſticam collegii januam, quæ obverſa agro eſt, XLIV. vehicula. Duplex illic vehiculorum genus, alterum grandius, & commodius *Carretones* appellant, alterum mi-

minus, & rudius, *Carretas*. Ex his secundi ordinis quattuor tironibus, eorumque simul ministro Joanni Arizagæ attributa sunt. Hæc ipsorum domus interdiu & noctu, tota illa longissima & deserta per Pampas via. Incommoda autem, quæ plurima fuerunt, non æquo solum animo tolerarunt, sed etiam quibus potuere rebus adjumento fuerunt Sacerdotum senioribus.

XXXV. Illud Clementis proprium fuit. Cum e domo sua missi ei fuissent recentes panes, quibus inter eundum uteretur, eos statim ad præfectum detulit, ut quibus ipsi videretur, divideret. Egressus item ex urbe est e consanguineis nescio quis, monuitque, ut quæ vellet in iter peteret. Respondit Clemens nihil sibi præter communem commeatum opus esse, passurumque se libenter, quæ alii paterentur; qua animi æquitate perpetuo usus est, non intermissis (quoad ejus fieri poterat) religiosæ disciplinæ piis functionibus: secum enim portabat tirocinium.

XXXVI. Die vicesimo sexto ab incepta via ad sinum *Barragan*, qui ultra Bonasauras est XII. circiter leucis, pervenimus. Ad oram amnis Argentei, maris illac instar, parati jam erant lintres phaselique. Hos e vestigio conscendimus, vectique sumus secundo vento ad regiam navim (vulgo Venus) quæ erat ad promontorium *Laræ*. Nobilis Navarchus Gabriel Guerra, vir optimus, cum nautis epibatisque benigne nos & comiter excepit.

XXXVII. Datum Sacerdotibus est medium conclave. Quinque ibi erant lectorum ordines in pavimento. Interjecto autem superne parvo spatio, quinque alii ordines, columellis suspensi, respondebant ordinibus inferioribus, in eum modum, quo apes loculos favorum aliis alios superstruunt, seu hirundines nidis nidos addunt. Stratis singulis tantum erat loci, quantum caperet angustam culcitram, ut potius feretrum, quo efferuntur mortui, quam vivorum lectus videretur. Hoc stratorum compendio factum est, ut in conclavi illo, quamvis non magno, quinquaginta

essent tori totidem Sacerdotibus; quæ quidem loci œconomia in navibus Indicis, cum multi vectores sunt, necessaria est. Reliquis Sociis structi sunt lecti in conclavi alio, quod vocant *cameram S. Barbaræ*, & subter navis foros.

VOCATUR CLEMENS AD URBEM BONASAURAS.

XXXVIII. Licuit in navi quietis esse veteranis, & tironibus; sed iis tamen non amplius quam usque ad III. Kal. Septemb. qui dies sacer est S. Rosæ Limanæ. Eo die tirones (erant XI. numero) vecti sunt actuaria Bonasauras, quo eos arcessivit Prætor Franciscus Bucarelius. Cum totam noctem adverso flumine Argenteo navigassent, postridie cum duce & militibus, qui illos servabant, exscenderunt in urbem, Excepti sunt ab immensa populi turba, præter civium alios qui e foribus domorum fenestrisque prospectabant manipulum illum constantium puerorum. Ibant ipsi submissis oculis, & composito vultu cum sponte sua, tum quod illorum unus ceteros ita monuit, concionandum nunc nobis est (quod ad socium suum dixisse olim dicitur D. Franciscus Assisias) frontis & oris modestia, & toto corporis habitu, ut religiosos decet viros.

XXXIX. Binas ibi habuerant ædes Jesuitæ ad tradendas civibus crebro per annum excercitationes spirituales S. Ignatii, unam pro viris, quæ adjuncta erat collegio Bethleemico, alteram distanti loco pro fœminis. In hanc deducti tirones sunt; neque milites ostio impositi more fuerunt, quin adolescens quidam Cantaber insignia inclusis obsequia clam præstiterit, eoque monitore, quid certaminis instaret, rescifcere illi facile potuerunt.

XL. Cæterum tironibus hæc vitæ ratio instituta est. Mane mature surgentes vacabant per horam meditationi rerum cœlestium, vesperi autem semihora idem

idem repetebant. Majores Sanctorum litanias recitabant simul, uno aliis præeunte, ut moris est. Adhibebant lectionem libri utilis ad mensam: utebantur cilicio, se seque quotidie verberabant flagris pro propitiando Numine. Sed ecce tibi post triduum crevit insperato eorum numerus, additis Tironibus octo, qui nuper venerant ex Europa. Hos illi hospites ingenti excepere gaudio, omnique, qua valuerunt, ope recrearunt.

XLI. Ibat quotidie ad eos Sacerdos Dominicanus, qui Sacrum Missæ faceret in templo, quod ibi erat. Et cum bis divina Eucharistia reficere se se voluissent, præsto fuerunt aliquot Franciscani, & Dominicani Patres ad excipiendas illorum confessiones. Atque hi quidem religiosi viri magnopere tirones stimularunt, ut quam vitæ conditionem elegerant, constanter retinerent: agi de re summa, & in qua vel levis error esse possit gravissimus, & maximus. Sexto demum die ivit illuc scriba lecturus (quod jam sæpe audierant) quid de tironibus Rex cavisset. Dati eis tres dies ad deliberandum.

XLII. Interea ingens in urbe erat expectatio, aliis nullum desciturum ajentibus, aliis nullum constiturum, si quidem ad eos mitteretur vir nobilis Franciscus Saravia, cui, quidquid aggrederetur, mira & dexteritas erat & ars. Is a Prætore electus est, venitque (exacto jam triduo) ad tirones, in quis artem illam suam omnem & dexteritatem exeruit, huc atque illuc juveniles versans animos. Multa dixit, quo eos a proposito dimoveret, recensuit futura mala, & quis, & quantus in his sit sensus (ipse admodum gravia non multo ante pertulerat). Ut peroravit, multa vicissim audiit a tironibus de virtutum officiis, ac præsertim de constantia in adversis rebus tolerandis.

XLIII. Binos ille ex iis, qui paulo ante appulerant Bonasauras ex Europa, dejecit, vel potius dejecti sunt a metu præteritæ calamitatis, ne scilicet

coge-

cogerentur ſubire iterum innumerabiles ærumnas, & aperta mortis pericula, quibus ad ſex menſes (infeliciſſime enim navigarunt) defuncti modo fuerant, ut diximus in vita Ignatii Morrii, qui ſimul cum iis ſolverat Gadibus.

XLIV. Quos illic dies retenti ſunt, victum tironibus large & liberaliter præbuit generoſus civis Sangineſius nomine, cui ea cura demandata fuerat a Prætore. Idem, antequam in navim remitterentur, monuit, ederent indicem omnium, quibus opus eis eſſet: Regis enim voluntatis eſſe, ut commeatus in Europam abunde ſingulis ſuppeditaretur. Nec parciora verbis facta fuerunt. Confecto indice, cuncta illis munifice providit, induſia, ſindones, thoracas, alia.

XLV. His actis, III. Idus Septemb. cum meditationi matutinæ de more vacaſſent, & Sacro Miſſæ interfuiſſent, deducti ſunt (affluente iterum populo, qui ut antea venientibus, ita nunc abeuntibus obvius fuit) in actuariam XVII. tirones illi, qui ſequi veteranos maluerunt. Sed, orta inter navigandum procella, non niſi poſt dies octo (cum brevior die uno curſus ſit vento ſecundo) ad navim noſtram pervenerunt. Hoc erat trajectionis longiſſimæ Oceani Atlantici faſtidia delibare.

XLVI. Aſcendit iterum ad nos gaudio geſtiens Clemens tiro, qui tironibus aliis dux fuerat, eoſque exemplo conſiliiſque ad firmiter agendum animarat. Verum magnæ jam anguſtiæ in navi, adjecti enim nobis erant nuper Sacerdotes V. Scholaſtici XIV. laicus I. Hi omnes advenerant recens ex Europa navigio S. Fernandi, nec quicquam propius factum eſt, quam in difficili ſupra modum navigatione perirent, id quod etiam narravimus ſupra in vita Ignatii Morrii.

XLVII. Prætor Bucarelius, qui norat, quantum creviſſet Sociorum numerus in navi noſtra, juſſit e XVII. tironibus, qui ab urbe Bonaurenſi poſt habitam quæſtionem venerant, remanere inter nos ſolum Cordubenſem, reliquos vero in aliam migrare navim, cui

cui nomen Nuncius (*El Aviso*). Sed vel istis decedentibus, plena erant omnia Jesuitis, siquidem substitimus illic deportandi in Europam CLI.

XLVIII. Itaque, cum nihil vacaret, designatus est tironibus locus valde incommodus sub proræ testudine, quo conjectæ fuerant (ne alibi impedimento forent) aliquot arculæ. Super has Clementi, & ceteris sternendæ fuerunt culcitræ, gemino malo, & quod arcæ inæquales inæqualem redderent situm, & quod culcitræ ipsæ submovendæ toties essent, quoties quis ex arcis extractum quid ibat. Tamen Clemens nihil his rebus animo commovebatur (instar scopuli qui, fluctibus undique tundentibus dura latera, immotus perstat). Quod siquando præsentium ærumnarum mentio inciderat, ea illi vox erat: *Deus nos hæc pati vult, fiat ejus voluntas.*

NAVIGAT IN EUROPAM.

XLIX. Postquam in navigio LV. dies morati sumus, dum commeatus ad trajectum Oceani parabatur, tandem transmissis pedetentim vadis, quibus Argentei fluminis ostia pæne obstruuntur, alto nos commisimus IV. Idus Octobr. Ibat classis quinque navium, qua deportabamur CCXXXIV. exules Jesuitæ. Experti fuimus illico quid rei sit navigare, uno videlicet gradu in singula fere momenta dividi a morte, cui vel per levem rimam aditus est. Excepit nos XVI. Kal. Novembr. sæva tempestas, qua omnia jam conclamata videbantur. Tristissima ea nox fuit, & proximus dies, nec sæviens mare quievit nisi biduo post.

L. Clementi tum plus etiam quam aliis patiendum fuit. Lectum habebat prope proræ fenestellas, quæ nondum obturatæ fuerant. Adspergebant hunc locum fluctus altissimi, qui penitus madefecere Clementis culcitram, ob idque ea ipsi nox & humenti, & algenti transacta est: neque tamen id valuit, tametsi corpore male habebat, quin animo constaret,

Deo

Deo enim ſua, & ſe, caſus in omnes devoverat.

LI. Inter navigandum vacavit perpetuo exercitationibus ſpiritus, quibus tirones aſſueſcunt, meditationi matutinæ & veſpertinæ, examini conſcientiæ bis in diem, & piæ lectioni, qua quidem in re illud optimi conſilii iniit, ut, cum vitas Sanctorum, alioſque aſceticos libros volvebat, ſi vicinos cerneret ſibi nautas aliquot, nec occupatos navis miniſterio, alte legeret, quo e ſententiis illis, & monitis ſalutaribus aliquid ſaltem per occaſionem eis adhæreſceret; ac facile erat, ut ad recitantem attenderent, legebat enim (quod ſupra diximus) optime, & grata voce.

LII. Sacrificio, cum fiebat (pacato mari, & leni vento permittentibus) ſumma modeſtia, & religione intererat, feſtiſque diebus, expiatus antea confeſſione, divinum panem petebat. Intimæ ſui recognitioni, & intentiori cultui ſpiritus, alias totum triduum attribuit, alias octo dies ſacris D. Ignatii commentationibus operam dedit, meditans quotidie quattuor integris horis, juſto intervallo diviſis, veritates rerum æternarum.

LIII. Fueramus jam Tropicos ingreſſi. Tractus ille Oceani, qui ſubjectus eſt Zonæ torridæ a Cancro ad Capricornium, obnoxius eſt longis malaciis, quæ ceſſanti ob nimium æſtum vento, detinent navim velut adactam fundo clavis ingenti omnium tædio. Id mali, quod ſex, decem, viginti, & plures aliquando dies durare ſolet, arte hominum nulla impediri, aut vinci poteſt. Nos ad divinam opem confugimus, advocato Divo Stanislao, qui ventos & felicem curſum a Deo navi impetraret. Audita e cœlo vota. Ipſis Nonis Novembr. qui dies Stanislao ſacer eſt, ſecundiſſimus nos ventus ultra impulit, quo factum, ut, quamvis ſol tum maxime capiti noſtro immineret, ſubfrigida nihilo minus aura calorem temperaret. Sentires Stanislai præſens auxilium, quod novemdialibus precibus publice petieramus.

LIV. Neque tum dumtaxat favit vocatus Divus,

ſed

ſed omnes deinceps octo dies, qui diem ei ſacrum conſecuti ſunt, adeo, ut per id tempus X. Kal. Decembr. Lineam Æquinoctialem præter vecti ſimus. Nautæ, optimi Tironis Stanislai (qui viſus eſt delectari illo tironum cœtu, qui navi ibat) præſidio tam opportuno capti, ita ejus ſtudioſi facti ſunt, ut novemdiale illud officium (præeuntibus tironibus ipſis cum Clemente) privatim iterarint, propitio ſemper Divo. Atque ut precari dein illa poſſent formula, ſupplicationem omnem tranſcripſerunt, ſpoponderuntque ſollemne ſe Sacrum curaturos ad Stanislai memoriam, ubi portum ſubjiſſent.

GADES APPELLIT ET SEGREGATUR A VETERANIS.

LV. POſt tres circiter menſes ex quo ab Argenteo flumine ſolveramus (fauſta navigatione, quæ alios tenet quattuor, aut quinque, aut ſex aliquando menſes) primi omnium e tota claſſe, quam venti diſtraxerant, Gaditanum ſinum intravimus pridie Nonas Januarias an. MDCCLXVIII., nullo e CLI. Sociis inter tot navis anguſtias, & cum plurimi eſſent ſenes, amiſſo, quod maximum providentis Dei beneficium fuit.

LVI. Poſtridie Epiphaniæ Domini devecti ſumus, paratis in hanc rem lembis, ad urbem, cui nomen *PORTUS S. MARIÆ*, repudiata profana appellatione, qua Romanis *Ara Junonis* dicebatur. Cum ad littus pervenimus erat jam nox, reperimuſque præſtolantes milites cum facibus, qui nos in domum olim noſtram deduxerunt: Domus hæc vocabatur *Hoſpitium Indicum*, quod in ea hoſpitarentur Jeſuitæ (e diverſis Europæ provinciis) qui in Novum Orbem ſupplementi cauſa identidem mittebantur, ibique expectabant navim, & navigandi tempus. Prætor urbis (quod ab grato animo dicendum mihi eſt) Comes de Trigona omnibus nos urbanitatis, atque be-

benignitatis officiis excepit, & prosecutus dein est secundum Regis mentem. Monuit idem humanissimis litteris de adventu nostro Præsidem tum Regii Consilii Comitem de Aranda.

LVII. Ceterum Clementi, & sociis tironibus, haud diu datum est in Hospitio commorari. Inde XI. Kal. Febr. evocati sunt, deductique ad Cœnobium RR. PP. Franciscanorum, ut denuo inquireretur de eorum voluntate. Crevit autem non multo post eorum numerus, missis illuc aliis XVIII. novitiis Americanis. Hos Clemens ejusque sodales ita amanter tenereque amplexi sunt, ac tot in ipsorum adventu ediderunt signa lætitiæ, ut stuperent Cœnobitæ, interrogarentque: quid? noveratis jam inter vos? aut sunt ex iis aliqui germani fratres vestri, aut omnino ex eadem estis provincia? Nihil horum, ajunt: sunt e provincia Sanfideana, quæ immenso intervallo a nostra distat: sed sumus ex eadem Societate; hac re gaudemus auctis Sociis. Nec verbis solum benignis amor stetit; sed quibus rebus licuit, & tum, & deinceps eosdem adjuverunt. Erat omnibus cor unum, & anima una. Novi hospites, cum jam ordinata diei tempora ad res spirituales, functionesque reliquas invenissent, illis se se usquequaque accommodarunt.

LVIII. Jam vero hi omnes interrogati a Prætore urbis vellentne veteranos sequi, an a proposito retinendæ Societatis desistere? Responderunt, nolle hanc deserere, illos sequi velle. Quocirca, cum nihil illic proficeretur, si forte locus, & longius tempus eos mutaret, jussi sunt ire (erant jam numero XXXV. e variis Novi Orbis provinciis) ad urbem Xerezium (Xæra, & Cæsariana priscis dicta est) quæ binis leucis distat a portu S. MARIÆ. Ibi in domos religiosas divisi sunt, totque dein eis acciderunt, ut ad explicandum opus esset justo volumine: dicam generatim nonnulla.

LIX. E Cœnobitis (uti factum docuimus in Ameri-

merica, ubique enim terrarum ingenia hominum similia ſunt, atque de eadem re alii aliter ſentiunt) fuerunt, qui conſtantem tironum voluntatem probarent; fuerunt contra qui reprobarent, rati pertinaciam eſſe, & obſtinationem animi, quippe per tot ærumnas, ac mala, & tam triſti tempore, & cum undique tanta in Societatem maledicta publice ſpargerentur, traducereturque ejuſdem Inſtitutum tamquam improbum, noxiumque, ipſi nihilominus ire porro vellent, nullo olioquin obſtricti votorum ſacramento.

LX. Verum tirones ita res ſuas agebant, ſpretis quæ a vulgo dicebantur, ut non inexpertorum puerorum turma, ſed virorum longo uſu exercitatorum ſenatus quidam videretur, ſic omnia providebant, cavebantque. Principio (quoniam virtus conjuncta fortior) communi conſilio ſtatuerunt, ut, cum quis ad eos pertentandos veniſſet, numquam quiſquam ſolus cum ſolo ageret, ſed adeſſet ſimul aliquis ex ipſorum numero, ut ambo aggredientem facilius repellerent. Præficiebant præterea ſibi unum, cui omnes audientes dicto eſſent: quod ſi ille (ut ſæpe contigit) in aliud cœnobium mitteretur, extemplo novum ducem, cui ſancte obedirent, ſubſtituebant.

LXI. Clemens in Dominicanorum æde, cum dies D. Thomæ ſacer ageretur (erat, ut initio docuimus, Clementis ipſius natalis dies) compellavit graviter tirones ſocios: & ecce, ait, quod hodie præclarum ante oculos nobis exemplum proponitur, THOMAS, qui olim tiro, nullis delinitus ſororum blanditiis, nullis fractus fratrum minis injuriiſve, & incluſus caſtro, & conjectus in tetrum carcerem, deſpondit animum, aut ceſſit; ſed perſtitit invictus in ſuſcepto propoſito Divi Dominici Inſtituta ſequendi: hoc adoleſcentis conſtantis eſt, & veri tironis, qui præ Deo cuncta deſpicit. Quo autem THOMAS præmio? maximo, planeque divino. Victor ab duro certamine ad Sanctitatis culmen conſcendit, evaſitque præſtantiſſimum Eccleſiæ lumen, & Theologorum dux,

&

& Doctor Angelicus. Quod si dedisset manus, malisque territus, & fugitivus a domo Dei in domum patriam revertisset, non major esset nunc THOMÆ vel laus vel gloria, quam suorum fratrum, id est, nulla.

LXII. Idem Clemens, cum proxime instarent sollemnia assumptæ in Cælum Virginis MARIÆ, designatus est a tironibus, ut verba ad eos faceret pro concione domestica. Fecit id ille sodales excitans ad Magnæ Matris amorem, imitationemque virtutum, quibus, post vitæ triste tempus, ærumnasque, & dolores morte ipsa amariores, quos *stans juxta Crucem JESU* summo animi robore pertulit, tantum sibi decus, & immortalem triumphum, & inæstimabilem coronam promeruit. Hoc illud est Pauli: *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Parvo quippe labori respondet immensa merces. Verum hortatione, & verbis, potiora Clementis exempla. Pius erat, & modestus, & fortis in adversis, quæ ut sensu æquiore toleraret, octo ibi dies sacris exercitationibus D. Ignatii se se totum dedidit.

LXIII. Inter hæc tirones illic inclusi nosse avebant quid aliis alibi tironibus fieret. Neque id scitu facile erat; Prior enim, vir natura austerus, vetuerat, nequis civium illos adiret. Modum tamen (ut perspicax & ingeniosa est caritas) reperere, quo rem assequerentur. Ibat quotidie mendicus quidam e plebe ad cœnobii ostium eleemosynæ petendæ causa: hunc sibi devinxerunt. Accipiebat ille clam litteras, & scriptas ab aliis clam reddebat. Eamdem deinde operam ipsis præstitit famulus nescio quis, qui item omnia tironibus cupiebat.

PIETAS CLEMENTIS ET CONSTANTIA IN SUSCEPTO PROPOSITO.

LXIV. SEd nihil hic tam dictu dignum, quam eximius amor, quo Clementem, advectosque ex a-

lio

lio Orbe ejus ſocios proſequebatur Xerezianus adoleſcens, Aloyſius nomine, honeſto natus loco. Is illis ut potuit, ſignificavit paratum ſe ipſis gratificari quære cumque poſſet. Ut cognoſcerent de Americanis, in portu S. MARIÆ detentis, talis inita ratio eſt. Per certam cœnobii feneſtram litteras ad eum dejiciebant. Aloyſius fidi inſtar tabellarii ferebat illas ad portum, qui, ut dictum eſt, binis diſtat leucis. Rediens involvebat reſponſa linteolo, perque eam ipſam feneſtram intro immittebat. Accidit quondam, ut, cum e via noctu rediiſſet, laſſitudine preſſus & umbra, faſciculum in aliam feneſtram imprudens conjiceret.

LXV. Mane facto, præteriens illac Cœnobita quidam jacens humi involucrum reperit, ſuſtulitque, ſuſpicatus a quo, & ad quos eſſet. Redit Aloyſius, ut ſe domo expediit, ad deſtinatum locum, ſiquid a tironibus innueretur: nihil innuerunt. Redit poſtridie; ne tum quidem. Die tertia ſollicitus de re tota, cœnobium ingreſſus, it ſurſum deorſum, ſiquem illorum videat; nullum videt: ſed viſus ipſe eſt a Cœnobita, qui involucrum repererat. Quid, Aloyſi, vagaris? quid vis? quin tu ab errore iſto in cellam venis? Cum intus fuit, profert ille linteolum, & noſtine, inquit, cuja eſt res hæc, Novi, ait, mea eſt. Tum Cœnobita: laudo equidem officium iſtud tuum in adoleſcentes hos optimos. Sed cave, precor, & vigil eſto, ac ſic utere amore, ne tibi odium pariat. Hæ litteræ, quantumvis bonæ, & innoxiæ, ſi in alium incidiſſent, caro fortaſſe ſtarent tibi. Nunc perge (licet) ut cœpiſti; ſed noli jactum falli; idque ne fiat, altera tutior feneſtra eſt, qua utaris (eam indicat). Agit Aloyſius gratias pio patri, neque in poſterum a cuſtode ſecreti feneſtra, quam benigne ille oſtenderat, aberravit.

LXVI. Fuerunt inſuper tironibus aſtutiæ aliæ minime malæ, exquiſitioreſque. Reſcierunt unum e ſuis, qui ſolus erat apud RR. PP. Cappucinos, mœrore tabeſcere. Rati ſunt triſtari eum, quod nemi-

nem haberet e familiaribus, quicum ageret. Ergo illorum bini, ut illuc mitterentur, id commenti sunt. Vulgarunt optare se cum Cappucinis domi ipsorum agere. Haud surdis auribus hæc dicta: creditum est (quod ipsi non dixerant) deliberare eos de amplectendo sancto illo Instituto: quæ res pergrata multis futura erat. Nam religiosi viri, etiam illi, quibus tanta tironum firmitas non probabatur, laudabant eorumdem mores, modestiam, silentium, mansuetudinem, concordiam, & pietatem, invitabantque ipsos ultro, ut familiæ suæ nomen darent. Provincialis quidem Mercedariorum a lustrato cœnobio abiens Commendatori dedit in mandatis, ut si quattuor, qui ibi erant, Ordini suo aggregari vellent, statim in suorum numerum referret; sin minus autem omnes, aliquem saltem sibi conciliaret pro tirocinio.

LXVII. Igitur bini illi missi sunt ad Cappucinos. Sed interim tiro ille, quem petebant, ipsis insciis, jussu magistratus, in aliud Cœnobium migrarat. Quid tum facerent consolatores illi spe sua, & proposito dejecti? dissimularunt, tacueruntque. Cappucini, qui eos humanissime, atque benignissime excepere, cum abiisset unus, alter, tertius, plures dies, neque hospites de legendis Instituti legibus verbum ullum facerent, mirari, & hærere. Ad extremum tirones causati cellam, quæ ipsis assignata fuerat humidam esse, nec nisi pisces, & esurialia in cibum sibi apponi (inceperant, opinor, religiosi patres antenatalitiam e laudabili more suo quadragesimam) alio transferri postularunt.

LXVIII. Erat e Senatu urbano, qui dies noctesque novitios fatigabat, ut a proposito desisterent. Non legerat is forsan, aut minus curabat, quod jusserat Rex in monitis secretis (quæ supra retulimus) ad urbium magistratus, nequa instigatio in alterutram partem fieret, dum deliberabant. Illum igitur gravis quidam Curio commonuit opus esse plenum discriminis, magnoque obnoxium piaculo, quemquam cur-

rentem ad ſtatum religioſum importune retinere, aut ei jam addictum vi dejicere. Tum ſuaſor moleſtus ceſſavit ab impugnando, & mitius egit.

LXIX. Clemens menſe Septembri ab æde Dominicana abductus fuit ad domum RR. PP. Carmelitanorum. In adverſariis ſuis cum de religioſis his viris ſcribit Baigorrius, ita eos commendat, ut nihil ſupra. Vocat cœnobium illud ob incolentium virtutes domicilium dignum Sancta Tereſia. Vel ab ipſa hoſpitalitate conjici licet, quantum Cœnobitis illis ineſſet Chriſtianæ benevolentiæ, & caritatis, & miſerationis in alienis malis. Conceſſerunt Clementi Patres liberaliter, ut quibus vellet bibliotecæ libris uteretur (quæ venia non poterat non gratiſſima eſſe legendi ſtudioſo) tum ut iret, quando ipſi & quoties videretur, ad Odæum orandi, adorandæque Euchariſtiæ cauſa. Exultabat gaudio Clemens tam benignis, & ſanctis hoſpitibus.

LXX. Et quamvis nullus non in eum ſinceri amoris ſigna ediderit, tamen Prior (is Decembri dein menſe in tirones alios exutos jam veſte religioſa, ut dicemus, ſtudium item ſuum palam oſtendit) & quidam e ſenioribus eximii in hac re fuerunt. Viſi ſunt hi mihi, ait Clemens, legittimi heredes ſpiritus Sanctæ matris. Cum ſeniore autem illo agebat frequenter, conſcientiæque ſinus omnes eidem aperuit conſilii cauſa: ac magnum a tam experto duce accepit incitamentum ad virtutes perfectionemque. Etſi vero vacarat jam dies octo meditationibus S. Ignatii apud PP. Dominicanos, eas nihilominus de integro hic repetiit, confeſſuſque eſt totius vitæ acta, & cogitata ipſi illi ſeniori, quo ad Sacramentum Pœnitentiæ judice utebatur. Atque exinde nihil præter Dei amorem, & ab hoc amore deſiderium patiendi ſpirare videbatur, ut teſtati ſunt qui cum eo tum erant.

LXXI. Eodem in cœnobio Carmelitanorum egit Clemens Idus Novembres, quæ ſacræ ſunt D. Sta-

nislao tironi Societatis JESU, eumque ita ille venerabatur, ut nihil duri atque asperi exemplo ejusdem Divi (qui inde usque Vienna Austriæ Romam pedes, & mendicus Societatis petendæ causa peregrinatus est) recusaret, quemadmodum professus est datis litteris ad magistrum tirocinii Joannem Escandonium, cum acerba omnia ei proponerentur, si pergeret veteranos sequi. Constantiæ autem hujus præmium fuit quies & pax spiritus, fruebatur enim Clemens inter ipsa rerum adversa singulari lætitia, & animi tranquillitate.

TRAJICIT IN ITALIAM.

LXXII. Video rem me longam facere, morarique nimium Xerezii: ero deinceps brevior. Illic tirones detenti sunt ab ineunte mense Majo ad IV. usque Idus Decembres an. MDCCLXVIII. Et cum post habitas sæpe & severe questiones perseverarent (exceptis novem, qui desciverunt (*a*) in proposito, ab

---

(a) Ex his novem unus fuit Josephus Franciscus de la Rosa ex urbe S. Joannis in regno Chilensi. Vix autem descivit, adeo eum fugæ pœnituit, ut visus similis sit strenuis illis saltatoribus, qui ut ad saltus propositi metam pertingant, paululum regrediuntur, captoque impetu jussum terminum transiliunt ingenti cum plausu spectatorum. Sic Rosa resiliit. Nempe e vestigio summis precibus, velisque & remis ut aiunt, petiit aggregari iterum tironibus. Negavit Chilensis Provincialis Gaspar Guever. Neque tamen ob repulsam despondit animum Rosa.

Cum jam jam Guever cum suis egressurus esset e sinu Gaditano, clam se se Rosa in navim conjecit, latuitque quoad cursu in medio cum rejici in littus non poterat foras prodiit, se seque stitit Provinciali Gueveri. Victus is tanto constantiæ miraculo Sociis eum denuo adjunxit data religiosa veste. Dein cum jam Italiam tenuissent, venissentque Forum Cornelii, inter studia litterarum correptus est Rosa diuturno morbo. Hujus causa Bononiam

ab urbis tandem magiſtratu denunciatum cunctis eſt, urbana eis veſte (quæ publicæ curabatur) indutis abeundum in Italiam, idque ſuis impenſis (quod, credo, inſciente Rege factum eſt, neque enim a Caroli III. liberalitate ſumma, & munificentia, quicquam longius aberat quam pecuniæ parcere) neque fas cuiquam fore ultra ſex menſes in Hiſpaniæ finibus commorari.

LXXIII. Tirones acceptis veſtibus urbanis (quandoquidem ſat norant ſpiritum veri novitii, & viri religioſi non alligatum amictus formæ) convenerunt omnes in cænobium PP. Carmelitanorum, ubi Clemens erat, conſultaruntque inter ſe, quid agerent. Viſum eſt communi conſilio, ut præirent bini in portum S. MARIÆ, quærerentque ædem, ubi ſimul diverſarentur, dum copia navis fieret, & neceſſaria ad navigationem compararentur. E duobus prodromis unus fuit Clemens. Domus commoda citius ſpe reperta eſt. Matronæ duæ lectiſſimæ (quas honoris cauſa nomino) D. Maria de Borgia, & Joanna Arroyabe (diceres Mariam, & Martham) quæſitam ædem inſtrumento omni, ac re culinaria, & vino, & oleo, & aceto, & ceteris inſtruxerunt gratis: tanta utramque caritas, & pius amor ceperat ignotorum ſibi antea adoleſcentium.

LXXIV. Parato hoſpitio, vocati ſunt, qui Xerezii reſtiterant. Ut venerunt, electus protinus eſt, cui omnes ſancte parerent; deſignatus item janitor, & qui

migravit, ibique mortuus eſt die 24. Septembris an. 1771. Adoleſcens fuit inſigni ingenio, & moribus innocentiſſimis, nec carnis ſenſit ſtimulos, teſte eo, qui illius conſcientiam rexit. Medicus Bononienſis ita ejus virtutem inter curandum admiratus eſt, ut & pretium curationis rejecerit, & ultro munera ad ægrum miſerit idque unum petiit poſt mortem, ut ſibi dono daretur Roſarium, quo uſus Roſa fuerat, & quod moriens habebat, Chriſti ſimulacrum, in reliquias ſcilicet.

& qui culinæ, qui triclinii curam ageret, quique ſtatis horis ad ſurgendum mane, ad quieſcendum noctu, & ad exercitationes ſpirituales interdiu ſignum daret. Omnia intus miro ordine & ratione conſtabant. Admittebatur nemo ad inania colloquia, ad pia vero & honeſta adibant eos ſubinde graves, aliqui viri, in primiſque D. Joſephus de la Torre, qui mirifice delectabatur ſermonibus tironum.

LXXV. Hi foras non prodibant iniuſſu præfecti, & bini ſemper, ternive, numquam ſinguli. Intererant quotidie ſimul rei divinæ, ac feria IV., & diebus Dominicis, expiati rite ſacræ menſæ accumbebant. Deambulandi cauſa rus una egrediebantur, ea modeſtia, ut cum quondam ſpatiantes reperiſſet civis quidam aureos ſeptem in ſtipem illis porrexerit. Itaque ædes illa repente in religioſum cœnobium converſa eſt, magnis omnium laudibus, nec laudibus ſolum, ſed ita largis eleemoſynis ut cuncta ad honeſtum victum eis abunde ſuppeterent.

LXXVI. Interea miſſus eſt Gades, qui de navi curaret. Ibi quoque (ut opulentum emporium eſt) plurima in tironum ſinus affuſa ſunt. Quid verbis opus eſt? Conjice hinc quanta fuerit piorum civium in eos liberalitas. Navis (*Sagittam* vocant ab acuta proræ forma) ipſis conducta, commeatuſque, de quo cum Navarcho pacti ſunt, ſtetit millenis quinquagenis aureis. Tantum æris binæ urbes largitæ ſunt peregrino illi juvenum manipulo; & fuit, qui vicenos aureos ſimul illis dederit, & qui centenos, præter aliorum dona alia: cumque moleſti in petendo eſſent nemini, tamen in Portu S. MARIÆ menſis dumtaxat & quinque dierum ſpatio collecta ſunt ſcutorum Hiſpanicorum ſexcenta: adde huc Gaditanorum beneficentiam.

LXXVII. Igitur cum gratias egiſſent maximas bene de ſe meritis, pia turma (erant numero XXVI.) Gadibus ſolvit VII. Kal. Febr. an. MDCCLXIX., difficili ſane anni tempeſtate ad interni maris trajectio-

ctionem. Ob id tarde atque incommode navigarunt, coactique sunt vel adverso vento, vel penuria commeatus, qui interdum supplendus fuit, plures portus subire. Ita per varios casus, & discrimina rerum bimestri amplius cursu, Kalendis Aprilibus ad Tiberis oram salvi incolumesque pervenerunt.

LXXVIII. Neque hic omittendum est, cum jam appellerent, fuisse quemdam e procaci vulgo, qui & vectos navi tirones maledictis incesseret, & vehentes nautas allatraret, quod eam pestem, & intestata capita auderent Romæ inferre. Aderat forte vir religiosus (cujus familiæ nescio). Is Tiberinæ illi, ut ita dicam, ranæ os obtudit. Et vero tu, inquit, impudens es, & duræ frontis homo, qui opprobriis afficis eos, qui summæ laudis digni sunt. Adolescentes hi, si nescis, honesto nati loco huc veniunt, relicta domo & suis, ut quam polliciti sunt, Deo fidem præstent, retineantque vitæ genus, quod pie & sancte elegerunt.

LXXIX. Præmiserunt tirones in Urbem communi consilio Clementem cum comite, qui de ipsorum adventu certiorem facerent Præpositum Generalem Laurentium Riccium. Is tirocinium S. Andreæ in monte Quirinali ad hospitandum illis assignavit, eoque se se recta, inspectante populo, contulerunt. Capta ibi XL. dierum quies; tum venerati sunt caste & religiose Ss. Apostolorum limina, atque alia sacra monumenta, utique domestica S. Ignatii, S. Francisci Xaverii, & Borgiæ, & Aloysii, & Divi Stanislai, cujus in domo habitabant. His actis, cum Orator Regis Hispaniarum Caroli III. (qui post deletam Societatem jussit haberi tirones veteranorum numero & conditione, quod ad annuum subsidium attinet) divisi sunt in varias Status Pontificii urbes, ubi prisci ipsorum sodales jam pridem habitabant.

FAVENTIAM VENIT.

LXXX. CUm socii & comites Clementis fecerint, ut multa de eis diceremus, erat enim communis sors, nec commode separari poterant; hinc jam de solo Clemente agemus. Ex quo religiosam vestem resumpsit, perpetuum deinceps ipsi gaudium fuit, ajebatque præteritos labores ærumnasque videri sibi quamdam aquæ stillam, immensum vero Oceanum voluptatem illam & lætitiam, qua tum afficiebatur.

LXXXI. Cum per Picenum iter ageret, uno commoratus est die Laureti. Hic noxis rite expiatus petiit sacram Eucharistiam, magnoque animi sensu gratias egit, se seque totum devovit hospiti cœlesti, qui ea in æde induit humana membra, & homo factus est. Faventiam Clemens pervenit IX. Kal. Majas an. MDCCLXIX. ac summo gaudio post tot temporis & locorum intervalla salutavit veteres suos sodales Paraguaycos, quorum pars maxima ea in urbe constiterat. Nuncupatis dein votis religiosis, quibus aliquot dierum sacrum secessum præmisit, ad studia litterarum alacriter incubuit, exorsus ab humanioribus litteris, & elementis linguæ Græcæ, brevique tempore in re utraque insignem progressum fecit.

LXXXII. Inter hæc morbo tentatus est. Domus administer Ignatius Deya eum monuit, ne ultra pergeret curam agere alterius ægri, curatoremque alium substituit. Clemens contra, Deyam rogavit, ne vellet eo se munere & officio privare, cum leve admodum esset malum suum, & sibi aliunde suppeteret virium, quibus opem habenti pejus ferret. At sub medium mensem Decembrem vires Clementem plane defecerunt. Inita a medico curatio nihil profuit. Cum emissus illi primo est sanguis, ubi micantem vidit, hunc dixit optabam ego fundere pro Dei gloria, & salute Ethnicorum (nempe eorum, qui Clementem vix natum, ut initio diximus, pæne oppresserunt).

LXXXIII.

LXXXIII. Morbi vi corruptus est pulmo: & jam nec cibum capere, amisso prorsus palati sensu, nec cubare nisi supinus poterat, recumbens enim in alterutrum latus ingenti dolore premebatur. Pace & tranquillitate usus jugi est, nullumque impatientis animi signum dedit. Adeuntes comiter accipiebat, respondebatque breviter, si de statu morbi interrogaretur. Gaudebat autem, ubi de forti ad omnia Job sermo inciderat, quod tanto exemplo ad facilius tolerandum mala accenderetur. Libenter item audiebat, quæ de subiicienda voluntate Dei ordinationi, & jussis, ipsi prælegebantur, repetebatque sæpe: *sic Deus vult: fiat voluntas ejus.*

LXXXIV. Medico, & curatori ita erat obediens, ut omnino illorum staret dictis. Et cum nihil jam nisi stomacho fastidiente posset glutire, satis fuerat, siquid valetudinarii custos tradidisset, ut vel invitus dape vesceretur. Medicinas quantumvis amaras atque ingratas minutis sorbillis hauriebat, quo diutius duraret tædium: ita ille in omnes partes se se cruciandi intentus erat: neque id tum in eo recens, aut novum: nam solitus fuit singulis hebdomadis se se ter flagris cædere, & cilicio quotidie ad certas horas uti.

LXXXV. Cilicium vero oculorum, ut ita dixerim, Clementi perpetuum. Modestissimus erat intuitu, ineratque quædam illi naturalis gravitas in aspiciendo agendoque & loquendo (ut alibi docuimus) jam inde a teneris annis. In ipso lecto ita compositis cubabat & habitu, & vultu, ut nihil a morbo impeditus vel aliquid attente meditari, vel cum præsente Deo assidue agere videretur.

CLEMENTIS RELIGIO ET PIA MORS.

LXXXVI. VIrginem MARIAM, cui tot erat obstrictus beneficiis, haud aliter quam matrem coluit, eaque ad adquirendas virtutes præside, atque adjutrice

ce utebatur. Prosecutus autem illam est maxime ab titulo PACIS, quo titulo festus dies agitur apud Hispanos mense januario. Imaginem, qua hæc privatim Dei Matris laus exprimitur, habebat usque Clemens secum, jam jamque moriturus sibi eam dari in manus voluit, cum ipsaque mortuus est. Post mortem inventa fuit schedula, ubi scripserat, quid per MARIAM obtinere præcipue a Deo optaret, I. summum, quoad ejus fieri posset, amorem Dei. II. eximium erga ipsam Dei Matrem obsequium, singularemque religionem.

LXXXVII. Quippe id Clementi moris erat, ut quæ fieri oportere intellexisset, in libellum conjiceret memoriæ causa: ibi quæ in semet emendanda atque corrigenda deprehenderat, sigillatim adnotabat, ut illa accuratius vitaret in posterum. Ejusmodi codicilli, eo mortuo, inventi aliquot sunt, ex eisque constat, quantus Clementis esset conatus ad assequendam perfectionem vitæ religiosæ cum intento studio paupertatis, & castitatis, & obedientiæ, ceterarumque virtutum, quarum sat, arbitror, multa exempla retulimus.

LXXXVIII. Insignem etiam amorem professus est in D. Ignatium, & Stanislaum, & Aloysium; quem sibi imitandum proposuit. Et vero pluribus in rebus non absimilis Aloysio fuit, constantia nimirum in quærendo retinendoque statu religioso, in ferendo alacriter Crucis jugo, in amore erga proximos, & caritate erga Deum, & cultu erga Eucharistiam, quam frequenter adibat, & profunde adorabat. Qua in re illud dictu dignum est. Interrogatus quondam, an cum Laureti fuit; sensisset certum quemdam pietatis gustum, quem adeuntes Virginis sacratam ædem percipere dicuntur? Sensi equidem respondit, sed continuo addidit: verum pius ille sensus major non est, quam quo is afficitur, qui viva fide latens in ara Numen invisit, & sancte veneratur.


LXXXIX. Accessit ad imitationem Aloysii vera humi-

humilitas, qua se se nullius pretii existimabat. Cum desperata jam esset valetudine, ita eum quidam affatus est: gaude, Clemens, etiam morbo (phtysi) quo moreris similis es Aloysio: ad quem ille: egone similis Aloysio? heu quantum ab illo disto! Vellem equidem fuisse me Divo similem, & hac nunc re gauderem maxime. Dicente alias alio: magnum tibi a Deo stat præmium, tot siquidem tantaque pro ejus amore passus es. Hic vero obstupuit. Quid ais? pro Deo nihil ego passus sum; pro me Deus plurima, & maxima.

XC. Ubi morbus invaluit, donatus est divino Viatico, quo jam sumpto petiit a præsentibus, ut sibi ignoscerent quacumque in re ipsos offendisset. Dein cum ungeretur sacro oleo, respondit tranquillo animo ad Ecclesiæ preces. Jam morti vicinior, cum a Sacramenti pœnitentiæ ministro interrogaretur, numquid eum angeret, aut conscientiam pungeret? nihil, respondit. Postea vero cum oculos ad lecti latus intendisset: *Maurus*, inquit, *ibi est*. Quid? illum times? ait adstans Sacerdos. Non timeo, dixit, & siluit.

XCI. Iterum dein dixit: *ibi Maurus est*, & locum designabat. Tum Sacerdos ea parte imaginem Deiparæ morte Jesu dolentis appendit, & nihil ultra Clemens de Mauro addidit: neque nos scimus quid istud rei fuerit: tantum auditus est cum diceret: vos, qui indigni estis, non videbitis faciem Dei: atque hæc ultima Clementis fuerunt verba. Mortuus est X. Kal. Febr. an. MDCCLXX., natus annos XXIII. menses IX. dies XV. ætate fere æquali Aloysii ætati. Postridie sepultus est in templo Jesuitarum, magnumque sui reliquit desiderium iis, qui ejus dotes, & virtutes norant, fuitque qui in memoriam adolescentis optimi sibi illius imaginem pingi curarit.

FRAN-



FRANCISCUS URREJOLA

SCHOLASTICUS

ET JOACHIMUS IRIBARREN

LAICUS.

COgit me quodammodo vita, quam ſupra ſcripſi, Clementis Baigorrii addere hic aliquid de Franciſco Urrejola, & Joachimo Iribarrio, quibus ille dux ad virtutem, & hortator fuit. Et de Urrejola quidem id poſcit, quod omnium tironum fuerit natu minimus; de Iribarrio autem, quod eorumdem tironum primus e laicis poſt Clementem obierit inſigni pietate adoleſcens.

UTRIUSQUE EDUCATIO ET INGRESSUS IN SOCIETATEM.

I. TAmetſi longiſſime inter ſe diviſi fuerunt patria Urrejola, & Iribarrius, alter enim in Tucumania, alter in Cantabria natus eſt; tamen educatio (ut non aliter in America, aliter in Europa, e JESU CHRISTI lege, quæ ubivis eadem docet, boni patresfamilias ſentiunt) educatio, inquam, par utrique fuit pia & liberalis, eaque præſertim ab amborum matre, materna enim ſedulitas & diligentia tum in Urrejolam, tum in Iribarrium longe eminuit: Rebeccam illas diceres, ſuo quamque dilecto Jacobo, ſingulari cura omnia proſpicientem.

II. Urrejolæ nobilior obtigit patria, Jacobopolis, quæ olim princeps fuit urbs totius Tucumaniæ ob erectam ibi e diplomate S. Pii V. cathedram Epiſcopi, & poſitam e Regis Catholici voluntate aulam

Prætoris, qui omnibus Tucumanicæ provinciæ finibus jus dicebat. Sed Jacobopolin illustravit plurimum D. Franciscus Solanus, qui diu illic commoratus Franciscanis Patribus templum condidit, atque etiam nunc extat beata cella, quam incoluit, & Sacerdotalis palla, qua ad aram sancta sancte tractabat.

III. At vero urbium (ut hominum) instabilis sors est & varia fortuna, quippe in altum alias attolluntur, alias dejiciuntur gradu suo, instar volantis coelo flammæ, quæ modo micat, modo evanescit. Solium illud Antistitis, quod primus ascenderat vir præstantissimus ex Ordine S. Dominici Franciscus Victoria, decreto Innocentii XII. Pontif. Max. translatum fuit e Jacobopoli Cordubam, quæ tutior sedes est ab incursionibus barbarorum. Prætor autem migravit Saltam, quod urbs hæc vicinior sit Peruvio (quocum Tucumani multa commutant) ac munitior stagnantibus circum aquis.

IV. Ceterum Urrejolia familia inter majores suas recenset Alphonsum de Alfaro, qui Jacobopolitanorum omnium ditissimus fuit, & (quod laude dignius) liberalissimus in pia opera. Ære suo Cathedralem ædem, templumque Mercedariorum religiosorum refecit: Franciscanis autem patribus, & Dominicanis large subvenit. Idem ad tradendas civibus D. Ignatii pias commentationes asceterium aperuit, vectigalque instituit, quo quotannis Ignatii ejusdem sacer dies sollemni cærimonia celebraretur. Quid multa? Inopum familiarum nulla ejus munificentiæ expers in urbe fuit. Ita de publico benemeritus summum in provincia honorem adeptus est, renunciatus Prætor, quo in munere administrando diem extremum obiit.

V. Tali nobilis proavo natus est Urrejola anno MDCCL. Nonis Octobribus, quo die aguntur coelestia natalitia D. Francisci Assisiatis, cujus illi nomen impositum. Pater Stephanus, & mater Josepha Penalosa acceptum a Deo pignus dignis Dei moribus imbuere sedulo curarunt. Ubi autem sollertium ope-

ra magistrorum prima ille elementa litterarum, & grammaticem didicit, sentiens se se divinitus vocari ad charismata meliora, cooptari voluit in Societatem; utque ejus pietas, & religio, & modestia, & docilis indoles, & ingenium, & alacritas in gymnasii pensa, & observantia in majores omnibus probabantur, factus est voti compos. Tirocinium Jesuitarum erat Cordubæ; quæ Jacobopoli distat CX. leucis, idque puer longum iter (libente in primis matre, quæ Jacobum hunc suum Dei causa mittebat peregre) lætus suscepit præ desiderio vitæ religiosæ, adscriptusque Sociis est X. Kal. Octobr. an. MDCCLXVI.

VI. Quinto post Urrejolam mense, Nonis Februariis an. MDCCLXVII., adiit idem tirocinium, longiore itinere CXXX. leucarum, Iribarrius, profectus ab urbe Bonaurensi. Cur huc ex Europa navigarit, causa hæc fuit. Familia Iribaria in oppido, cui nomen Hernani, inter Cantabros honestissima est. Joachimi pater mature vitá decessit: vidua mater, postquam filium domi, ut ingenuum decet puerum, educavit (ab educatione hac pia & proba Joachimus jam adolescens magnopere matrem laudabat memor beneficii, quo nullum majus liberi a parentibus possunt accipere) Gades, celebre illud Hispaniarum emporium, misit, ut ampliores sibi fortunas quæreret.

VII. Joachimo ob commendationem eorum, qui omnia ipsi cupiebant, opulenta illa in urbe contigit patronus, quo nec cliens ipse, nec clientis mater, optare meliorem quibant. Dives erat, sed idem in primis pius, lascivæque osor licentiæ, & qui ita tempus partiebatur, ut rerum cœlestium considerationi partem diei attribueret, partem domesticis negotiis, destinarat enim animo (ut Christianus omnis debet) ante omnia Deo obsequi, & secundum Deum dare operam rei familiari ex Christi oraculo: *quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

VIII.

VIII. Viſa Iribarrii ingenua indole, patronus pro filio clientem habuit, & cliens viciſſim pro patre patronum coluit, moremque ita ei geſſit uſquequaque, ut non niſi cum vellet, & quibuſcum vellet, & quo vellet, domo egrederetur. Vigil autem cuſtodia rei ſibi creditæ, & urbis templa, & brevis deambulatiuncula diebus feſtis, erant omnia innocentis juvenis oblectamenta.

IX. Etſi autem patrono optimo acceptiſſima erat Joachimi induſtria, atque incorrupta fides, tamen ratus eſt e re ipſius clientis fore, ſi Bonaſauras trajiceret cum commendatiis, quas dedit, litteris. Adquievit Iribarrius conſilio (ſic enim adoleſcentes ſunt, ut viſendi peregrina amor alio atque alio eos agat) & navigavit. Illic navi egreſſum excepit domo honeſtus quidam civis, cujus pietatem vel hinc conjice. Quotidie noctu aliquo e libris V. P. Ludovici Pontani (*de la Puente* vocant Hiſpani) poſito inter micantia utrimque lumina veritates æternas ibi contentas flexis genibus meditabatur. Sed erat idem natura aliquanto aſperior, ut vix apud eum familiares durarent: tamen illum novus cliens modeſtia, ſedulitate, diligentia, & miti ingenio, & obſervantia adeo ſibi devinxit, ut beatum ſe patronus apud amicos prædicaret ob acceptum domi ſuæ Cantabrum hoſpitem.

X. Et vero nihil in hoſpite erat Cantabro, quod laudare jure non poſſet. Quotidie mane templum adibat ad rem divinam, veſperi Roſarii precibus apud Dominicanos intererat, audiebat cupide ſacras conciones, fugiebat liberiorum adoleſcentium prava conſortia, frequentabat Sacramenta, levioris ſexus vitabat colloquia. Qua in re id aliquando obſervatum eſt. Clientem miſerat patronus in villam honeſti amici, ut animum aliquantiſper a curis domeſticis remitteret. Erat ibi villæ domina, & cum domina pediſequæ ancillæ. Cum his ut quam poſſet minime Iribarrius ageret, maximam diei partem vel in horto ſolus ponebat, vel ruri ſpatiabatur; cujus receſſus

caufa non erat hifpida rufticitas, aut mores inconditi (fuit enim ille apprime comis urbanufque) fed fumma honeftas, & prudens cautio pudici adolefcentis.

XI. Inter hæc, otium ei conceffit patronus, ut D. Ignatii commentationibus vacaret. Binas habebant (ut fæpe diximus) in hanc rem domos Jefuitæ Bonifauris alteram pro fœminis, alteram pro viris: huc fe fe Iribarrius recepit. Procul a turbis, & *in folitudine* Deus *ad cor* meditantium fidei myfteria *loquebatur*, id quod tum accidit Iribarrio, ex illo quippe afceterio melior multo prodiit, & cum faftidio quodam mortalis fpei, & fortunæ.

XII. Res eo recidit, ut Societatem JESU peteret. Confcientiæ moderator, licet optimi adolefcentis mores valde probaret, id negotii ampliandum cenfuit, ac multa objecit, quæ Joachimi confilium retardare poffent. Sed conftantia Iribarrii obftantia quæque perrupit, exceptufque Cordubæ in tirocinium eft eo die, quem fupra retulimus.

XIII. Atque hic quidem liceat in re parva nobis uti magno exemplo. Auguftinus adolefcens, fequente matre, ex Africa in Europam trajecit, ut opibus crefceret; fed Deus illum ab errore tum deduxit, & religiofum virum dein fecit, compulitque in pia clauftra: Joachimus navigavit, matre confentiente ex Europa in Americam divitiarum Novi Orbis appetens, at ibi ab auri argentique cupidine traductus eft divinitus ad paupertatem votivam, quam rigide coluit. Adeo Dei & hominum confilia diverfa funt.

UTRIUSQUE TIRONIS EXILIUM ET TRAJECTIO IN ITALIAM.

XIV. CONjunxerat jam locus & vera caritas Urreiolam & Iribarrium, neque deinceps divifi umquam funt. Tironum officia fic Cordubæ implerunt, ut Urrejola quidem, in Mariæ optimam partem afcitus folida jecerit fundamenta virtutum, quibus poftea

cum

cum ſtudio litterarum pietatem coleret, modeſtus, humilis, dicto audiens vitæ ſpiritualis magiſtro, & jam tum animo paratus ſcientiæ Sanctorum profanam eruditionem poſtponere. Iribarrius autem, qui Marthæ elegerat munia, in eas præcipue incubuit corporis & ſpiritus exercitationes, quas in laicis optabat S. Ignatius. Abnegata penitus voluntate propria ſe ſe totum in regentium arbitrium ſancte conjecit, otii inimicus, & laboris avidus, & vilia quæque domus miniſteria libenter arripiens, & amans piarum rerum, & Sacerdotum eximie reverens, & religioſæ perfectionis ſatagens ante omnia.

XV. His uterque veri tironis partibus intentus erat, cum Cordubæ indictum nobis exilium eſt. Quid tum in Fabroniano carcere (ſic voco triclinium, quo Faber tribunus nos aſpere incluſit) egerint, & quid in cœnobio deinde RP. PP. Franciſcanorum, ne ſigillatim dicamus facit narratio hujus rei poſita in vita ſuperione Clementis Baigorrii. Ducti poſtmodum ſunt in navim, atque a navi ad novam quæſtionem Bonaſauras. Hic in diſpari conditione par eluxit Urrejolæ & Iribarrii conſtantia. Urrejola erat omnium tironum minimus, & pæne puer, ob idque commiſerationem omnium excitabat, quod ita molli ætate arripiendus eſſet in tot terræ mariſque diſcrimina.

XVI. Honeſta erat & liberali forma, ex eaque dignior meliore ſorte pleriſque videbatur. Quid? Is cum Jacobopolin tanto minori itinere redire poſſit, ibique cum conſanguineis, cum fratribus, cum ſororibus, cum matre, paterna, in domo commode ac tranquille queat vivere, ſe ſe in anguſtias navis ultro detrudat, & Oceani perferat mala, & ventorum vim procellaſque! Amavit Societatem; eſto: ſed Societatis ſors mutata eſt; mutet & ipſe conſilium & ſententiam, quod quidem ſine inconſtantiæ nota fas ei facere: patriæ certe & ſuorum caritas anteponenda eſt (ut veri amoris lex poſcit) caritati nimiæ, inconſulteque, qua quis alienos diligit, ſectaturque.

XVII. Hæc nullum minus movebant, quam pro quo dicebantur. Quod si justa quorumdam erat hujusmodi miseratio, ut cum fugiens olim e regia David sequenti Æthai centurioni dolenter dixit: *revertere . . . . quia peregrinus es, & egressus de loco tuo. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi?* tamen illud ejusdem fortis Æthai, si minus verbis, respondit facto Urrejola: *quocumque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus* (*a*).

XVIII. Quippe ille adeo propositi tenax erat, ut decreverit (si aliter cum Sociis Cordubensibus ire in Europam non posset) vel famuli personam induere, & sic cum eisdem navigationis ærumnas subire. Tanta autem in tam tenera ætate firmitas doluit, opinor, maxime civi illi Bonaurensi, qui & eloquentia, & ingenio, quo valebat (ut dictum alibi est) nihil non egit ad labefactandos novitiorum animos, doluit scilicet, cum viderit omnem se operam lusisse in oppugnando tirunculo; sed meminisse idem debuit novum non esse, ut vel gigas altissimus ab humili puero sternatur non aliis armis, quam funda.

XIX. Rem multo expeditiorem fuisse Irribarrio Bonifauris putabit fortasse quispiam. Nempe venerat illuc ex Europa, atque indidem redibat in Europam: hic suos habebat, in provincia Paraguayca suorum neminem. Hæc vera sunt; & tamen Iribarrio in urbe Bonaurensi gravior pugna fuit, quam ipsi Urrejolæ. Patronus (quem paucis ante mensibus mœstum reliquerat) tamquam filium post liminio redeuntem, optabat illum domi excipere: ac præterea patebant optimo adolescenti omnes omnium ædes, qui illum norant, & amabant.

XX. Et vero fuerunt jam, qui gratularentur pristino patrono, quod suum Cantabrum habiturus esset

(a) *II. Regg. c. XV. vv. 19. 21.*

esset secum denuo, quandoquidem remanendi potestas illi erat, nec potestas solum, sed ut id ipsum faceret, enixe rogabatur. Patronus autem, cui melius quam aliis Joachimus cognitus, vellem, ajebat, id fieri, sed non fiet. Urgent contra amici; & tu, inquiunt, ineptus es, qui miseram, & abjectam, & infamem nunc Societatis sortem ab eo sequendam putes, qui ut sedulus, & probus, & pius est & fidus, hic opes sibi & commoda brevi parabit. Quibus ille iterum: ah! non nostis Irribarium meum, non nostis ejus constantiam: stabit, non cedet, abibit: Jesuitis adhærere voluit, Jesuitas non deseret, quidquid in eos convitiorum jactetur, aut mali agatur. Vin igitur (addunt illi) nobiscum sponsione certare haud factum secus iri, quam ut Iribarrius tuus Bonisauris maneat? Hic demum patronus, certare non possum, nec quicquam spondere, salvo officio, cum res hæc non dubia, sed certa mihi prorsus sit. Eventus docuit, quam recte de Iribarrio vir is prudens sentiret.

XXI. Ergo post duram quæstionem Urrejola, & Iribarrius restituti sunt navi nostræ, qua inter pias tironum exercitationes Oceanum transmisere. Secuta dein sunt illa & in Portu S. MARIÆ, & in urbe Xerezio, severa examina; atque utrobique uterque fuit, qui fuerat Bonisauris. Interea e flumine Argenteo egressa post nos navis Smaragdos, appulit Gades, exposuitque CLII. alios Jesuitas Paraguaycos. Ex his unus erat Vincentius jamdiu Sacerdos, Francisci germanus frater, qui fratrem agentem tum Xerezii de adventu suo confestim admonuit.

XXII. Incredibile dictu est, quantum hoc nuncio gavisus sit tiro Urrejola. Per fidum adolescentem (cujus in vita Clementis Baigorrii mentio fit) ad Vincentium scripsit. Litterarum (quas vidi) hæc summa fuit. Bene factum, & gratiæ sunto maximæ Deo nostro, qui te, & tecum Socios Paraguaycos incolumes adduxit. Undique laudandi Patris misericordiarum se se nobis causæ objiciunt ob singularia

 be-

beneficia, quæ ab eo accipimus. Hic anguste vivimus, & multa desunt. Sed inter ipsas rerum angustias adeo læti sumus, ut neque ego id explicare possim, nec tu intelligere, nisi præsens adsis. Longa, arbitror, me adhuc via manet, & ampla ærumnarum seges. At fretus Deo, nihil metuo, ejusque ope ad aspera quæque pro studio retinendæ Societatis me paro. MARIA Virgo est mater nostra, & magistra, & consolatrix. Tu tamen cum Sociis tuis noli cessare a commendandis Deo iis tironibus, qui mecum sunt, & me. Quod autem initio dixerim, deesse hic nobis multa, non eo dixi, quod, si quid tibi est ad inopiam hanc sublevandam, velim huc mittas: ne istud feceris, oro, etiamsi possis facile: patere me paupertate mea frui: quippe usu ipso experrimur nunc nos illud: *nihil habentes, & omnia possidentes*. Vale. VII. Kal. Septemb. an. MDCCLXVIII.

XXIII. Is Urrejolæ, & Iribarrii simul, erat animi sensus, quem ambo retinuerunt in secunda illa navigatione, qua tirones, conducta navi, omnes una Romam trajecerunt. Diximus alias incommode eos navigasse. Et quidem cum increbuisset quondam ventus, tumentesque fluctus adspergerent navis foros, madefacta est culcitra Iribarrii. Is, ut erat robustus, voluit illa uti nondum sicca: sed humidus ei somnus caro stetit, nam ab liquore noxio vitium valetudinis contraxit, quod dein ipsum diu male habuit.

XXIV. Post brevem Romæ commorationem, & culta Urbis sacra monumenta, uterque Faventinam (salutata ex itinere B. MARIÆ æde Lauretana, & accepto JESU corpore in JESU ipsius veteri domicilio) venit. Urrejola humaniorum litterarum, & Philosophiæ studio vacavit non sine laude ingenii, & (quod pluris est) cum vera pietate, & constanti religiosæ disciplinæ cura. Iribarrius vero ad propria laicorum ministeria incumbens, omnem, quam potuit, opem Sacerdotibus in domo, quæ instar collegii cujusdam erat, alacer & indefessus præstitit.

MORS

MORS URREJOLÆ.

XXV. Cœperat jam Theologiæ operam navaræ. Et cum pro consolandis adolescentibus, qui gravioribus disciplinis instituebantur, & se se optimis probarant moribus, decrevisset provinciæ præfectus eos sacro Antistiti sistere ad majores Ordines, Urrejola Subdiaconatu & diacunatu donatus est. Ne in Sacerdotalem etiam gradum eveheretur, obstitit ætas nondum legittima: id autem obicis victum est paulo post oblato libello supplice Clementi XIV. Pontif. Max. qui benigne annuit, ut ante statum tempus Sacerdotio initiaretur, initiatusque est an. MDCCLXXIII. IV. Kal. Martias, quo ab die ad diem usque XIV. Kal. Apriles, qui sacer est D. Josepho, se se paravit ad primitias Sacrificii, quod tum (Sponso B. MARIÆ auspice, & præside) litavit.

XXVI. Quinto post mense Societas suppressa est. Dissolutis contuberniis, quæ Collegiorum formam quamdam referebant, Franciscus e domo studiorum in eam migravit, ubi habitabat Vincentius germanus frater, quicum deinceps ad extremum usque diem egit. Vestes (jussus veterem deponere) ex usu regionis ad pomeridianam deambulatiunculam breviores induit & speciosiores, quam vellet Senex quidam civis (ut Urrejola ipse) Jacobopolitanus, cujus bene longam declamationem vidi, qua, prisci vir moris, probatis cetera Urrejolæ rebus, contendit & ab eo, & ab aliis demissa ad talos toga veterem Sacrorum canonum gravitatem repræsentari debuisse, & usque debere.

XXVII. Verum cultus ille, qualiscumque fuerit, haud diu duravit, emarcuitque *instar virgineo* (ut ait gravis vates) *demessi pollice floris, seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi .... quem non mater alit tellus*. Quippe Franciscum florida in ætate cor-

 ripuit

ripuit lenta febris cum tuſſi, quæ toto triennio medicinæ nulli ceſſit. Menſe Julio an. MDCCLXXIX. medicus clare (ut debuit) denunciavit rem eſſe prorſus deſperatam. Quæſivit ab eo eger, quantum cenſeret ſibi vitæ reſtare? Ad Septembrem, ait, vel Octobrem menſem. Hoc Urrejola tempus impendit totum ad mortem rite obeundam. Cum ſacrificare nequiret viribus defectus, aderat quotidie ſacrificanti: ubi autem ne id quidem potuit affixus lecto, rogavit ſupplex, ut ſibi bis inter hebdomadam cœleſtis panis deferretur. His munitus præſidiis aſpiciebat impavidus appropinquantem diem, cujus ſalutari memoria nolebat, ne fluerent inanes horæ, ab adeuntibus officii cauſa niſi de piis, vel ſeriis rebus ſecum agi.

XXVIII. Expiavit ſe ſe ſemel atque iterum totius ante actæ vitæ confeſſione; ac demum divino inſtructus viatico, & ſacro unctus oleo, integra ſemper mente, & ſibi conſtans, æternum iter ingreſſus eſt an. MDCCLXXIX. VI. Idus Octobres, qui dies conſecratus eſt beata morte D. Franciſci Borgiæ, cujus patrocinio (ut fas ſperare) in locum lucis & pacis migravit. Sepultus eſt (prout ipſe petiit) in collegio, quod Jeſuitarum fuit, & jam attributum erat RR. PP. Ciſtercienſibus.

MORS IRIBARII.

XXIX. CAſus Societatis vehementer Iribarrium afflixit præ amore, quo illam tenerrime proſequebatur. Sed veneratus Dei juſta judicia, ex ejus Vicarii decreto veſtem mutavit, mores non mutavit. Singulis hebdomadis vel bis, vel ſaltem ſemel rite expiatus accedebat ad ſacram menſam. Plures diei horas partim meditationi rerum cœleſtium, partim lectioni ſpirituali, partim precibus Roſarii, partim aliis animi exercitationibus dabat. Delectabatur plurimum de Deo agens diviniſque rebus. Oderat otium, & publica

blica ſpectacula. Veſperi ſecedebat in aliquod templum, ibique longum orabat.

XXX. Ceterum de ſtudio Sacerdotes adjuvandi nihil remiſit, aderatque præſto omnibus, quibus poterat. Et quidem quod ad ægros attinet, nihil erat tam humile, & abjectum, quod non volens, & libens ſubiret, idque ob purum Dei amorem, nam quicquam (vel ſi non paucis rebus indigeret) a quoquam accipere, etiam ſæpe rogatus, recuſabat.

XXXI. Die ſacro D. Joachimi præſidis ſui annuæ memoriæ, correptus eſt febri ardentiſſima. Tum patuit, quanti a priſcis Sociis fieret Iribarrius, plena enim domus erat offerentium ultro ſe ſe, & operam ſuam, & impenſas omnes ad curationem. Crevit morbus. Iribarrius ſingulari lætitia, & religione cæleſte viaticum in domum æternitatis accepit. Ubi actum de extremo Sacramento, oſtendit velle ſe, dum integris valebat ſenſibus, eo muniri, ſe ſeque ad illud pie comparavit.

XXXII. Toto morbi tempore eximia patientiæ exempla dedit. Vicinior jam morti ea erat animi quiete, & tranquillitate (qui fructus bonæ conſcientiæ eſt) ut nihil ſupra. Dei ope confiſus, & Virginis MARIÆ fretus præſidio ad cœlum anhelabat, ubi Summo Bono, atque Ignatii Cantabri Cantaber ipſe dulci complexu frueretur. Interrogatus a gravi Sacerdote, viſne, Joachime, ire, an manere? Reſpondit: melius ire, melius mori, & diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Obiit III. Kalend. Septembr. anno MDCCLXXVII., biennio ante Urrejolam. Sepultus eſt in templo S. Philippi Nerii. Natus fuerat III. Idus Jul. an. MDCCXLIV.

COSMAS AGULLO

SACERDOS.

VALENTIA caput cognominis regni in Lacetanis, quamvis laudabilis ſit aliis nominibus, pulchra enim in primis urbs eſt, & nobilis, & dives, & frequens, præſtanſque civium induſtria, ſericiſque artificiis, præter acria ingenia ſtudentium litteris; tamen ab ſcriptore rerum Americanarum, eo potiſſimum titulo laudanda eſt, quod Novo Orbi (ut veteri Vincentium Ferrerium dederat) Apoſtolum miſerit ſanctiſſimum illum virum Ludovicum Beltranium (*a*), cujus de meritis in Indos Hiſpanoſque transmarinos nulla deinceps ætas conticeſcet.

Ex eadem metropoli Valentia abiit in Paraguayam (quæ regio Americæ longe admodum diſtat a felici regione, quam Beltranius ſudore ſuo excoluit) Coſmas Agullo animarum ſervandarum zelo & pietate inſignis, qui ſi minus Ludovico illi par fuit (omnium enim non eſt Heroas factis æquare) imitari ipſum & ſequi voluit quidem certe.

COSMÆ EDUCATIO.

I. DE hoc præſtanti viro ſic ego exiſtimo, cuncta, quæ egit, quibuſque maxime excelluit, comprehendi poſſe illis Pauli verbis ad Philippenſes: *charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, &* in

(*a*) *Sunt, qui ſcribant* Bertran; *ſed cives Valentini, quorum in hac re potior ſententia,* Beltran *conſtanter dicunt.*

in omni ſenſu, ut probetis potiora, & ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti (*a*).

II. Ecce hic tibi, quæ in Coſma omnium judicio eminuere, *CARITAS*, *SCIENTIA*, *PIUS BONI ÆQUIQUE SENSUS*, *PROBATIO POTIORUM*, *SINCERITAS SINE CUJUSQUAM OFFENSIONE*, idque *IN DIEM CHRISTI*, ſive in mortem, quæ illi ſupra modum ſingularis contigit, ut poſtea dicemus.

III. Natus eſt in oppido, cui nomen *FINESTRAT*, agri Valentini VIII. Kal. Novembr. an. MDCCX. Jam inde a puero mira in eo morum innocentia, & candor animi. Erat Valentiæ in maxima urbis hoſpitali domo ad templi miniſteria gravis Sacerdos Coſmæ propinquus. Hic illum habere ſecum voluit, ut ſanctius inſtitueretur, neque fruſtratus vir pius ſpe ſua, & deſiderio eſt. Quippe Coſmas evaſit expers labis lubricæ, quæ pueris nonnumquam, & ſæpius adoleſcentibus (niſi cenſor aliquis eorum mores diligenter regat) ſolet adhæreſcere.

IV. In ipſo autem illo generali valetudinario, ubi ægri ſine numero ſunt (nemo enim excluditur quocumque laboret morbo, & cujuſvis nationis ſit) vidit e propinquo Coſmas, quam triſtis ſit, & quot quantiſque ſubjecta malis humanæ ſortis conditio; nulla quippe aptior ſchola eſt pro diſcendis mortalium ærumnis quam frequens noſocomium. Coſmas certe e Valentina miſerabilium æde videtur extuliſſe *viſcera miſericordiæ* in Æthiopas Indoſque, infelix hominum genus, inque ægrotantes Hiſpanos, quos omni dein ope, operaque recreare ſtuduit, & conſolari.

V. Sed jam tum docuit Coſmam Deus eſſe morbos alios, eoſque periculoſiores, quam qui corpus deterunt, corruptas ſcilicet affectiones animi, quibus ſæpe ægreſcimus, & aliquando etiam morimur, niſi fiat

(a) *Ad Philipp. c. I. vv. 9. & 10.*

fiat in tempore medicina. Id ſciens tametſi puer Coſmas, ne peſtis inteſtina gliſceret (quoniam vitiis ſine nemo naſcitur) comprimere inſurgentis luis vim conatus eſt domita membrorum petulantia.

VI. Hanc in rem paravit ſibi hiſpida cilicia, quæ fugitans aliorum oculos diligenter abſcondebat; ſed reperta caſu ſunt a famula, cum ejus lectum ſterneret. Atque hoc Coſmas ſui odio ſimilis etiam fuit Ludovico Beltranio, quem ſupra laudavimus; ſolitus enim is fuit voluntariis uti corporis cruciatibus tener adhuc annis antequam ſacræ Dominicanorum familiæ nomen daret. Et quidem quos ad Indorum culturam diſponit ſemper Deus, hanc in ſe ipſos piam iram inſpirat, qua *corpus caſtigent, & in ſervitutem redigant, ne forte cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur*. Licentia feræ gentis, ſequioris ſexus nuditas, ſolitudo, nulli vitæ teſtes, nullus criminis vindex, fomes ſunt, & ſtimulus carnis effrenis, niſi *crucifixa ſit cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis*. Adde huc dura, & adverſa plurima in miniſterio barbarorum ſubeunda, quæ viri delicati, & horrent, & fugiunt, ut mercenarius viſo lupo.

VII. Interea vacabat Coſmas litterarum ſtudio, quod etiam valet maximopere ad retinendam innocentiam, ſi quidem acceſſerit magiſtrorum vigilantia cum piis conſiliis, & virtutum exercitationibus creſcenti ætati accommodatis, ut erant illæ, quæ in Valentinis Scholis inſtitutæ fuerant: generatim enim de puerili informatione dici poteſt, tales eſſe diſcipulos, quales magiſtri ſunt.

SOCIETATEM PETIT.

VIII. COſmas, ut tutiorem ſibi receſſum pararet a ſæculi nequam periculis, cogitare ſecum cœpit, quod ſibi aſylum quæreret; utque cupidus erat, non ſuæ tantummodo, ſed aliorum quoque ſalutis, Societatem

tatem JESU petiit, in quam cooptatus est XVII. Kal. Apriles an. MDCCXXVII.

IX. Exacto jam e præfectorum sententia tirocinio, editisque religiosis votis, missus est Gerundam ad studia Philosophiæ. Magister illi fuit Josephus Bertranius, vir sive ingenium, sive virtutem, sive res pro aliorum bono gestas spectes, præstantissimus. Atque huic quidem inter alias egregias dotes ille fuit mos constans, & jugis cura, ut quemadmodum ipse cœlesti Philosophiæ primas semper detulit, ita a discipulis id ipsum fieri voluerit, nec sine operæ pretio, ut videre licuit in Antonio Canicia (de quo mox dicam) & Cosma nostro, qui in promovenda Dei gloria, alter alibi, pio illi præceptori suo simillimi evasere. De Bertranio autem ne addam plura (præterquam quod id instituti mei non est) facit ejus vita, rebus plena eximiis, edita Ferrariæ a Cl. V. Onuphrio Prat de Saba an. MDCCLXXXVII. (a).

X. Igitur e tam illustri & sancta disciplina venit iterum Valentiam Cosmas, ut Theologiam disceret, idque eo fecit libentius, quod ejus gravi ingenio magis congrueret sacrum studium, quam amæna speculatio rerum naturalium. Neque omittenda hic duo sunt, unum, quod quamvis ab infirma valetudine Magistrorum dictata excipere scripto non poterat, tamen condiscipulorum commentariis usus divinam scientiam optime arripuerit, vires corporis supplente ingenio.

XI. Alterum dignum dictu est, quod ad auditorum thesium disceptationem usus socio & collega est eodem illo Antonio Canicia, quem paulo ante nominavimus. Erat Canicia mentis acie nobilior, quam vel paterno genere, vel materno, quo contingebat principem Genuæ familiam Auriensium. Sed idem & in-

(a) *De Viris Aragoniensibus religione illustribus liber singularis.*

ingenio, & splendori sanguinis addidit magnarum decus virtutum, quas laudatus modo auctor Prat de Saba sigillatim explicuit, & edidit in lucem.

XII. Jam vero Canicia, & Agullo concertantes Valentiæ inter se de sacris disciplinis geminæ instar facis erant, quarum altera alterius flammam fovet, & auget. Et vero dein Antonius Canicia pro bono publico ea præstitit in regno Valentino, quæ Cosmas Agullo Oceanum emensus in provincia Paraguayca adeo piorum hominum ad virtutes incumbentium Societas & familiaritas perfectioni animi invicem prosunt, & se se acuunt mutuo.

NAVIGAT IN AMERICAM.

XIII. Crebro audita in gymnasiis theologicis mysteria Religionis, clariusque cognita divinæ naturæ bonitas, & summa perfectio, subjiciebant Cosmæ sacros quosdam igniculos, ut quæ ipse de Patre luminum perceperat, cum aliis vicissim communicaret, imbueretque notitia rerum cœlestium eos, qui transnotas Europeæ genti plagas, *in tenebris, & in umbra mortis sedent*: sic enim comparatum est, ut verus, & flagrans zelus animarum fœtus sit, & fructus non mere speculatricis & desidis Theologiæ, sed actuosæ efficacisque, velut olim Isaias post visam propius Dei gloriam illico exclamavit: *ecce ego mitte me* (*a*). Quo? paratus erat sacer vates, si mitteretur, ire *ad gentem convulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus* (*b*). Quæ quam apte Americanis Indis conveniunt!

XIV.

(a) *Isaias c. VI. v. 8.*
(b) *Idem c. XVIII. v. 2.*

XIV. Inerat quidem Cosinæ impedimentum grave (quominus vocanti Numini ad trajectionem vasti Oceani responderet) imbecillitas virium, & languens corpus; sed non ob istud despondit ille animum, sat gnarus facillimum esse Deo, qui *manui* Moysis *leprosæ* momento temporis medicinam fecit, reddiditque eam quodammodo omnipotentem ad educendos ex Ægypto Israelitas, gnarus, inquam, Cosmas posse Deum facile necessarium sibi robur suppeditare, quo erutos e silvis Indos a captivitate dæmonis ad Christi libertatem traduceret, missionem transmarinam a Præposito Generali Francisco Retzio supplex petiit per litteras. Annuit Retzius, eumque designavit in provinciam Paraguayam magno hujus bono.

XV. Ante vero quam de navigatione dicimus, prætereundum silentio non est, quid repentini mali acciderit Cosinæ matri. Hæc ubi rescivit de instanti illius abitione in Novum Orbem, tristi perculsa nuncio Valentiam advolavit, ut abiturum filium salutaret, oscularetur que. Ubi ad collegii ostium venit dictum a janitore pulsanti est: Cosmam jam urbe excessisse. Id vix illa audiit, quasi icta fulmine, corruit exanimis. Tantus est in vera matre prolis amor! Sed dubitare non licet, quin (cum ei sensus rediit) flentem (ut Tobiæ, longe profecti, genitrix) *irremediabilibus lacrimis*, iterantemque *heu! heu! me! fili mi*, recrearit Deus, docens quanta, & quam magnæ rei causa, & ipsam, & Valentiam, & Europam reliquerit Cosmas.

XVI. Itaque Idibus Decemb. an. MDCCXXXIII. (qui dies sacer est natalitiis S. Luciæ Virginis) conscendit Cosmas navim cum Sociorum supplemento, quod scripserat procurator Antonius Machonius. Vix ille Oceano Atlantico ferri cœpit (contra ac aliis fit) melius habuit, atque ita paulatim auxit vires, ut robustus dein, quam qui maxime, fuerit athletica fere membrorum firmitate. Functi jam trimestri (eoque amplius) navigatione exscenderunt Bonaëras,

ex-

exceptique ſunt collegio Jeſuitarum inſigni gratulatione. Ibi a maris naviſque ærumnis quiete capta, ad futuros provinciæ labores ſe ſe compararunt recentes ſacrorum cultorum copiæ.

COSMÆ MINISTERIA.

XVII. INitiato jam majoribus ordinibus multa multis in locis obeunda fuerunt Coſmæ ſacra miniſteria. Principio juſſus eſt Boniſauris, urbe frequentiſſima, Philoſophiam publice profiteri, quod ita ille fecit, ut docti ſimul, & divinæ gloriæ ſolliciti magiſtri ſpecimen dederit, utpote cui non minus diſcipulorum eruditio, quam pietas, & morum honeſtas cordi fuit. Sed tamen anguſta Scholarum ſepta continere non poterant magnum & actuoſum Coſmæ ſpiritum, qui geſtiebat pro omnium bono foras erumpere.

XVIII. Paucis ante annis ad mare Magallanicum condiderant Indorum Pamparum oppidum Matthias Strobel, & Emmanuel Querinus, ut in hujus vita pluribus olim ſcripſimus. Indis ergo iſtis, eorumque cultoribus egreſſus gymnaſio, & urbe, ſuppetias tulit Coſmas, tamdiuque ad neophytorum culturam incubuit, quoad eum revocavit provinciæ moderator, qui operoſo illius ingenio indigebat ad rem plane neceſſariam. Pauca hic nobis præfanda ſunt.

XIX. Luſitani, cum in conceſſa e fœdere Ultrajectino Colonia Sacramenti anguſtius ſibi habitare viderentur, ſub an. MDCCXXIV. occuparunt vi ſinum Monſvideanum, qui ad ſtationem navium vel majoris formæ optimus eſt. Nihil hoc conſilio melius eſſe poterat pro re Luſitanica. Nam ſi, munito portu illo, munire perrexiſſent portum Maldonati, qui perquam bonus item eſt, & poſtea fabricaſſent ultra promontorium S. MARIÆ, & demum ad flumen Grande progreſſi fuiſſent (id quod re ipſa fecere) imperium Braſilicum continuaturi erant ab inſula S. Gabrielis, ſita e regione Coloniæ, ad uſque inſulam

S. Ca-

S. Catharinæ, atque adeo ad flumen Januarium, ubi princeps illorum urbs eſt; quibus rebus fieret, ut arbitri navigationis Hiſpanos ab aditu fluminis Argentei, quoties libitum foret, prohiberent.

XX. Ergo Prætor Bonaurenſis Bruno Mauricius de Zavala, cui nihil erat antiquius Regis Catholici obſequio, & re, ſtatim ac Luſitanos conſediſſe ad Monſvideum reſciit, accurrit cum lecta Hiſpanorum manu, evocatis in auxilium quattuor Guaraniorum millibus. Luſitani molitores, nondum ſatis loco munito, ubi rem ſibi eſſe cum impigro, ac ſtrenuo duce ſenſerunt, & præterea tanti ſubſidii expectatione territi, collectis vaſis illinc abierunt. Zavala autem remiſſa domum ex itinere dimidia Guaraniorum parte, duo ſecum millia retinuit (cum binis Guaranicis cultoribus, qui ſacra curarent) ad arcem ædificandam: deque ibi actis Regem Philippum V., cujus ſub ſignis olim meruerat, monuit (*a*).

XXI.

(a) *Ecce tibi Zavalæ ad Regem litteræ, quas hiſtoriæ ſuæ Paraguaycæ incluſit Petrus Franciſcus Xav. Charlevoix Gallus* (*lib. XVII. edit. Venet. latin. an* 1779. *pag.* 258.) „ *V. M. teſtor, quoties Indorum Tapenſium* „ (ſic a Bonaurenſibus Guaranii vocantur) *quos Patres* „ *Societatis curant, ſive ad bellum, ſive ad arcium mu-* „ *nitionem, opera utendum fuit, miram ſolicitudinem* „ *ſtudiumque præſidum expertum me fuiſſe. Horum copia* „ *Indorum operam in præſentiarum ſtrenuam & alacrem* „ *dat Montevideo muniendo, non alia quam viliſſimi* „ *cibi quotidiani mercede.... Cum ad V. M. ſcribo non* „ *exageraverim; affirmare tamen auſim, abſque Indorum ope* „ *& Montevidei munimenta & hujus urbis* (Bonaurenſis) „ *arcem infecta fore, militibus & operis Hiſpanis. In-* „ *diſque ſuburbanis ad diuturnum laborem non natis.* „ *Hi poſtremi poſt trium, quattuorve dierum laborem ſti-* „ *pendia petunt præ manu: quod datum negatumve ſit,* „ *fidem fallunt, & elabuntur. Ea eſt gentis deſidia,* „ *& libertatis amor, ut corrigi nequeat.*

XXI. Ne vero in re minus ad Cosmam pertinente longior sim, accipe paucis reliqua. Ut Monsvideana statio magis magisque firmaretur, visum Regi Regiisque Ministris oportere Coloniam eo deduci; deductaque paulo post fuit ex insulis Fortunatis ab an. MDCCXXVI. ad annum circiter MDCCXXX. Constitit autem illic urbs ita pulchra, & elegans directis æquo spatio quoquoversum viis, & additis mœnibus e secto lapide, impositaque insuper arce cum Prætoris æde, & propugnatorum domiciliis, ut nova paucorum annorum Colonia cum optimis urbibus componi possit non solum ordine ædificiorum & modo, sed agri etiam cultu, multi enim horti sunt, & felices arbores, præter læta & uberrima armenta, quæ mirifice illac fætificant. Sic brevi crescunt, quæ Rex, & Regii Ministri fovent, aluntque.

XXII. Hæc dicta nobis sunto in pignus memoris

,, Longissime distat hos inter & eos, quibus Patres ,, Societatis præsunt, quorum summa est docilitas & con- ,, stantia in iis, quæ ad V. M. obsequium pertinent: ,, nullam querelis aut obtrectationibus causam præbent: ,, ad injunctum pensum statis horis præsto sunt. Pietate ,, de reliquo & moribus sunt exemplo: quod post Deum ,, præsidum prudentiæ referri oportet. Ab hujus urbis E- ,, piscopo (*) sæpe audivi Missiones visitanti admiratio- ,, ni fuisse novorum utriusque sexus fidelium devotionem, ,, & in opificio dexteritatem. &c. ,, Hæc Zavala ad Regem 28. Maj. 1724. apud Charlevoixium totidem verbis.

(*) Erat Il. D. Petrus Faxardo Ordin. SS. Trinitatis, qui post lustrata suæ Diœceseos oppida an. 1721. die 19. Junii scripsit ad Regem Philippum, ei commendans Indos Guaranios, quorum res, quas præsens viderat, mirifice laudat, Rex autem ipse Philippus meminit epistolæ ad se missæ ab Antistite Faxardo in decreto pro administratione Guaranica, quod edidit die 28. Decemb. an. 1743.

ris & grati animi, quandoquidem portus ille & urbs me prima omnium a trajecto Oceano excepit anno MDCCLV., cum adhuc e conditoribus Canariis multi viverent, e quibus ultima mortem obiit honesta civis *Cabrera* nomine, an. MDCCLXXXVII., qua de fœmina vere dici potest, quod falso de Didone mortem sibi consciscente, cecinit vates Virgilius poetica licentia. (Æneid. IV.)

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi,
Urbem præclaram statui, mea mœnia vidi (*a*).

XXIII. Cum igitur præsidiariorum & civium magna esset copia, sacrorum vero operariorum (sub initia positæ Coloniæ) gravis inopia, Jacobus Aguilar provinciæ Paraguaycæ præpositus pro eo quo fla-

 gra-

(a) *Nequis putet rem Monsvideanam a me nimis amplificari, reddam hic censum an. MDCCLXXXII, quo cives, & agri cultores continentur.*

Census Monsvideanus an. 1782.	Viri	Fœminæ
Cives Hispani	4322	2950
Indi	107	121
Hibridæ	312	291
Æthiopes liberi	322	261
Æthiopes mancipia	861	606
Summa	5924	4229
Summa omnium	10153	

Huic censui multo jam plures, opinor, sunt additi: cum enim illuc ex Europæ portubus frequentissima navigatio nunc sit; ex iis autem, qui eunt in Americam, vix pars decima in Europam redeat, facilis conjectura est, quam multi toto decennio Monsvideana in urbe consederint. Posui vero censum an. 1782, quia recentiorem non habeo.

grabat animarum zelo, juſſit illuc ire, tranſmiſſo flumine Argenteo, binos e Sociis, qui Catecheſi & ſacris declamationibus Monſvideanos excolerent; quod quidem ita illi fecerunt (admiſſis etiam ad ſpirituales S. Ignatii commentationes iis, quibus rerum animi major fuit cura) ut exortum ſit plebi patribuſque ardens deſiderium habendi apud ſe Jeſuitas ſede ſtabili; atque in hanc (præter aſſignatam commodo in loco aream ad ædificandum) Dominicus Sanctus Uriarte, qui novæ urbi cum imperio præerat, certam de ſuo pecuniæ ſummam attribuit, qua domus ornaretur.

XXIV. His civium ſtudiis acceſſere deinde bina Regis Catholici Philippi V. diplomata, quibus ædificationem Jeſuitis permiſit, tum ut Indis Minuanis, qui viciniam incolebant una cum urbis habitatoribus ſancte conſulerent, tum (cum accolæ illi, relictis Hiſpanis, longius abierunt) ut gentem Monſvideanam, & arcis propugnatores inſtituerent piis miniſteriis.

XXV. In id vero negotii opus erat Sacerdotibus ſtrenuis indefeſſiſque. Talis viſus eſt provinciæ moderatori Coſmas, quem ſocium & adjutorem dedit Ignatio de Leyba. Huic demandata fuit præfectura novi hoſpitii, neque enim collegium dici poterat, cum tres eſſent dumtaxat inquilini, domus præfectus, qui exciperet venientes ad ſacrum templi tribunal, & ad cives de loco ſuperiore verba faceret, præfecti collega Sacerdos alter, cui munus, grammaticæ profitendæ, & laicus unus, qui pueros legere & ſcribere doceret habita ſimul morum cura.

XXVI. Coſmas eo miſſus inſtar multorum fuit. Ipſe concionabatur & in templo ad cives, & in arce ad milites; ipſe moribundis aſſidebat, ipſe confluentium ad ſe confeſſiones excipiebat; ipſe ad ægros, vel ſi multis ab urbe leucis diſtarent, conſcenſo equo, ibat alacer; ipſe conſulentibus de rebus animi reſpondebat, ipſe Catecheſim publice exercebat; ipſe pueros privatim ad ſanctum Dei timorem informabat;

ipſe

ipſe adoleſcentes, ne ætatis æſtu in præceps abriperentur, ſedulo retinebat; ipſe patrum matrumque familias concordiam procurabat; ipſe miſeris Indis patrocinabatur; ipſe ethiopas myſteriis Religionis erudiebat. Quid multa? Coſmas noctem diemque aſſiduo erat in motu, & vix ullam temporis partem habebat ad quietem.

XXVII. Ad hæc, providendum eidem fuit bonis temporariis, ſine quibus ſtare diſciplina religioſa non poteſt; cum enim neceſſaria vitæ ſuſtentandæ deſunt, ſacrati Deo viri, qui alioquin, procul ab urbanorum conſuetudine, divina ſolum cogitare debent, eo relabantur neceſſe eſt, unde cibum ſibi & veſtem parent, more apum, quæ, niſi in favi cellis mel ſit, egreſſæ foras vagantur ſparſim per prata; quieſcunt vero, & ſe ſe incluſæ continent, ſi ſat parati alimenti intus ſuppetat. *Sacerdotes mei, & ſenes mei* (ait lugens Jeremias) *in urbe conſumpti ſunt*. Cur? *quia quæſierunt cibum ſibi, ut refocillarent animam ſuam* (a).

XXVIII. Norat hæc Coſmas, quo procuratore utebatur Superior Leyba, ſtudebatque certum fundum inſtruere, e quo (ut in aliis fiebat provinciæ collegiis) omnia Sociis ad honeſtum victum neceſſaria præberentur. Multa in hanc ille rem ruri tentavit; ſed ſucceſſus (fatendum eſt) parum reſpondit, atque excedens Monſvideo Coſmas æris alieni vim magnam in futuros domus illius naſcentis adminiſtros derivavit.

SANFIDEANOS CIVES ET BONAURENSES EXCOLIT.

XXIX. ABiit Coſmas, magno Monſvidei deſiderio ſui relicto plebi patribuſque, & Prætori in primis

 Joa-

(a) *Thren. c. I. v. 19.*

Joachimo de Viana, qui ægerrime tulit, se invito, ab statione illa eum demoveri. Causa abeundi fuit, quod moderator provinciæ uti illius opera voluit in collegio S. Fidei, quæ nobilis urbs est ad flumen Paranam. Ibi unicum Cosmæ munus, sacris vacare ministeriis, ad quæ ita ille incubuit audiendis confessionibus, habendisque concionibus, atque adjuvandis omni ope civibus, ut visum rursus provinciæ præfecto sit, si Bonasauras eum transferret, plane satisfacturum celeberrimæ illi urbi, ubi sat operæ futurum erat viro actuoso, & virium robustarum. Nec Cosmas conceptam de se spem fefellit, etenim tot illic egit, ut cum de Cosmæ rebus dicentem legeris, non de uno me Sacerdote dicere, sed de pluribus existimaturus sis.

XXX. Commissa ei est institutio procerum, quibus sodalitium apud Jesuitas erat titulo S. MARIÆ ad Nives. Singulis Sabbatis ad illos verba faciens admonebat (cum omnium civium Christiana virtus sit) civitatis præsertim primores (instar luminis sublime positi) compositis moribus, & pietate debere aliis prælucere, atque equitum ordinem exemplo, si bonum sit, plurimis prodesse, nocere contra plurimis, si malum.

XXXI. Cum autem gravis illa functio minus antea frequentaretur, celebrari tum cœpit maxime: cujus rei duplex fuit causa, altera, quod a Cosma rogatus optimus Prætor Bonaurensis Petrus Cevallos, sodalitati illi non modo nomen dedit, sed assidue piis ejusdem exercitationibus aderat, idque valuit plurimum, ut alios ad cultum istum Virginis Dei Matris alliceret; principis enim visa virtus plus cives movet, quam cujusvis sacri Oratoris vis & eloquentia. Altera fuit causa, quod Cosmas ipse ob egregias dotes, & lene placidumque dicendi genus valde nobilitati probabatur.

XXXII. Datum illi item munus aliud curarum plenum, ut opitularetur scilicet carcere detentis.

Cosmas,

Cosmas, quidquid jubebatur, summo urgebat ardore. Itaque non solum gentis illius sibi creditæ sublevabat ærumnas corporis, & morbos animi curabat, sed eorum etiam causas (quatenus fas erat) apud judices agebat: quibus ille rebus sic functus est, ut simul reorum patronus, & tutor, & pater, & doctor, & medicus spiritualis, & commodorum (quantum quidem caperet sors illorum misera) procurator esset.

XXXIII. Quod vero Joannes Antonius Alquisalete, nobilis Bonaurensis (qui in continente Hispania Societati adscribi voluit apud Patres Castellanos) amplum patrimonium reliquisset, ut Bonisauris nobilium adolescentium collegium conderetur, hujus quoque rei administratio attributa est Cosmæ, qui diligenter cavit, ne prædium, & cetera bona Alquisaletia detrimentum paterentur; domumque in urbe ad futuros alumnorum usus ita dispofuit, ut exspectaretur propediem a Rege Catholico Carolo III. venia aperiundi Seminarii, quod quidem (instituta ibi casta & vigili disciplina, quæ tum maxime vigebat Cordubæ Tucumanorum inter alumnos Monserratenses) pulchræ illi metropoli pulcherrimum fuisset decus.

XXXIV. Sub idem tempus, cum Antistes Cajetanus Agramont, optime meritus de tota Bonaurensi republica, ad Archidiœceseos Chuquisacensis solium evectus esset, Canonicorum collegium in sacro interregno Cosmam delegit, ut singulis mensibus ad totum Clericorum ordinem quæstiones haberet in templo maximo de Officiis, sive de casibus (ut vocant) conscientiæ: quæ designatio non modo eximii honoris fuit, sed maximæ etiam difficultatis, & litterarii laboris.

XXXV. Nam cum singulis auditorum ampla daretur facultas, si vellent (& volebant quidem) contra dicendi, pugnandique, siquid in differente Cosma minus placeret, oportebat eum, qui in ea functione primas partes agebat, bene paratum ad certamen descendere, præsertim cum Bonaurenses valeant inge-

nio: tamen Cosmas, ut ut plena aleæ res esset, omnibus semper fecit satis; & ob soliditatem doctrinæ, & disputandi modestiam nulli gratus non fuit. Agramontii autem Antistitis successor Josephus Basurco voluit a Cosma doctas illas disquisitiones continuari. Erat Il. Basurco Bonaurensis, & multa pro patriæ bono moliebatur; sed immatura mors paulo post illius cœpta, & salutaria consilia disjecit.

XXXVI. Cosmas vero haud contentus una illa re prodesse venerabili Clericorum coetui, piam eorumdem sodalitatem instituit, advocavitque ducem & præsidem S. JOANNEM NEPOMUCENUM, ad cujus præclaram formam, ut mores illi suos componerent, habebat statis diebus privatam adhortationem, qua Dei excitabat ministros, ut Divi Patroni tutorisque modestiam æmularentur, & religionem, & amorem in Deum, Deique Matrem MARIAM, & caritatem in pauperes, & fidelem dispensationem Sacramentorum, pro qua (ut ille) non dubitarent, digna Sacerdotum constantia, mortem occumbere, si opus foret: numquam autem non ex ejusdem NEPOMUCENI imitatione *in omnibus seipsos præberent exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, nihil haberet malum dicere* (*a*) de Clericis Bonaurensibus, sed essent *semper Christi bonus odor in omni loco* (*b*).

XXXVII. Atque hæc quidem pro dicatis templo viris; pro civibus autem communiter frequens erat Cosmas excipiendis confessionibus peccata detestantium, quorum incredibilis numerus accurrebat Bonisauris ad sacra Sociorum tribunalia, frequens habendis concionibus, frequens adeundis interdiu noctuque moribundis. Jam vero cum tot rebus agendis, qua-

(*a*) *Ad Titum c. II. vv. 7. 8.*
(*b*) *II. ad Corinth. c. II. vv. 14. 15.*

quarum aliquæ longa attentaque commentatione indigebant, satis non essent diei horæ, petiit Cosmas a Rectore domus, ut sibi liceret vigiliam producere ad mediam usque noctem, idque gravi suo incommodo, quippe succosum habenti corpus longiore somno opus erat: & tamen abrumpere quietem debebat, ut mature surgeret cum aliis ad statum meditationis tempus.

XXXVIII. Atqui haud fractus ille tot laboribus alios sibi ultro poscebat. Bonaurensium Jesuitarum tres solebant singulis diebus Dominicis in tria ire templa excercendæ Cathecheseos causa. Vacabat D. Nicolai ædes. Cosmas adiit Rectorem, ut sibi ea provincia demandaretur. Rector, quod integris Cosmæ viribus, & docta opera ad alia uti vellet, cum rem primo petiit, negavit. Proxima die Dominica ecce tibi Cosmas idem obsecrans ad januam Rectoris; abnuit is iterum. Tertia, quarta, quinta, sexta, pluribus Dominicis feriis optatum illud sibi munus postulavit supplex. At futura prospiciens Rector reservabat Cosmam, ut (siquis trium illorum Catechistarum forte impediretur) vicarium submitteret, ideoque semper repulsam dedit. Domestici, qui & petitionem Cosmæ, & Rectoris negationem norant, quid frustra niteris, ajebant, cessa jam tandem, Cosma, a precando. Ad hæc Cosmas: Rectori, inquit, nostro, sua erit causa, cur neget; at mihi etiam mea est, cur petam. Quod responsum illius candore, & zelo animarum dignum fuit.

FINES BONAURENSES PIE EXCURRIT ET DEIN PRÆEST COLLEGIO.

XXXIX. ILla, quæ diximus, domi: foris minor etiam Cosmæ quies. Mos erat in provincia Paraguayca, ut bis quotannis e singulis collegiis bini Sacerdotes urbium fines, qui amplissimi unicuique earum sunt, obirent Sacris ministeriis. Incredibile dictu est, quantus in pios istos excursores incumberet

labor. Nam cum (ut alibi docuimus) longiſſime illac parœciæ inter ſe diſtent, coloniſque difficile admodum ſit ad eas ire, illorum plurimi vix toto anno Sacerdotem ullum videbant, niſi eos qui per vices certo tempore in loca infrequentia, diviſis immani intervallo tuguriis domibuſque, penetrabant, ut Catecheſi, & concionibus, & Sacramentorum adminiſtratione (ex Epiſcoporum venia, qui hoc opus maxime probabant, ampliſſimiſque facultatibus pro conſcientiæ foro abeuntes inſtruebant) agreſtem gentem, ſparſoſque hac atque illac indigenas excolerent.

XL. Id ita fiebat. Tabernaculum in aperto loco tendebatur, ibique altari araque locatis, bini illi Sacerdotes litabant quotidie. Functiones ſacræ habebantur mane & veſperi, tantuſque erat concurſus virorum fœminarumque, quattuor, quinque, ſex, octo, plurium leucarum itinere confluentium, præ deſiderio ſe ſe expiandi, aſſiſtendique Sacrificio, ut vix piis operariis ſatis eſſet temporis (vel ſi multum de quiete & ſomno neceſſario ſibi demerent) ad illorum excipiendas confeſſiones, quibus quarto, aut quinto die ab ſuſcepta inſtitutione (ut ſe rite coloni pararent ad Sacramentum pœnitentiæ ex audita myſteriorum doctrina, & legis explicatione) incipiebat dari opera. Poſtremo, divinæ menſæ communione donati, excitatique pro concione ad ſanctum Dei timorem amoremque, & cultum verum ac ſtabilem Dei Matris MARIÆ, læti, & multo meliores quam venerant, domum remittebantur. Poſt excultum pagum unum ad alium ſimili ratione modoque tranſibant, iterabantque denuo ſacrum miniſterium. Fructus ubique locorum erat maximus.

XLI. Igitur his excurſionibus Coſinas (cum miſſus fuit) ea vacavit contentione animi, qua omnia in proximorum bonum ſalutemque facere conſueverat. Ipſe ſacer & uber divini verbi proventus currentem ſtimulabat, quandoquidem *iens ibat, & mittebat ſemina ſua, veniens autem veniebat cum exultatio-*

tione portans manipulos suos, quorum de copia amplissima referebat ad *patremfamilias*, id est Episcopum, cujus erat ager ille, & *vinea*, & quem spectabat præcipue messis collecta *ab operariis* functis *pondere diei*, & *æstus*.

XLII. Præfuit Cosmas aliquandiu Collegio Bonaurensi S. Ignatii (alterum erat ea in urbe Bethleemi nomine) pro Rectore, atque eo tempore se ostendit, quam sibi esset cordi disciplina religiosa, & domesticus ordo, qui non in maximis solum rebus, sed in minimis etiam positus est. Dicam (ut constet quantum in omnes partes esset vigil) factum unum, quod alicui fortasse leve videbitur, nec tamen est, quippe error non admodum gravis gravi admonitioni locum dedit,

XLIII. Vidit fabrum lignarium, qui unus erat e domesticis laicis, nescio quid compingere pro deponendo pallio in cubiculo alterius laici. Hunc vocat Cosmas, & petistine, inquit, veniam a P. Ministro (is erat censor morum in collegiis) ut id operis tibi fieret? a me quidem non petisti certe. A neutro petii, respondet ille ingenue; sed cum animadvertissem hanc rem factam in plerisque cubiculis, ratus sum jussum fuisse fabrum lignarium in omnibus eamdem facere. Atqui viro religioso, subjicit Cosmas, sine facultate Superioris (prout votiva poscit paupertas, & toties e regulis nostris audisti) nihil a quoquam postulandum est, accipiendumve: neque vero id rei generatim fieri jussimus vel ego, vel Minister. Proin, i nunc in templum, & considera coram Deo Domino nostro, an istud operis tibi necessarium, aut utile sit, & me mone. It, redit, & ait sibi visum oportere illud fieri, ne pallium casu jacens, aut temere positum, male attereretur. Tum Cosmas: bene est: dic (licet) fabro lignario pergat tibi facere, quod cœperat. Sic ille cuncta fieri volebat e voluntate ejus, qui domi præest, ut ratio, & lex exigit recti ordinis, debitæque subjectionis.

COS-

COSMÆ VIRTUTES.

Candor animi, & Caritas.

XLIV. INter Cosmæ virtutes candor animi, & caritas principem locum tenuere. Apertior agendi moridus, quam qui ei fuit, vix fingi poteſt. Sermo, vultus, frons, quæ index animi eſt, miram præ ſe ingenuitatem ferebant. Nihil fuci, nihil artificio quæſitum. Inerat Coſmæ naturale quoddam odium in aſtutos & veteratores, in obſcuros & vafros. Plebem, & patres, Prætorem, & magiſtratus, divites & pauperes, doctos & rudes, ſingulari dictorum factorumque ſimplicitate ſibi conciliabat, carus peræque omnibus, expetituſque certatim ad res animi a vulgo, nobilibuſque, & a valentibus ægrotiſque.

XLV. Dabat ille quidem operam, ne re, vel verbo quemquam offenderet, de reliquo ſecurus animi clare & ſincere, ac ſine ullis circumlocutionum invulucris, ambagibuſque explicabat, quid cogitaret, & vellet. In ipſis moralibus concionibus & laudationibus Divorum utebatur dilucido, & ſobrie ornato ſtilo, & (tametſi valeret plurimum ingenio) ſubtilia, & remota a communi captu ex induſtria fugiebat; nec quod quidam faciunt (ut queritur gravis auctor Segnerius) volebat concionando apparere Geometra, Aſtronomuſve, Hiſtoricus, phyſiceſque peritus; ſed rejectis vanis, & propioribus poeſi, quam arti oratoriæ deſcriptionibus, quæ *prurientes auribus* titillant, utilia, & ſolida proponebat argumenta, eaque plane nervoſeque probabat; neque umquam omittebat, explicationem alicujus capitis doctrinæ Chriſtianæ, idque priuſquam Antiſtes Bonaurenſis lege ſanciret (ut ſanxit) a ſacris Oratoribus tractari ſemper nonnihil Catecheſeos (quam quiſque mallet partem) tum in morum ſermonibus, tum in ipſis concionibus Panegyricis; qui mos utinam ubique locorum uſu teneretur.

XLVI.

XLVI. Dicere ſolitus erat Coſmas vulgus hominum ad res animi majus eſſe, quam vulgo creditur; pluresque etiam ex iis, qui cultu elegantiore, & vibratis crinibus nitent, laborare non modica legis & myſteriorum ignorantia; ideoque ſæpe & multum e pulpito veritates æternas (*non in ſublimitate ſermonis* .... nec *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, *ſed in oſtenſione ſpiritus*, *& virtutis*) (*a*) inculcandas civibus, quod numquam ſine maximo operæ pretio fit, tantum ne odioſa ruſticitas in dicendo auditores tædio afficiat, offendatque.

XLVII. Pro munere, quo detentos in carcere curabat, frequenter Coſmæ adeundus erat Prætor urbis. Aditus ſemper idem, & ſimplex. Satiſne vales, Prætor? Ego quidem valeo. Bene eſt, & gaudeo. Tum, eſt in cuſtodia vir miſer, cui quid objiciatur, & quid ipſe reſpondeat, audivi ſæpe: re autem omni diligenter perpenſa, arbitror mitiore illum pœna, quam qua dicitur afficiendus, aut forſitan etiam nulla dignum eſſe. Jura ſuper hac re, & auctores graves conſului; atque id ipſum me docent.

XLVIII. Atqui multa in reo iſto (ajebat Prætor) conſideranda ſunt. Rurſum Coſmas: mihi crede, mi Domine, conſideravi omnia coram Deo Domino noſtro (numquam Deum nominabat, quin præ reverentia adderet *Dominum noſtrum*) & ſalva lege, & juſtitia, id quod te oro, concedi illi poſſe exiſtimo: tu pro tua æquitate rem fac. Prætor certus longa experientia Coſmam ad has preces numquam niſi probe meditatum deſcendere, atque æqua poſcere ſemper ſolitum, ejus poſtulatis fere annuebat maximo calamitoſorum hominum bono. Quapropter Coſmas aperto candore, & humili modo plus promovebat, quam alii longo atque exquiſito agendi & dicendi artificio.

XLIX.

(a) *I. ad Corinth. c. II. vv. 1. 4.*

XLIX. Neque in ſolos carcere incluſos Coſmæ caritas eminebat, ſed in ceteros, in Ethiopas nimirum, & Indos, & mendicos milites, & dejectos priſtinis fortunis; omnibus ille certum perfugium erat, ac nemini (quatenus poterat) re & opera deerat, ut dicere quodammodo poſſet cum Job: *oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram pauperum, & cauſam, quam neſciebam, diligenter inveſtigabam* (*a*).

PAUPERTAS OBEDIENTIA CASTITAS PATIENTIA.

L. PAupertas Coſmæ par caritati fuit. Contentus iis, quæ Sociis communiter dabantur, ſibi nihil privati requirebat. Fuit, cum ob præſtitam honoratis viris operam doctam, utilemque, grati animi cauſa certum illi numerum librarum maſſæ Americanæ, quæ e fuſcis baccis cortice exutis, & cylindro mollitis fit, Coſmæ miſerint. Accepit, ne remiſſo munere contriſtaret bene de ſe meritos. Verum illico ſciſcitatus, qui e ſodalibus ſalubri potione, quæ e paſtillis illis admiſta aqua liquatur igne, indigerent, eis e venia præfecti parem tribuit librarum modum; nulla ſibi parte retenta.

LI. Alias e liberalitate civium compararat ſummam quinum aureorum ad emendos neſcio quos libros (qui non multi futuri erant, cum væneant illic cariſſime ac quinque aurei ob copiam argenti reſpondent fere quinis Romanis Juliis) eos aureos depoſuit apud collegii procuratorem, quoad emptionis ſe ſe daret occaſio, quæ non ſemper Boniſauris erat, rari enim inſtitores tum naves ex Europa, (unde litteraria hæc merx devehitur) eo appellebant, contra ac nunc fit pluribus portum illum frequentantibus beneficio Caroli III. Regis, qui commercium liberaliter

(a) *Job. c. XXIX. vv. 16. 17.*

liter aperuit. Interea Cosmas egressus est ad campestria ministeria, deprehenditque usu, quanta sit colonis, avia loca incolentibus, inopia sacri incitamenti ad pietatem. Ergo scripsit ad procuratorem, ut e facultate Rectoris emeret sibi ex illis aureis Rosaria ad V. MARIÆ preces, & Divorum icunculas, & numismata pro fovenda agrestium Religione (*a*). Ita libri, qui futuri erant ad doctrinam Cosmæ conversi sunt in sacram institutionem rudis gentis, cui superum imagines instar sunt librorum, quibus ad eos imitandos deprecandosque excitantur. Quæ autem Cosmæ vestis? Parabilis, ne dicam vilis, delicias enim, ut de Sancto Hilarione dicitur, in cilicio non quærebat.

LII. Eidem modestia singularis, & cautio prudens in audiendis, cum opus erat, fœminis. Domibus urbanorum, nisi eas adire cogeret sacrum ministerium, penitus abstinebat. Otii inimicissimus fuit: aut orabat in templo, aut in cubiculo studebat libris, & scribebat, aut omnino rei alicui utili operam dabat. Et quidem constantia discendi magnam nactus est scientiam sacrarum scripturarum, atque uberem eruditionem SS. Patrum, simul cum insigni doctrina rei moralis.

LIII. Obedientia in Cosma sine ulla recusatione, aut detractione, quidquid præfecti imperassent, ut patuit, cum vocatus a Monsvideana statione, ubi ob insignem de Cosma opinionem commorari eum volebat Prætor urbis Viana, ut supra diximus, ivit ille confestim, quo jubebatur. Et quando Monsvidei incidit rursus mentio, fuit illic spectabilis Cosmæ patientia. Quippe cum struerentur tum maxime novæ urbis mœnia, & publica ædificia, illuc ad opus commune amandabantur qui pœnam ob ali-

---

(a) Afferuntur res hæ etiam ex Europa Bonasauras præter multa hujusmodi, quæ gratis dividebantur ex oppidis Guaranicis.

aliquod crimen meruerant, vagi, obærati, malefici, ſicarii, capitalia auſi, graves nimirum hoſpites civibus honeſtis. Verum Coſmas iſtas hominum fæces mira alacritate, & placido vultu excipiebat, curatiſque animis, ope, qua poterat, miſeræ corporum ſorti medebatur.

LIV. At maximum patientiæ exemplum Bonifauris edidit. Subnatus illi eſt tumor ad humerum. Principio tacuit, non alio uſus remedio, quam mali tolerantia. Sed cum tuber creſceret, viſus ſibi Coſmas eſt non poſſe diutius rem celare, ſalvo officio, erat enim D. Ignatii lex, ut qui incommoda præter ſolitum valetudine premeretur, id ad Rectorem, vel eos, quibus ægrorum cura domi erat, referret. Igitur quod adhuc texerat, aperuit. Vocatus eſt, qui erat in urbe medicus & Chirurgus egregius Joannes Paran Gallus. Is, ut tumorem inſpexit, ſevere denunciat opus eſſe præſenti ſectione; ideoque para te, inquit, Coſma. Equidem paratus ſum, ait: age tu quod tuum eſt. Expedit ille artis cultrum, aptat faſcias, linea parat, & cetera.

LV. Inciſio illa, ſeu potius carnificina, dum radices mali ſector ferro perſequitur, diu duravit, eo horribilior, quo lentior: tamen omnia conſtanter & fortiter ſuſtinuit Coſmas (cum qui aderant, vultu palleſcerent) ſine ulla querimonia: tantum iteravit interdum, eſto id pro Dei Domini noſtri amore. Functum jam ſuo munere Chirurgum comitatus eſt obſequii cauſa ad januam collegii Franciſcus Xaverius Miranda, ad quem Paran converſus, antequam foras prodiret, *Coſmas*, inquit, *iſte veſter factus e marmore videtur, non e carne*. Factus ille quidem erat e carne, ſed quam *Crucifixerat*, aſſuefeceratque ad ferendum dolorem patienter, ut poſſet & ipſe illud dicere, quo Beltranius, Valentinus civis, & Apoſtolus Novi Regni Granatæ (quem initio laudavimus) frequenter Dominum compellabat: *hic ure, hic ſeca, hic non parcas, ut in æternum parcas*.

DE-

DEPORTATUR IN EUROPAM

LVI. CUM plurima versaret animo pro Bonaurensium bono, relinquenda Cosmæ urbs fuit, indicta exilii lege. Convenerant jam illuc e collegiis plurimi, atque his adjecti fuere Socii alii, qui supplemento nuper venerant ex Europa. Idcirco in multas distributi sumus naves. Has designabat Prætor Franciscus Bucarelius. Is, cui alioquin Jesuiticum nomen gratum non erat, Cosmam tamen amabat, eique omnia cupiebat: quapropter, cum in navim minoris formæ (Nuncium vocabant) sex tirones imposuisset, his illum præfecit: nec vero melior vitæ spiritualis dux dari novitiis poterat.

LVII. Quam longa fuit navigatio, partitæ diei tempus, ut erat in tirocinio, sic ab illis servari voluit Cosmas. Surgebant e lecto mature, & per horam res cœlestes meditabantur; vespere rursus semihora vacabant commentationi mysteriorum fidei, virtutumque Christianarum, addita insuper pii libri lectione. Hæc ab eis vel inter navis angustias, & maris tædia facile obtinuit Cosmas ob dulcem modum, amoremque, quo singulos prosequebatur. Accedebat exemplum, & compositæ vitæ ratio, qua disciplinæ religiosæ exercitationes faciles esse eisdem monstrabat.

LVIII. Numquam in navi illa, vel quod nollet Navarchus, vel quod opportunitas locusque decens deesset, sacrificatum est, tametsi Cosmas extulisset secum Bonisauris omnia ad litandum necessaria. (a). Itaque quod a cessatione divini sacrificii deperibat Dei cultus, ita supplevit Cosmas, ut ipse & tirones,

---

(a) *De sacrificio Missæ in navibus Hispaniensibus consule Cyriacum Morellium*. Fasti N. Orbis, & Ordinat. Apostolic. *pag.* 346. *edit. Venet. an.* 1776.

rones, facri Rofarii preces mane (præter eas, quæ vefpere recitabantur) quotidie funderent. Nec vero quod Euchariftia donari non poffent, propterea intermifferunt tirones expiare fe fe Sacramento pœnitentiæ bis, vel certe femel fingulis hebdomadis.

LIX. Navis occupare non potuit directo curfu finum Gaditanum, fed abrepta vento eft Callaicæ portum Terrolium. Quæ autem maxima effe folet ex longiffimo Oceani trajectu voluptas aliis & gratulatio, Cofmæ in portu nulla fuit. Dictum illi & tironibus ftatim eft, Clementem XIII. Pontif. Max. iratum effe Jefuitis Hifpanis, eofque finibus fuis exclufiffe, & proin in Corficam rejectos effe, ubi tum erant. Ingemuit Cofmas, & acerbo perculfus nuncio, *fiat*, ait, *voluntas Dei Domini noftri*. Tum converfus ad tironem, qui propior aderat: *quærendus jam nobis erit*, ait, *defertus aliquis locus*, *ubi quod fupereft vitæ vivamus*. Verum refpiravit poftea, cum refciit non fuiffe illud vel odium, vel iram Clementis Papæ in Hifpanos exules, quos dein amanter & benigne excepit; fed tædium quoddam, atque indignationem, quod non jubendi, fed jam juffi, exilii tot millium hominum in ftatum fuum certior factus fuiffet, qua caufa ratus eft oportere advenientes prohiberi aditu, & portu Centumcellano; idque pridem faciundum cenfuerat, cum Jefuitæ primo e Lufitania relegati funt, Ludovicus Maria Cardinalis Torrigianius: fi enim boni erant, cur alio ejiciebantur? Sin autem mali, cur Petri navis potiffimum ea fentina gravabatur?

LX. E Ferrolio itum, biduo poft, ad portum Corunniæ ejufdem oræ, ibique juffu magiftratus expofiti funt quattuor e Cofmæ comitatu, ipfe vero cum binis aliis devectus eft Gades, atque hinc deductus in urbem S. MARIÆ. Erat initium menfis Martii an. MDCCLXVIII. Dein menfe Junio, confcenfa iterum navi, per mare internum trajecit nobifcum Cofmas Corficam, qua ex infula (extrudentibus nos

Gal-

Gallis, qui bello intenti erant) navigavit ad littus Liguſticum, unde venit cum quibuſdam aliis terreſtri itinere Ferrariam.

LXI. In Coſmam & comites inſignis admodum fuit Ferrarienſium caritas. Conſumpto jam viatico multis indigebant, ſed multi viciſſim (quæ Dei providentia eſt) & ad cibum, & ad lectum, ne humi cubarent, opitulati eis ſunt. RR. PP. Dominicani plenam panis ſportam, neſcio quoties, ſubmiſerunt, atque alii alia benigne elargiti ſunt ad ſublevandam eorum inopiam; neque enim ob tumultuarium illum e Corſica diſceſſum, propellente minis Imperatore Gallo, nobis dari potuerat tempore opportuno a regiis miniſtris annua in victum penſio. Ceterum cum pro Sociis Paraguaycis deſignatæ deinde fuiſſent urbes Ravenna, & Faventia, huc cum aliis ſe contulit Coſmas, perrexitque cunctis eſſe ſingulari exemplo ſolidarum virtutum.

MIRA MORS COSMÆ.

LXII. Coactis jam Sociis Paraguaycis Ravennam, & Faventiam, curavit (ut alibi dictum eſt) provincialis præfectus magnas aliquot domos conduci, ut juſto Sacerdotum & laicorum numero ſervaretur, quoad ejus fieri poſſet, diſciplina religioſa, unicuique contuberniorum præpoſito Rectore ſuo. Quod autem mos eſſet in collegiis decimo quoque die concionem domeſticam haberi pro exhortandis Sociis ad officia viri Deo dicati, id etiam ut aliqua ſaltem parte retineretur, conſtituit idem præfectus, ut ſingulis menſibus ad certam diem convenirent omnes pomeridiano tempore in ſacellum interius collegii Faventini, ubi e ſenioribus unus ad alios verba faceret.

LXIII. In menſem Martium an. MDCCLXXII. delectus fuit Coſmas ad id munus. Ut adfuit dicta dies, egreſſus mature eſt e domo, ubi habitabat prope ædem S. Michaelis. Qui eum comitabatur Dida-

cus Millan senex (superstes adhuc est) quæsivit inter eundum, quis eo die concionaturus esset, neque enim norat. Cosmas haud deerit, inquit, qui id faciat; atque ego quidem semper audivi optimum factu esse, qui alicui concioni intersuturus sit, eum a Deo Domino nostro precari, ut uber fructus in auditores omnes e divino Verbo redundet. Ubi ventum est ad collegium, Cosmas recta cum Millanio templum petiit, ibique nitens genibus (quamquam eo die vix quicquam cibi ceperat) per integram oravit oram.

LXIV. Ubi concionis fuit hora, it e templo ad sacellum interius, quo jam Socii convenerant. Occupat sellam, quæ parata erat ad dexterum altaris latus (is mos erat in domesticis adhortationibus). Exordio usus est hoc: venire se non ut alios ad virtutem accenderet, quos sciret jam satis accensos; multo minus consilii sui esse quemquam reprehendere, arbitrante se quidem audientium neminem reprehensione dignum. Ego unus, ait, ego reprehendendus sum, ego, qui legibus Instituti nostri, quod tot jam annos profiteor, numquam feci satis, & plurima peccavi. Quam ob rem id mihi in præsentia agendum est, ut a me ipse vitæ meæ rationes reposcam, quo paratior sim ad tribunal supremi judicis, qui me bis hoc mense (bis gravi sanguinis æstu periculose ægrotarat) propemodum evocavit ad judicium.

LXV. Hæc præfatus accusare se cœpit vehementer, atque ex animo (fuci enim haud erat capax) quod religiosi viri virtutes ex Evangelio, & secundum Evangelium ex propriis regulis, consectatus non fuisset. Reprehensioni huic sui cum maxime insisteret, in fletum erupit, ac repente destitutus voce est, iuclinato aram versus capite. Turbari, surgere, accurrere Socii, opem ferre. Sed Cosmas jam mortuus erat. Qui omnium pallor, & motus animorum consecutus sit, facile per se ipse quivis intelliget. Intereram ego, & (fateor) vix mihi mens satis constitit. Vocatus confestim Chirurgus est: sed secta Cosmæ vena sanguinem non reddidit.

LXVI.

LXVI. Habebat secum ille scriptam concionem, quam postea legi (neque enim omnia Cosmas, quæ pararat ad publicam, exemplo Augustini, confessionem, dixit). In ea erat ob sua unius peccata eo tempore Societatem premi, ut olim ob solam Davidis inanem gloriam censendi lustrandique populi, cum opus non erat, sublata fuerunt peste LXX. hominum millia; atque ob unicum Achani furtum e præda Hiericunthina verterunt turpiter terga Israelitarum, alioquin fortium, triamillia.

LXVII. Sed Cosmas Jonæ præsertim, & navis, in qua ibat, exemplum urgebat. Comparabat se Jonæ fugitivo, obsistentique Dei jussis: illius ob fugam immisso divinitus vento excitatam procellam, qua jam jam navis, defectis consilio nautis, obruebatur, neque turbinem, & fluctus cessasse, nisi eodem pervicaci Jona in mare projecto. Ita, ajebat, tanta hæc, tamque gravis tempestas propter mea unius peccata sævit. Ego, ego debitus mari sum; ego in undas detrudendus, ne pereat navis, & vobis tandem quies sit. Hunc in modum voluit esse Cosmas pro omnium bono naufragus Jonas, cujus comparatione usus est etiam olim Antistes ille sanctissimus ac sapientissimus Gregorius Nazianzenus, qui, ut turbatæ a factiosis Constantinopoli pax & otium redderetur, non dubitavit, quando in eum Archiepiscopum multi conjurarant, palam dicere: *si propter me commota est ista tempestas, dejicite me in mare, ut vos jactari desinatis* (*a*). Et abdicavit se dignitate, & munere, privatamque deinde, tamquam Reipublicæ mortuus, egit vitam.

LXVIII. Quid si autem Cosmas morti proximus imitari voluit, quem singulari obsequio coluerat, & ab aliis eximie coli curarat, JOANNEM NEPOMUCE-

(a) *In fastis Ecclesiasticis VII. Idus Majas, qui dies sacer est Gregorio Nazianzeno.*

CENUM? Is quidem vicinus jam neci, cui se se pro arcano Sacramenti silentio devoverat, palam, & e superiore loco, in templo Pragæ maximo, accusavit se se de rebus iis, quibus putabat minus se Deo placuisse, & defecisse a vitæ perfectione; utque sibi ignoscerent humillime poposcit ab auditoribus, præsertim vero a collegis suis venerabilibus Canonicis. Concionem hanc decimo septimo post die ejus mors consecuta est, eaque, ut ita dicam, repentina, abreptus enim e via sub noctis tenebras in flumen præcipitatus est (*a*).

LXIX. Ceterum sors Cosmæ longe diversa fuit a Jonæ sorte. Cosmas devovit se se morti, & occubuit: Jonas in mare projectus, vixit. Procella illa vim posuit; quievit mare; navisque incolumis portum tenuit: hic fluctus durarunt, & crevit ventus, & navis tandem demersa naufragio est. Quid dicemus? illud quod quotidie psallebat Cosmas: *justus es, Domine, & rectum judicium tuum;* cui oraculo ab omnibus, & ubique terrarum, submisse, & sancte standum est. E sacello illo, quod nunc habet pia sodalitas equitum Faventinorum, elatus Cosmas postridie (qui dies fuit Kalendarum Aprilium) sepultus est in Collegii templo; potuitque sepulcro ejus inscribi gravis illa S. Maximi sententia: *decebat ut sanctam perfectamque vitam mors Deo devota concluderet* (*b*).

MAR-

(a) *Cæsar Calinus in Vita lib. I. c. V.*
(b) *Homil. III. in Nativit. S. Joan. Bapt.*

MARTINUS SCHMID

SACERDOS.

QUI nec riſerint umquam, nec flerint, dabit forſan quoſdam veterum hiſtoria, ut gravem & ſerium Catonem, & facetum hilaremque Democritum; qui vero numquam fuerit iratus, haud ſcio an priſcorum hominum quiſquam ſit. Cauſa rei, opinor, eſt, quod cum excitetur riſus a grata quadam admiratione facti alicujus vel dicti mentem delectante, ſimul cum dulci ſuavitate, leniter mulcenti os, & labra, titillatio hæc, & illa delectatio vinci extinguique poſſunt a ſeveritate atque aſperitate ingenii; fletum autem e contrario cum moveat vel acer dolor corporis, vel acerbus animi ſenſus, utraque ejuſmodi affectio a virili conſtantia, & rigida duritie ſuffocari item quit, & reprimi. Verum ira cum ab iis rebus gignatur, quæ in nos alioſve indigne fiunt, quis, quæſo, adeo erit ferreus in tanta morum licentia, & tam perverſa indole multorum, qui videntur nati factique ad ceteros irritandos, quis, inquam, ſic potens erit ſui, ut ſemper, atque ubique, apud ſe ſit, & cujus indignatio (ceu flamma ab ardente tæda) numquam foras erumpat?

Hæc præfatus ſum, ut conſtet, quam fuerit admirabilis Martinus Schmidus, quem nemo vidit iratum, aut contracta fronte, tametſi acri, & operoſo eſſet ingenio, incideritque in innumerabiles rerum caſus tactu & ſenſu duros, & aſperos viſu vel terra vel mari; idque non brevi annorum ſpatio, ſed longa admodum vita, qua tota ſtabilem, nulloque cedentem malo animi æquabilitatem præ ſe tulit, eumdemque ita retinuit vultum & habitum, ut Angelus quidam, aut alterius homo naturæ videretur. Fue-

runt quidem qui cum imperturbatum Schmidum perpetuo cernerent, experiri voluere possetne perturbari parato joco, graviore fortasse quam par erat, ac tali, ut dejiciendus omnino ille de statu suo putatus sit. Erat tum Schmidus adolescens, cum vehementius flagrat ira, & tamen in medio illo tentamine, ludibrioque, tam sibi constitit, tamque fuit tranquillus, ut propiores iræ fuerint, spe & proposito delusi suo, qui eam extorquere ab Schmido conabantur, quam Schmidus ipse, qui illorum artes & technas irritas risit.

PATRIA SCHMIDI ET STUDIA LITTERARUM.

I. BAaræ, quod Helvetiæ oppidum est in regione, sive, ut vocant, Cantone Tugiensi natus fuit Schmidus an. MDCXCIV. IV. Kal. Octobr. Eum primis pueritiæ annis educarunt ingenue liberaliterque parentes religione ac pietate conspicui. Ubi aptus ad studia litterarum fuit, domo missus est Lucernam, principem illam urbem, caputque Reipublicæ cognominis, ut piis moribus, & disciplinis instituerètur in metropoli, quæ toti Helvetiæ Catholicæ ut fax splendet (*a*).

II.

(a) *LUCERNA non modo splendidum nomen est, sed perantiquum, creditur enim a Romanis loco impositum, quod ad lacum, cui inclita urbs ea adjacet,* lucerna, *seu fax e turri suspendi consuesset, ut illac noctu navigantibus portum indicaret. Verum LUCERNA multo inde clarior est, quod Romana sacra conservarit sarta semper & tecta in mediis illis tenebris turbisque a Zwinglio, & Calvino inter Helvetios excitatis. Quippe avitam Religionem tutati sunt Lucernates non eximia solum constantia, sed victricibus etiam armis, cum opus fuit. Ibi tamquam in Fidei arce commorari solet Nuncius Pontificius.*

II. Habebant illic collegium Jesuitæ. His creditus Schmidus est. Ut autem insigni erat ingenio, incubuit ad litteras eo successu, ut condiscipulis omnibus vel antecelleret, vel certe eorum cederet nemini. Sed tamen majus in Schmido virtutis studium fuit, tantusque morum candor, ut eum reliqui non amarent modo, sed sibi etiam tamquam laudabilis & innocentis vitæ exemplar proponerent.

III. Ad rectam Schmidi institutionem valuit quoque amor & cultus honestæ ac gravis Musicæ (si Platoni credimus, qui, ut alibi dictum est, huic arti maximam pro adolescentium educatione vim tribuit) quam inter ipsa litterarum studia didicit. Quisquis autem magister ejus fuerit, certe bonus, non soli Schmido dulce & utile beneficium contulit, sed etiam (quod ne suspicatus ille quidem est) profuit plurimum universæ nationi Chiquitorum, quos cantu manuque modulari docuit eximius ejus discipulus, Indidicarum gentium velut alter Orpheus.

SOCIETATEM PETIT.

IV. HUmanioribus excultus litteris Philosophiæ triennium cum laude studuit. Et tum quidem sensit Schmidus excitari se se divinitus, ut, quæsito tuto recessu, magis ac magis animi rebus consuleret, ob idque Societatem JESU petere constituit. Ut autem cunctis & ab ingenio, & a pietate probabatur, admissus est in tirocinium Landspergæ, quæ urbs Bavariæ est, an. MDCCXVII. Nonis Septembr. Erat jam tum Schmidus maturo judicio, annos natus viginti tres, viditque summa sibi cura adnitendum esse in ædificium spirituale, quod (ut bona ædes) ab ipso statim vestibulo dignosci debet. Itaque eam induit extrinsecus modestiam, & tam compositum habitum, ut Sodales tunc suos, ac deinceps omnes, quibuscum versatus est, reverentia quadam sui afficeret, cum nihil in eo non rectum appareret.

V. Ceterum prudentissimus tirocinii illius Magister P. Magnus Amman, cum probe nosset externam speciem non satis esse ad vitæ perfectionem, nisi corpus animo, & animus rationi, & ratio Deo subjiciatur, nervos omnes artusque, ut ajunt, eo intendit, ut Schmidus effrenes naturæ motus penitus comprimeret, se seque JESUCHRISTO, & huic crucifixo, probaret in omnibus, & per omnia secundum voluntatem Dei Patris, *qui quos præscivit, eos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; id quod docilis tiro contendit enixe facere.

VI. Nuncupatis post biennium religiosis votis jussus est ire Halam, ibique grammaticam profiteri, professusque eam est triennio, habens semper præ oculis quid a magistris Societatis reposceret D. Ignatius, ut pietatem scilicet discipulorum, ac litteras simul promoverent. Et vero Schmidus mira pueriles animos tractandi arte, & (quod caput est) sanctis exemplis ita alumnos suos instituit, ut ejus schola facile inter alias emineret profectu & modestia illam frequentantium.

VII. Functus eo munere ivit Schmidus Ingolstadium, ut a præstantibus virtute, & doctrina magistris publico in gymnasio Theologiam disceret. Ibi ea constantia navavit operam sacræ disciplinæ, ut hujus confecto curiculo professorum omnium suffragiis dignus habitus sit honoribus illis, qui in eo genere maximi censentur. Sub idem tempus initiatus est Sacerdotio, cujus ministeria non in Germaniæ cultis urbibus, ubi plurimi factus esset ob egregias dotes, sed in barbaris extremæ Americæ regionibus exercere voluit, quod animi votum cum aperuisset Præposito Generali Societatis Michaeli Angelo Tamburino, is eum an. MDCCXXVI. in provinciam Paraguaycam designavit (*a*). Quæ hic retulimus adolescentis Schmidi

---

(a) Cum Schmidus quartus jam sit Jesuita exter ex iis quorum hic vitas scribimus, dicet aliquis (ut dixit

di laudem continentia ab ipso numquam (qua v humilitate fuit) rescissemus; sed ea nos docuit Cl. V. Maximus Mangold, qui eximiis scriptis præclarum sibi in republica litteraria nomen peperit, & cui res Schmidi apprime erant notæ.

NAVIGAT IN AMERICAM.

VIII. HAbita a moderatore Societatis proficiscendi venia, venit, Schmidus Hispalin, ubi tum erat Jesuitarum Hospitium Indicum, quod meliori dein consilio translatum est in portum S. MARIÆ. In nobilissi-

---

scriptor Regni Paraguayci) *atqui vetitum erat exteris hominibus ad Americam Hispaniensem navigare. Verum id est ex Jure Indico. Sed nihil tamen in Schmido aliisque factum contra leges. Philippus V. Rex concessit an. MDCCXXXIV die 17. Septembr. ut ipse narrat in decreto de rebus Guaranicis (quod decretum sæpe typis editum est) concessit, inquam Rex Catholicus Præposito Societatis (erat tum Franciscus Retz) ut posset in Americam mittere e Germanis quartam in supplementis eo destinandis Sociorum partem. Atque in eodem isto decreto, Articulo XII., Rex ipse Philippus laudat P. Thomam Werle Bavarum, qui cum adesset sacer pastor ad res spirituales quaternis Guaraniorum millibus, evocatis in auxilium Hispanorum pro oppugnanda Colonia Lusitanica, anno MDCCXXXVII. plumbea glande e mœnibus in obsessores emissa occubuit; adeo ille vel inter volitantes pilas Clientium suorum æternæ saluti consulebat.*

Cæterum quarta illa pars pro Indico supplemento a Rege Philippo permissa, sic observata est, ut multo pauciores exteri ierint in Americam, quam quot fas & jus erat. E vera id supputatione conficitur. Quippe ex omnibus finibus Hispaniensibus ejecti sunt in exilium Jesuitæ 5677. Ex his autem erant Socii Hispani 5400., reliqui externi, pauci admodum, si hos cum illis compares. Exceperunt omnium nomina Regii ministri, horum ego commentarios apello.

bilissima illa Bæticæ metropoli commorandum diu Schmido fuit: navarchus enim (ut fit) lactarat spem Hieronymi Herranii procuratoris ostenso ad transmissionem Oceani brevi termino, quem tamen paulatim ab Octobri mense an. MDCCXXVI. ad ipsum pervigilium Natalis Domini an. MDCCXXVIII. extendit.

IX. Igitur detentus Hispali Schmidus est cum aliis

Sed res tota contrahenda est ad provincias Indicas, in Hispania enim Europæa vix ullus erat exter Jesuita. Provinciæ Indicæ Societatis erant septem, in his anno exilii MDCCLXVII Socii 2617. Jam vero cum exteri comparate ad omnes Hispanos essent dumtaxat 277., fit hinc illos in Novo Orbe longe infra eum numerum fuisse, quem Rex Philippus concessit, quandoquidem vix pars decima ex eisdem constabat.

Idem autem Philippus an. MDCCXV., præfatus nihil se tam cupere, quam Religionis propagationem, amplificationemque Dei gloriæ, a qua pendebat sua, & questus simul utramque impediri ab exiguo sacrorum Operariorum numero, qui tum erat in America, decrevit, ut ex Europæis provinciis, e Polonia, Bavaria, Belgio, Statu Pontificio, Venetiis, Genua, *atque adeo* e tota Italia, *mitti possent a Præposito Generali Societatis Sacerdotes, Scholastici, laicique: excipiebat tamen diserte regnum Neapolitanum, & ducatum Mediolanensem, quod cur fecerit Philippus, facile quivis intelliget, qui rerum politicarum illius temporis conscius sit. Hujus Regii decreti exemplar reperi inter manuscripta P. Michaelis Mareti exemplar reperi inter manuscripta P. Michaelis Marimon, qui Guaraniorum Indorum cultor diu fuit. Ac fortasse ob istud ipsum decretum, & alia, quæ non vidi, posuit Rex Philippus in articulo illo XII., cujus supra meminimus, transmissionem exterorum ante ann. MDCCXLIII. factam fuisse e Regum Catholicorum Sanctionibus.*

Hæc dicta sunto pro fervido illo Scriptore Regni Paraguayci, *qui aut non legit decretum Regis, & super re sibi ignota declamat; aut sibi lectum dissimulat, & maligne prævaricatur. Stet ergo Schmidum legitime in Americam navigasse, & magno navigasse Americanorum bono.*

aliis in Paraguayam ituris longo tempore, haud ſine gravi incommodo & ſuo, & Sociorum, præcipue Germanorum, qui longe alio nati cœlo ob vehementes calores urbis illius male habuerunt, eorumque unus morbo oppreſſus occubuit. Nec tamen mora illa ſine ingenti utilitate fuit; didicit enim tum Schmidus cum aliis exteris linguam Caſtellanam, quæ omnino neceſſaria eſt in America Hiſpanienſi.

X. Ergo pridie Natalium Domini an. MDCCXXVIII e ſinu Gaditano (quo vocati fuerant Socii ex hoſpitio Hiſpalenſi) navigari cœptum eſt. Ibant in flumen Argenteum naves tres, prima S. Brunonis, altera S. Franciſci (hæ duæ majoris erant formæ) & tertia minor viginti tantum bellicis tormentis inſtructa, quam conſcenderunt duodecim viri religioſi Franciſcani, & Dominicanus unus. Priores illæ vehebant LX. Jeſuitas, & præter hos in navim S. Brunonis impoſitæ fuerunt pro præſidio Bonaurenſi choortes neſcio quot militum partim tironum, partim veteranorum.

XI. Egreſſos Gadibus proſecutus eſt ventus ſecundus, ac ſexto die ventum eſt propius inſulas Fortunatas; Tenerifem tamen, quam illi petebant, non niſi octo poſt dies, mutata cœli aura, tenere potuerunt in ipſa Epiphaniæ Domini ſolemni luce. Supplendus erat commeatus in regione illa felici, quæ omnibus abundat rebus: ac præterea navis minor excepit indidem XXX. circiter familias civium Canariorum ad novam Monſvideanam urbem, de qua in vita Coſmæ Agullo plura diximus.

XII. Gentis Gallicæ Conſul (ſic eum vocant, qui latini proprietate ſermonis cognitor negotiorum melius vocaretur) Jeſuitarum amicus, vix eos appuliſſe audit, lembo iit ad navim S. Brunonis, rogavitque Herranium procuratorem, ut Socios exponeret, domi ſuæ hoſpitaturos, toto, quo mora illa duraret, tempore. Vir quoque honoratiſſimus e familia Epiſcopi (is aberat luſtrandæ inſulæ Palmæ cauſa) ædem item pro omnibus paraturum ſe ſe liberaliter recepit.

Sed prudens ſenex Herranius, actis utrique gratiis, neutrius voluit uti beneficio, quod incommodum ipſis futurum erat, ſicque rem diviſit, ut quattuor dumtaxat ad prandium Conſulis ſemel miſerit, & totidem ad illius venerabilis Sacerdotis: curavit tamen idem ad aliquantulam animi remiſſionem ex anguſtiis navium egreſſos Socios uno die veſci ſimul in caſtello quodam, quod ad littus eſt.

XIII. Fuit inſuper Italus Bononienſis, qui in ea inſula fortunas ſuas collocarat, admodum officioſus in Socios, præſertim in P. Franciſcum Mariam Raſponi e nobiliſſima Ravennæ familia, & in Cajetanum Cattaneum, Mutinenſem. Schmidus, etſi gaudebat oblatam occaſionem contubernalibus ſuis recreandi ſe ſe ab incommodis ſuſceptæ navigationis, ipſe ſibi nihil deſiderabat magis, quam celerem inde diſceſſum, ut ad optatos Indos quamprimum perveniret.

XIV. In eo portu Januarii menſis bonam partem jucunde morati, contemplatique e propinquo altiſſimum illum montem, qui e media Tenerife ſupra nubes ipſas erigitur, naves iterum ſolverunt, non viſuri amplius terram, quam poſt binos menſes & ſemis. Poſtridie ejus diei, quo curſus repetitus eſt, cœpta exerceri ſunt ſacra miniſteria concionum, Catecheſeos, & adminiſtrationis Sacramentorum. Ter ſingulis hebdomadis concionabantur Socii in foro maximo, convenientibus illuc Navarcho, primoribus navis, claſſiariis, nautis, vectoribuſque. Factæ preces novemdiales ſexies; bis videlicet ad B. Virginem MARIAM, quæ Stella maris eſt, ſemel ad ſanctiſſimum ejus Sponſum Joſephum, ſemel item ad S. Antonium Patavinum, & bis ad D. Franciſcum Xaverium, quem difficultates & ærumnas navigationis illius expertum naves Luſitanorum atque Hiſpanorum advocant ſibi patronum & præſidem trajectionis Indicæ.

XV. Quotidie, ſi cœlum ac mare id permittebant (& permiſere fere ſemper) a binis Sacerdotibus ſacrificabatur, a quaternis autem in feſtis diebus.

Ad

Ad hæc, vespere sacri Rosarii preces præeuntibus exemplo Sociis recitabantur publice quattuor seorsim in locis, in puppi a vectoribus, in prora a nautis, in foro uno a militibus, in alio a famulis. Fructus autem e sacris functionibus tantus fuit, ut non dubitet dicere Cattaneus, qui ibat in S. Brunonis navi, vocatos ad vineam transmarinam Operarios reputare posse bene sibi posita tot per Europam itinera & tot obita in mari incommoda, vel hoc solo nomine, quod fiant inter navigandum piscatores hominum, trahantque (ut nautæ solent e medio Oceano cete grandia) ad JESUCHRISTI pedes *plenum rete magnis piscibus* (*a*).

XVI. Hinc mirum non est, si tam piæ classi cœlum faverit. Malaciam (tristissimum illud Zonæ torridæ malum) quæ alios detinet decem, quindecim, viginti, plures etiam dies, ipsi septem dumtaxat octove dierum experti sunt. Propius plagam Æquinoctialem euntes incessit procella in speciem gravis, re levis. Media tum nocte excitatus a vigilibus vidit

---

(a) Horatius Tursellinus in vita S. Francisci Xaverii postquam posuit, quæ Divus egit in navi pro omnium salute,,, nec solum, ait, in præsentia vectores Indicæ navigationis comites omni ope, atque opera juvit; sed etiam Sociis eodem deinceps profecturis itineris Indici ac vitæ regulam in posterum reliquit, quam illi hodie, Francisco auctore, enixe, tenentes, navibus quibus vehuntur, non minori solatio sunt, quam adjumento.,, (Lib. I. c. XIV.)

Neque aliter Joan. Petrus Maffejus occasione naviganti Xaverii eloquenter, & graviter describit quanta Sacerdoti, qui bene de hominibus mereri vult, seges suppetat sacri laboris in navibus Indicis. (Lib. XII. Hist. Indic.)

Idem de rebus pie gestis in cursu Indico a P. Gaspare Berzeo ea narrat, quæ sine lacrimis vix legi possunt. (Lib. XIV.)

dit Cattaneus, ut ipſe narrat, ad extremam oram unius antennæ fauſtam illam flammam, quam dicunt Hiſpani *SAN TELMO* (*a*), qua conſpecta finem tempeſtatis adeſſe gens credit maritima, atque ob hanc cauſam quotidie Divum illum ex Ordine S. Dominici in preces vocant. Nec quod res hæc phyſice explicari poſſit, id vetat, quominus naturale alioqui phænomenon vel accelerare Divus, vel (ſi cauſæ non adſint aptæ) ex Dei diſpenſatione accendere per ſe queat a nautis exoratus prænuncium tranquillitatis lumen.

XVII. Erat jam anniverſariorum jejuniorum tempus, quod in ipſa piſcium patria gravius uſu eſt, quam in locis terreſtribus. Dum enim navis curſum tenet, piſcari nautæ non poſſunt, cibuſque cunctis apponitur e paratis ſalſamentis, quæ irritant ſitim (maximam ceteroquin ob æſtum Solis illac flagrantiſſimi) non tribuitis viritim ad potionem in diem niſi binis terniſve (& ſi major penuria eſt uno tantum) aquæ dulcis ſcyphis, qui exiguus humor ingeſtus pectori ardenti id ferme efficit, quod adperſa ſtillatim frigida in officinæ ferrariæ flammas.

PORTUM INTRAT.

XVIII. SUB mediam Quadrageſimam (quo tempore majores fuerunt e ſacris declamationibus animorum

(*a*) *Hoc nomine (neſcio qua origine) vocant Nautæ B. Petrum Gonzalez Ord. PP. Prædic. cujus meminit Benedictus XIV. in Opere de Beatif. & Canoniz. SS. lib. 2. §. 53.* Magnam, *ait*, in eo fiduciam habent nautæ, quibus periclitantibus ſub ſpecie ignis apparere, & opem ferre dicitur, teſte Tamayo de Salazar (*Martyr. Hiſp. ad diem XIV. Aprilis*) & aliis *Oratio, qua utitur Eccleſia Hiſpanienſis. tota eſt de hac ipſa ope nautica. Obiit B. Petrus in urbe Tudenſi, cujus, ut totius item illius diœceſeos, patronus primarius eſt.*

rum motus) pervenere ad tropicum Capricornii. Terram dein Brasilicam primo conspicati sunt V. Kal. April. quo die gestientes summo gaudio hymnum Eucharisticum decantarunt. Attamen lentior post spes potiundi portus Monsvideani eos diu exercuit, neque illuc, superato ostio fluminis Argentei, appulerunt nisi ad mensem ipsum Aprilem hoc ordine, postridie Kalendas ancoram jecit navigium S. Francisci, Sancti autem Brunonis, V. Idus. Utraque hac citius navi stationem eam tenuit tertia illa minor, quæ distracta vento videri desierat ab insulis Hesperidum (*Caput viride* vulgo vocant) ac feliciore deinde usa cursu iter incolumis absolvit VI. Kal. Apriles.

XIX. E portu Monsvideano amnem Argenteum in occiduam oram enavigarunt ita lento trajectu (cum exploranda essent pedetentim, missa bolide, cæca vada) ut non successerint Bonisauris præterquam ad XVII. Kal. Majas, qui dies erat eo anno feria VI. majoris hebdomadæ. Ob sanctam temporis tristitiam nullum tum lætitiæ signum ediderunt. Sed postridie, ubi æra templi maximi festivo tinnitu sonuere, ter urbem salutarunt bellicis tormentis, ac simul explicarunt ad omnes navium antennas vexilla varii coloris testantia classis gaudium, quod tamen plenum non fuit. Quippe exortus ventus vehemens a Pampis (Australis ventus est, qui immanes in amni Argenteo motus ciet) prohibuit quatriduo, ne, demissis lembis; in terram descenderent.

XX. Qui dicitur portus Bonaurensis, portus re ipsa non est, sed apertus locus in medio flumine (appellant cives *El Amarradero*) distans a littore binis leucis (*a*). Hic naves majoris formæ ancoras ja-

(a) P. Didacus Garvia, quem XC. annos natum novi olim Bonisauris, narrabat, cum ipse in Americam trajecit, naves etiam maximas proxime ad arcem Bonaurensem appellere solitas fuisse : tantum deinceps arenæ il-

jaciunt: impoſitæque ſcaphis merces in urbem inde devehuntur. Ceterum quatridui mora illa inutilis non fuit: nam vectores & nautæ, cum Paſchalia eſſent ſollemnia, & tantam Sacerdotum haberent ſecum copiam, expiarunt ſe ſe ſacramento Pœnitentiæ.

XXI. In hac Sacramentorum adminiſtratione, ceterorumque piorum operum functionibus, quam habuerit partem Schmidus (qui cauſa nobis fuit hæc ſcribendi) neſcio equidem. Cajetanus Cattaneus, quo utor auctore, nullos Sociorum nominat præter Herranium procuratorem, & Franciſcum Mariam Raſponium, & Carolum Gervaſonium e nobili familia Ariminenſi, atque hunc quidem merito præ aliis, quia cum in S. Brunonis navi, Miniſter, ſive Cenſor morum eſſet, & interim ægrotaſſet quidam ex Sociis adoleſcentibus, ceſſit illi ſtratum ſuum, quod multo commodius erat; & quantumvis æger præ Patris reverentia uti beneficio nollet, vicit caritas Gervaſonii, qui ſe ſe ultro in adoleſcentis loculum (ſive potius in ſepulcrum triſte obſcurumque) conjecit, quo factum eſt, ut ille e gravi morbo mutatione loci convaluerit. Ceterum de aliis Sociis agit generatim Cattaneus, & ea ſcribit, quæ nos retulimus.

XXII. Tertia Paſchalis celebritatis feria XIII. Kal. Majas an. MDCCXXIX., cum Auſter cecidiſſet, tandem exſcenderunt Socii inter fauſtas nautarum acclamationes, & lætos boatus mugientium bombardarum. Incredibile autem dictu eſt quibus gratulationis ſignis excepti in urbem ſint. Prodiit eis obviam non modo magna civium vis, ſed nobilitas etiam, & Prætor re militari (pugnans olim pro Philippo V. amiſit brachium, quod ficta dein manu, & cubito argenteo ſupplebat) ac rebus geſtis inclytus Bru-

lac aggeſſit; vel occultis annorum acceſſibus in oram adverſam deflexit curſum amnis Argenteus, ut longiſſime ab urbe nunc navigia conſiſtant.

Bruno Mauricius de Zavala, qui totos unum & viginti continenter annos urbi Bonaurensi, amnisque Argentei ditioni latissimæ præfuit. Is amanter complexus senem Herranium, gratulatus ei est, quod tam copiosum supplementum in provinciam attulisset. Atque hac quidem insigni comitate, & benevolentia sibi constitit optimus Prætor, qui eidem Herranio proficiscenti in Europam commendatitias dederat litteras ad Regem, hoc ipsum supplementum postulans (*a*).

(a) *Ecce tibi litterarum Prætoris Zavalæ ad Regem Philippum V. exemplum, quod Petrus Fran. Xav. Charlevoix Gallus retulit inter documenta histor. Paraguaycæ (edit. Venet. latin. an. 1779. pag. 432.)*

" *Operarum in collegiis Missionibusque Societatis* ,, *inopia ex complurium obitu, aliorumque imbecillitate* ,, *veniam petere coactus est Provincialis, ut Procuratores* ,, *Missionis navigio Anglici commercii transfretarent.* ,, *Et quia Prorex D. Didacus Morcillo* (erat simul Limæ Archiepiscopus ex Ordine S. Dominici) *expositis* ,, *rationibus motus annuit; PP Hieronimus* (Herran) *&* ,, *Joannes Alzola Carteret liburnicam conscensuri sunt,* ,, *ut Sociorum suplementum auspiciis tuæ Majestatis quærant, atque deducant. Meum est M. T. de iis, quæ* ,, *desiderantur, certiorem facere, & de necessitate sufficiendi pastores Reductionibus numero auctis. Sunt enim* ,, *in hac una præfectura sexdecim, præter eas, quæ ad* ,, *Paraguariam spectant, aliasque recens alibi conditas.* ,, *Tuam pietatem & clementiam satis novi, ne dubitem Missionarios eo numero scribendos, qui provinciæ* ,, *necessitati par sit, summamque procuratoribus erogandam opem: quod ad catholicæ religionis incrementum* ,, *refert, & ad T. M. subditos in his regionibus servandos per Societatis homines, qui numquam non ad* ,, *regia parati sunt obsequia. Id liquet maxime ex solicitudine copias Indorum colligendi, dum opus est sive* ,, *ad tuendam provinciam, sive ad promovenda cœpta* ,, *quælibet; idque ea celeritate, constantiaque, de qua* ,, *jam alias ad T. M. retuli, quam Deus diu servet incolumem. Bonisauris 4. Dec. 1724.*

D. Bruno de Zavala ,,

XXIII. Pars gratulationis fuit lætus tormentorum ſtrepitus ab urbis munimento. Novi autem Socii, comitante immenſo populo, deducti ſunt ad collegium, & qua per obvias ſacrorum Cœnobitarum domos iter fuit, Religioſi patres pro oſtio ædium benigne prætereuntes ſalutarunt, juſſeruntque ſuarum æra turrium feſtive pulſari, id quod fecerunt RR. PP. Dominicani, aliique. Inter hæc ventum eſt ad collegii templum, jamque JESUSCHRISTUS ex alto ſolio propoſitus civium adorationi fuerat. Ergo poſtrati ante divinum Sacramentum, dum gravis Muſicorum chorus Ambroſianum hymnum concinebat, egerunt maximas pro ſe quiſque grates ſummo bonorum omnium largitori, cujus *viderant opera, & mirabilia in profundo, & lætati ſunt, quia deduxit eos in portum voluntatis eorum.* (Pſalm. CVI.) Quantum hic gaudium Schmido, & quam liquida voluptas fuerit, quod propius Indorum terras perveniſſet, cogitatu facilius quam explicatu eſt.

DESIGNATUR AD INDOS CHIQUITOS.

XXIV. VIx procurator Herranius collegium Bonaurenſe poſtliminio ſubiit, cum Præpoſiti Generalis Societatis auctoritate renunciatus eſt totius provinciæ Paraguaycæ moderator. Quo e munere ſpectabat ſeipſum dividere Sociis munia. Eorum igitur quos ſecum advexerat ex Europa alios ad Guaranicos Indos deſtinavit, ad Chiquitica oppida alios, inter quos fuit Schmidus, quo nihil melius potuit rei Chiquitorum conſulere, ut poſtea conſtabit. Iter agendum erat eidem Herranio Boniſauris Cordubam. Quocirca poſt binos menſes, qui dati ſunt novis Sociis ad reficiendas e navigatione vires, eduxit ſecum ille adoleſcentes omnes, qui in Cordubenſi Academia gravioribus diſciplinis vacaturi erant, & ſimul aſſumpſit ſibi comitem Schmidum cum aliis Sacerdotibus ituris

ad

ad Chiquitos. Defcribam brevi, quæ viæ ratio fuerit, longe enim aliter illic iter agitur quam in Europa, & Europæis, opinor, gratum erit noſſe, quid fieret.

XXV. Erant viatores Jeſuitæ numero LVIII. His attributa fuerunt XLV. vehicula, quorum pars afferebat commeatum, pars vehebat Socios. Memini commeatus, nam Schmido, comitibuſque conficienda erat denuo terreſtris quædam, ut ita dixerim, navigatio. Vaſta illa CXXX. leucarum planities, quæ (velut magni maris patens æquor) Boniſauris Cordubam uſque Tucumanorum protenditur, vacua humano tum erat cultu, nec niſi pauculæ domus, ut rari nantes, longiſſimis inter ſe disjunctæ ſpatiis occurrebant; nunc frequentiores ſunt. Illac igitur euntibus non ſecus ac per Oceanum portanda omnia ſunt, ligna ad focum (nam tellus ea arbores non fert) cibus, quem coquas (diverſoria enim non ſunt, neu cauponæ) aqua ad potionem, quippe quod bibas, alicubi penitus deeſt, nulli cum ſint obvii fontes, lacuſve, aut rivi longo terrarum tractu.

XXVI. Quinque & quadraginta illa vehicula non ibant agmine continuo, ſed in tres diviſa ordines, relicto inter hos ſpatio quingentum ferme paſſum: ſic iter fit expeditius, quam ſi ſimul eant; aliquando enim vel vehiculi axis rumpitur, vel fatiſcunt rotæ, & tum quidem, dum unius ſubvenitur malo, aliis, qui retro ſunt, ceſſandum eſt; ſin vero diverſæ ſunt turmæ, ea, quæ nihil paſſa damni eſt, iter ad deſignatam ſtationem continuat. Eundi modus erat is. Hora tertia poſt noctem mediam vehicularii ſervi ſubmittebant jugo boves, quorum quaterni ſingula trahunt vehicula, quæ ut alibi diximus, immani ſunt mole; & tamen, quod mireris, nihil in eis ineſt ferri, ne tantillum quidem, quanto conſtat tenuis acus, ac nihilo minus fabrica firmiſſima eſt: adeo illic æris caritas fabrorum ingenia acuit.

XXVII. Poſt ligatos boves iter incipiebatur. Unicuique vehiculorum ordini præibant bini equites

viam monſtrantes (agitator ſingulorum currum unus eſt, qui ad anteriorem partem ſubtus teſtudinem ſedens longa certica e dura & craſſa canna (quales regio illa gignit) priores boves dirigit; ut vero facilius moveat tam gravem, & protentam arundinem, pendet hæc & librata eſt e tigno, quod eminet e vehiculi tecto, & illam ſuſtentat. Viciniores autem boves agitat auriga ſtimulo breviore. Ordines vehiculorum pone ſequebatur ingens numerus boum, equorumque: illorum pars, ut per vices jugum ſubirent, pars pro macello ad cibum. Equi erant pro famulis (nemo ibi pedes ſervit). Totum armentum, ne elaberetur, ſervabant cuſtodes, equo item vecti.

XXVIII. Quattuor ante meridiem horis conſiſtebat totum agmen, ſinguli ordines, circumactis vehiculis, vallum efficiebant (hujus valli duplex eſt utilitas, altera, ut difficilior aditus ſit Indis barbaris, ſi repente irruant, altera, ut coacti intro boves, cum ligandi ſunt, facilius capiantur). In ſingulis vallis (dimiſſis bobus labore feſſis paſtum) tres accendebantur foci, unus, quo cibus Sociis pararetur, alter, quo ſervis vehiculariis, tertius, quo cuſtodibus armenti. Ex hoc autem tot capita quotidie occidebantur, quot ei virum multitudini ſatis eſſent: & caro quidem omnibus (pro regionis more, & copia bubuli generis) larga apponebatur. Interea ſtatuebantur tria ampla tentoria, primum pro locando altari, ubi quotidie ſacrificabatur, duo reliqua pro parando triclinio e menſis plicatilibus: conſueverat enim idem fieri ac in domeſtico cœnaculo, quod ad ordinem attinet ſedendi, fercula ſingulis miniſtrandi, & legendi inter prandium.

XXIX. Una poſt meridiem hora, refixis tentoriis, cogebatur in ſingulos vallos pars armenti, & vehicularii ſervi prælongo laqueo, quo utuntur dexterrime, boves aprehendebant, jungebantque ad jugum. Tum continuabatur iter ad occaſum ſolis, ac tribus iterum factis circulis, inſtruebantur foci ad cœnam.

nam. Post hanc, præmisso conscientiæ examine ad editum æris tinnitu signum (nam solitæ exercitationes spirituales, quoad ejus via sinebat, servabantur) dormitum ibant Socii ad vehicula, quorum binos singula vehebant, & post mediam noctem (hora quam antea docuimus) iter resumebatur.

XXX. Ad flumen Tertium (sic vocant) quod bidui itinere distat Corduba, obviam venit procurator provinciæ, ut novum provincialem, novasque ex Europa Sociorum copias, salutaret: ad flumen vero Secundum processit, undecim circiter leucarum via, Rector collegii, ut eodem comitatis, officio fungeretur. Tandem V. Kal. August. quinto & tricesimo die, ex quo egressi fuerant Bonisauris, intrarunt Cordubam Tucumanorum, deducentibus eos quibusdam primariis viris, qui ex urbe exierant, & alumnis Seminarii Monserratensis. Ad collegii templum eos opperiebatur pro sua dignatione Il. Antistes. Ibi decantatus est a læto Musicorum choro hymnus gratiarum actionis (*a*).

(a) *Hoc iter terrestre descripsimus ex litteris Caroli Gervasonii (hunc diu novi virum mitissimum) qui una cum Schmido ibat. Navigationem vero Oceani tum ex ejusdem litteris, tum ex Cajetano Cataneo hausi. Utriusque scripta publici juris fecit Cl. V. Ludovicus Antonius Muratorius. Et illæ quidem litteræ longissimæ sunt. Cattaneus in narrando Comico nautarum ludo, quo Regem lineæ æquinoctialis magna pompa in forum navis majus producunt; & ejus nomine tributum exigunt a Vectoribus, gravi proposita pœna ni solvant, multas impendit paginas, cujus rei mihi faciendam mentionem non duxi. Itaque plurima resecuimus, nec veremur quemquam fore, qui existimet moratos hic nimium nos, qui, similia Gervasonio Cattaneo, & Schmido experti, possumus illud dicere:* Et hæc olim meminisse juvabit. *Moneo tamen te a nobis paucula verba adjecta pro explicando modo itineris, quod fiebat Bonisauris Cordubam, Adde huc, (ut egregius ait scriptor Maffeius) Indicas narrationes afferre per se ipsas delectationem quamdam legentibus.*

PERGIT IRE SCHMIDUS AD CHIQUITOS.

XXXI. PRovincialis Herranius, & adolefcentes litterarum ftudiofi Cordubæ reftiterunt. Schmidum, & tres alios Sacerdotes manebat iter multo longius, quam quod nuper fecerant: Chiquiti enim diftant Corduba quingentis circiter leucis. Tranfeundum illis erat Potofio celebri illo Hifpanorum municipium ob inexhauftas tot jam fæculis argenti venas. Hæ nihil ad Schmidum, cui una cura erat deferendi illinc fecum Organum aerifonum; nam erat Potofii artifex quidam, qui hujufmodi mufica inftrumenta fabricabat. Atque jam tum cœpit Schmidus vel abfens quamplurimum prodeffe rei Chiquiticæ.

XXXII. Norat ipfe Organo pneumatico fcitiffime canere, compingere illud non norat. Ergo commeans ad artificis officinam obfervavit diligenter, qua æs miftione temperaret, quam tribueret majoribus craffitiem fiftulis, quam minoribus, ut pro fe quæque gravem ederet fonum, vel medium, vel acutum: qua item ratione ligulas, fpiramina, tefferulas, caveam aeris, & cetera, efficeret jufto ad ufum modo. Quid multa? Ut Schmidus non ad fpeculatrices folum artes, fed ad actuofas etiam natus factufque erat, e difcipulo magifter repente evafit.

XXXIII. Abfoluto opere, egreffus Potofio eft, non onuftus argento (cujus apud Chiquitos nullus erat ufus nifi ad templi ornatum) fed Organo illo fuo, quod divitiis omnibus anteferebat. Alacer igitur urfit iter ad urbem S. Crucis Montanæ, quæ velut oftium eft in oppida Chiquitorum. Sed illuc pervenit verno jam tempore, quo ita opplentur viæ annuis imbribus, ut maris inftar agri vallefque ftagnantes obftent porro ire. Quocirca, donec calor æftivus eluvionem arefaceret, abftinendum itinere fuit Schmido comitibufque.

XXXIV.

XXXIV. Poterat ille quidem eos menſes commorari cum Patribus Peruvicis, qui collegium habebant ea in urbe: ſed Schmidus & comites ſpectabant potius Indos, quorum iidem Socii Peruvici decem & octo a Sancta Cruce leucis oppidum curabant. Huc ergo contulerunt ſe ſe optimo conſilio, nam eo longi temporis ſpatio conſuetudinem Indorum & mores obſervaturi propius erant, & aliquem adepturi linguæ uſum, conſtabat enim paguis ille e gente Chiquitica. His dum inſiſtunt rebus, aperuit tandem ſe ſe via ſiccatis campis; & Schmidus actis pro liberali hoſpitio (quod deinde, ut dicemus, large rependit) gratiis, iter denuo arripuit, pervenitque incolumis ad S. Franciſci Xaverii oppidum, quod primum eſt ex iis, quæ Socii Paraguayci adminiſtrabant.

QUID EGERIT SCHMIDUS PRO TEMPORARIO CHIQUITORUM BONO.

XXXV. UT facilius intelligas quam multum Shmidus profuerit Chiquitis, dicendum eſt prius, quis eſſet ſtatus oppidorum, cum illuc venit. Gens Chiquitica vocata primo fuit ad fidem a P. Joſepho Auguſtino Arce ſub exitum ſuperioris ſæculi. Natio erat bello aſperrima, eoque formidanda magis, quod ſagittas ita præſenti veneno (ipſis noto ſolis) inficeret, ut ſi vel unam afflarent ſanguinis guttam, mors ſine ulla prorſus medicina continuo ſequeretur. Inter tamen arma animus Chiquitis patiens rationis & doctrinæ erat. Propoſitis bonis, quæ e communione civili, atque ab inſtitutis Chriſtianis proventura toti genti forent, dederunt manus, & in Arcei Sociorumque clientelam volentes libenteſque ſucceſſerunt.

XXXVI. Actum protinus de condendis oppidis, & felicibus auſpiciis ſteterunt aliquot. Verum hæc principio informia erant, & vix aliud, quam aſylum quoddam, ubi qui convenerant, inſtituebantur a Socio uno, dum alter alios atque alios magnis labori-

bus, & longis itineribus quærebat, evocabatque. Quippe mos Chiquiticæ gentis fuit, ut capita familiarum cum ſuis ſeorſim habitarent: ſpatium autem illud latum & amplum, quod medium erat ab uno ad aliud contubernium, id totum ſpatii multarum leucarum utriſque erat commune ad ſerenda legumina, ad mel colligendum, ad venandum, ad exercendum aucupium. Jam vero Socii, cum ſingulæ fere cognationes adeundæ privatim eſſent, hac in re quamplurimos annos impenderunt.

XXXVII. Res ſic fiebat: ibat unus e Patribus ad piam iſtam excurſionem, alter remanebat in oppidulo, ut eo jam collectos divina doceret myſteria. Ob hanc cauſam, cum uterque dies ac noctes negotio neceſſario diſtineretur, neuter vel rem temporariam Indorum, vel ædificia promovere poterat, ideoque artes utiles aut jacebant omnino, aut erant admodum imperfectæ. Accedebat huc, quod ne inſtrumenta quidem ad agendum comparare ſibi aliunde Patres poterant, cum nondum eis penderetur inter initia honorarium illud, quod Rex Catholicus tribui jubet Indicis Curionibus.

XXXVIII. Is erat ferme Chiquiticæ rei ſtatus, cum illuc venit Schmidus, cujus opera oppidorum facies plane mutata eſt. Vir magni ingenii, atque induſtriæ ſingularis, induxit ſtatim in animum nulli parcere labori, quominus bonum augeret publicum. Itaque eo incubuit (cum a rebus templi, & inſtitutione ſacra vacabat) ut Chiquitos doceret artes pæne omnes, plaſticen, toureticen, graphicen, & ærariam, & ferrariam, ceteraſque metallicas, ac materiarias, præcepta earum voce, & manu neophytis tradens.

XXXIX. Aderat fabris lignariis, & rectum uſum ferræ, & aſciæ, ſecuriſque, & dolabræ, & reliquorum armorum monſtrabat, ſingula per ſe ipſe tractans, ne ignoratione artis materiam, quæ illic optima eſt, Indi corrumperent: aderat iis, qui torno

ligna

ligna poliebant, & ad illa æquis ductibus circum molliter cædenda, & eleganter informanda, erudiebat: aderat ferrariis, ac ferrum domitans, & tundens, & limans, qui limæ, qui mallei, qui forcipis dexter esset modus, ostendebat: aderat textoribus, & qua ratione telas pulchre, si minus magnifice, variarent, explicabat: aderat pictoribus, operamque dabat, ut pararent rite colores, servataque pingendæ sacræ imaginis justa dimensione, vim & positus umbrarum sequerentur: aderat sculptoribus, aderat infectoribus texti operis, aderat inaurati tectorii opificibus ad templi ornatum, & suarum quemque partium commonebat.

XL. Ipse eo induxit artem figulinam, positisque rotis ollas, urceos, amphoras, & id genus alia, fingere Indos docuit; ipse stannum aliunde importatum liquefacere, & in subjectas formas infundere, & catinos inde, & candelabra, & vasa educere, ac deinde lævigare, primus inter Chiquitos instituit: atque hanc artem, ni fallor, didicit olim Schmidus Cordubæ Tucumanorum, cum iter illac habuit, a Josepho Clausner laico Societatis, qui stanni usum in Tucumaniam invexit magno provinciæ bono, cum enim vitrum in ea non sit, nec crystallus, scutellæ, salina, pateræ, scyphique (quibus hæc ex argento non erant) supplebantur ope Clausnerii e stanno laborato. Quis autem Clausnerius iste fuerit, atque unde illuc ierit, & quid egerit, videsis in ejusdem litteris, quas grati animi causa ad magistrum suum misit Corduba Monachium XIV. Kal. Apriles anno MDCCXIX. Atque hæ quidem litteræ ita nitide, & sincere, & pie scriptæ sunt, ut toti laicorum genti honori laudique esse possint. Eas edidit Cl. V. Ludovicus Antonius Muratorius (*a*).

XLI.

(a) *Parte II.* Christianismi felicis *pag.* 115. & *seqq. edit. Venet. an.* 1752.

XLI. Ab eodem Clausnerio didicit fortasse Schmidus æra campana conflare ad templi usum, qua ipse arte Chiquitos imbuit. Clausnerius certe cudendis tinnabulis ad turres sacras vacavit Cordubæ, cum alius non esset, qui id faceret. Æs autem ad opera fusilia petebatur a municipio Potosino, nam regio Chiquitica metallis caret. Jam vero quod ad opificia, quæ modo diximus, attinet, ea Indi, ut docili & bono ingenio sunt, ita hauserunt ab Schmido, ut per se ipsi eadem deinceps apte exercerent. Neque omittendum hic reor, quod, ad honestam populi in diebus celebrioribus oblectationem, delectos pueros docuit idem Schmidus graves, & gymnicas choreas, ut in foro (spectantibus viris, & seorsim fœminis) ex arte saltarent.

INGENIOSIORA SCHMIDI IN ALIORUM BONUM ARTIFICIA.

XLII. SEquar hinc paulo graviora. Horologia illa, quæ premente plumbi pondere, vel circumvoluta Chalybis spira, lento motu, ac perpetuo, temporis momenta (denticulis rotarum se se mordentibus invicem trudentibusque) distinguunt, singula saltem in singulis Indorum oppidis magnopere necessaria sunt pro recta diei partitione ad templi functiones, & ad domestica, atque externa opera. Illuc devehebantur pretio maximo ab urbibus Hispanis. Quod si (ut fit) vel culpa imperiti artificis, vel metalli vitio, vel inscitia curantis, moderatrix temporis machina labefieret, ecce tibi nongentorum, vel millenum aureorum pretium male positum, ac sine ullo prorsus usu. Huc ergo adjecit etiam animum Schmidus, & siquod ejusmodi opus technicum aliquo in oppido deterebatur, comperta labe, vel axes, vel rotas, vel spiras reficiebat.

XLIII. Idem, ut illæ ipsæ dentatæ moles ad justum Solis iter referrentur, describebat in atriis

ædium

ædium lucis indices, qui ex projecta umbra diei partes designant ex Astronomiæ regulis. Neque Schmidi studio bene omnibus faciendi id satis fuit. Ut haberent Socii in cubiculis horarium monitorem intra vitri septa detritum includebat pulverem, qui sensim per exiguum foramen decidens prætereuntis temporis spatium metiretur, quæ quidem mensura respondet illi, quam per cunctabundum aquæ lapsum reddebant Græcæ Clepsydræ.

XLIV. Præterea extendit Schmidus curas suas in noctem, & deserta loca. Ob summum regionis æstum iter noctu ferme agebant Socii, vel ut ethnicos e silvis evocarent, vel ut migrarent ex alio in aliud oppidum, cum opus erat. Quota esset hora unde scirent, inter muta circum & inhospita tesqua? Paupertas non ferebat, ut sibi compararent minutas illas capsulas ex ære fabrefacto, quæ illigatæ catenulis, & palam pendulæ, Europæis sunt ad usumne horarum, an ad fastum, luxumque? Deliciæ hæ nimiæ forent scilicet barbarorum cultoribus.

XLV. Schmidus, ut mediis etiam in arvis collibusque nocturnum tempus deprehenderent viatores Socii, horum solitudini, & commodo sic consuluit. Sunt ad polum Antarcticum (Novo in Orbe nova fere omnia cœlo terraque) quattuor numero stellæ nitidissimæ, visuque pulcherrimæ in CRUCIS modum conformatæ (*a*). Hæ circa illum cœli verticem con-

---

(a) *Meminit hujus cœlestis CRUCIS P. Josephus Rogerius Boscovich in interpretatione pulchræ Iridis a P. Carolo Noceti editæ. Is canit.*

Sic etiam ignotum proscindere puppibus æquor
Inventum, claramque astris majoribus Arcton
Inspectare aliam, & priscis illudere nautis.

Quæ carmina sic explicat præstantissimus Astronomus Boscovich: " Aliam nominat Arcton majoribus illustrem ,, stellis, non quod & circa Australem cœlestem polum ,, alia sit Ursa, ut binæ adsunt circa polum Borealem:

constanti conversione, & rato motu feruntur; atque ut altior, vel depressior CRUX est, certum noctis punctum determinant. Igitur Schmidus binis inter se aptatis rotulis excipiebat illarum stellarum radios, qui in subjectam recepti tabellam, quantum temporis vel a media nocte abiisset, vel ad eam adhuc restaret, significabant descriptis rite horis in orbem indicis. Ita CRUX cœlestis erat rectrix temporis; sed multo eadem magis esse debuit Sacris cultoribus rectrix æternitatis, quam sibi, & Indis beatam quærerent.

QUÆ FECERIT SCHMIDUS PRO FABRICANDIS TEMPLIS.

XLVI. Qui antea fuerant inter Chiquitos, struxerant illi quidem decentia templa, sed pulchre struendi & magnifice, nec facultas eis nec otium fuit (ut supra diximus). Schmidus, cum melior jam esset Chiquiticæ rei conditio, & potuit, & voluit ædes sacras condere, quæ majestate sua animos Indorum magis ad pietatem accenderent. Verum ædificandi illic ratio multum diversa a nostra est: Fiunt enim pæne omnia e materia, quæ optima est, & cujusvis artificii capax: quare fabrorum lignariorum, & cælatorum opera potior est, quam cæmentariorum.

XLVII.

„ *sed quia circa Australem polum adsunt multo plures in-* „ *signores stellæ, quam circa nostrum inter quas illæ ma-* „ *xime conspicuæ, quæ quod in CRUCIS formam sunt* „ *compositæ dicuntur* IL CROCIERE. „ *Equidem CRUCEM banc millies vidi terra, marique, atque utinam visu motus tam eximiæ rei dixissem illud crebro:* Species cœli gloria stellarum: mundum illuminans in excelsis Dominus, *Dominus quidem pro mundo* ***CRUCIFIXUS***. (*Ecclesiast. c. XLIII. v. 10.*

XLVII. Sunt in silvis Chiquiticis arbores altissimæ, atque ita crasso corpore, ut vix quini homines commissis brachiis illud complectantur. Erutas has arbores multa boum juga ad oppidum trahebant. Schmidus informia radicum capita paratam in fossam immittebat, obturabatque pavimento tenus ingesta pressaque humo: id erat fundamentum; atque, ut firma admodum & compacta est ejusmodi lignorum textura, vix ea quicquam labis sentiunt a situ, & humenti terra. Partem dein trunci a solo prominentem conformabat Schmidus in columnæ basim ex arte. A basi, quod ad tectum usque extabat, in spiras, vel in rectos sulcos ex proposita sibi descriptione fingebat. Ubi autem pervenerat ad locum epistylio designatum, eam illi indebat speciem, & cælaturam, quæ toti operi responderet. Ad trunci caput remanebat pars alia, qua transversæ trabes ad fabricæ firmitatem inter se committerentur. Columnæ porro tot erant, quot & tholus, & media templi area, & alæ binæ ad utrumque latus, exigebant.

XLVIII. Postquam omnia apte colligarat, immittebat Schmidus structores, qui parietem extrinsecus ducerent, implerentque vacua intervalla, quæ ad extimam templi partem patebant inter pilas. Sic solida, & pulchra, triplicique constans fornice stabat ædes; & quod ad columnas quidem attinet (cum essent multo graciliores iis, quæ e secto lapide fiunt) venustissimæ erant, ac veluti torno elaboratæ: certe molis sacræ arctius spatium, quam lateritiæ, occupabant. Succedebat altarium cura, obductio nimirum auri, & multiplex pictura, quæ omnia duce & magistro Schmido sic cælatores pictoresque efficiebant, ut neque ad ornatum operis, neque ad oculorum judicium quicquam desiderares. Nec minor illius diligentia in struenda tripartita porticu ad templi fores.

XLIX. Ad hæc, quod in Europæis architectis nullius est laudis, magnæ in Schmido fuit, ut de eo possis dicere Virgilii illud; *in tenui labor, at tenuis*

non

non gloria. Nempe ante eum repererat nemo firmum ædificiorum tegumen aptæ terræ penuria, proque imbricibus opus erat culmina munire cavo palmæ caudice. Atqui Schmidus meditando, experiundoque eam cretæ temperaturam commentus est, ut fictæ tegulæ, quibus operuit ædes sacras, vel antequam igni durarentur, inambulantem supra hominem sustinerent.

L. At quot templa ædificavit? quattuor, primum in oppido S. Raphaelis, dum hoc curabat Stephanus Pallozzius; alterum in Conceptionis (usus ad id materia, quam pararat Ignatius Chome, ut in hujus vita diximus) & quidem cum huic templo operam dabat, scripsit gaudio gestiens ad P. Michaelem Streichen, qui tum Chiquiticis Sociis preærat, reperisse se tandem modum multo faciliorem, quo columnæ illæ proceræ statuerentur multiplicatis trochleis, & addita ergatis vi; tertium struxit in D. Xaverii, & ultimum in S. Michaelis, adeo scite omnia, ut ædes Cathedralis S. Crucis Montanæ ab Italo facta architecto multis esset partibus inferior.

DOCET CHIQUITOS MUSICEN.

LI. **R**Estat, ut de Musica dicamus. Emmanuel Nobrega (*a*), quem misit D. Ignatius in Brasiliam, cum

---

(a) *Hunc* a prestanti virtute, & sapientia *laudat Joan. Pet. Maffejus. (Histor. Ind. lib XV.) Cum Nobrega ivit in Brasiliam Joannes Azpilqueta Navarrus, &, ut ego quidem arbitror, consanguineus S. Francisci Xaverii. cujus maternus avus fuit Martinus* Azpilqueta. *Maffejus corruptissime S. Xaverii cognomen posuit* (*lib. XII.*) Aspicolata. *Caterum Joannes Azpilqueta eo incubuit ardore in Brasiliorum salutem*, ut cognitis jam rebus, quæ a Xaverio apud Indos fierent, vulgo Lusitani affirmarent peculiare ac proprium munus deculque Navarræ gentis ac nominis videri conversionem Ethni-

cum animadvertiſſet, quantum Indi Muſice capiantur; date mihi (ajebat) præſtantium Muſicorum chorum, & ego quotquot Indicæ gentes ſunt Chriſtianas efficiam. Neque id dicebat vir prudens & doctus, quod auræ cœleſtis afflatus mentem & corda movens a Muſica pendeat: cum fides etiam prima divinum ſit munus, & cuncta naturæ tranſcendat opera; ſed quia ſuavis cantus, & inſtrumenta ſonora ſic Indos afficiunt, & mulcent, ut, ſi ita loqui fas eſt, fugare videantur (quemadmodum David dæmonium Saulis cithara compeſcebat) barbaros illorum mores & vitia, quibus paulatim exuti voci loquentis Dei, & doctrinæ myſteriorum (ut olim Eliſæus fidicinis cantu conceptam merito iram depoſuit, & læta prædixit) faciles aures præbent, & occulto gratiæ motu flectuntur.

LII. Schmidus obſecundans Chiquitorum muſico ingenio, aperuit Muſices ludum in oppidis, delectoſque pueros erudiit ad notas canere, & ſimul uti harmonicis inſtrumentis. Ubi vero e provectioribus Indis aliquis artem jam ſatis calluerat, hunc ſcholæ præficiebat, ac ipſe in aliud ibat oppidum inſtituturus novum gymnaſium: qua perſeverantia (adjutore Joanne Meſnerio, ut alibi dictum eſt) obtinuit, ut in ſingulis vicis Chiquiticis optimus Muſicorum chorus conſtaret pro templi functionibus. Arma autem muſica ipſe per ſe, perque idoneos Indos compingebat, tetrachorda acuta & gravia, tibias, lyras, lituos, illudque monochordon (Germanorum inven-

tum)

---

corum, *ait idem Maffejus. Xaverius autem ad Indorum inſtitutionem cantum adhibuit, quo libentius illi & ſuavius myſteria Religionis, & morum præcepta diſcerent. Inter vero munera, quæ Amangucium ad Regem detulit,* Monochordum *erat (ut appellat Turſellinus in Vita lib. IV. c. 7.) vel* Muſica Sambuca *(ut vocat Maffejus Hiſt. lib. XIV.)*

tum) quod fide una prælonga omnes plectorum sonos ad invidiam tubicinum imitatur. Præterea conflavit ille fuso ex ære eductis fistulis Organa pneumatica pro singulis oppidis.

LIII. In cantum autem, præter psalmos Davidis, quædam carmina Hispanica, & Chiquitica musicis notis adstrinxit. Addidit & concentus alios, quos Musici redderent inter Sacra Missarum. Atque hinc ortus est fructus ille, ut Indi Religionis mysteriis libentius attentiusque assisterent, qui finis piæ Musicæ est, atque *ideo* (ait D. Thomas) (*a*) *salubriter institutum est, ut in divinas laudes cantus assumerentur, ut animi infirmorum magis excitarentur ad devotionem;* id quod totidem ferme verbis docuerat quondam D. Augustinus, *ut per hæc*, inquit, *oblectamenta aurium animus in affectum pietatis assurgat*.

LIV. Sane Deus ipse in templo Hierosolymitano sacros esse viros voluit, qui ipsum *laudarent in sono tubæ, in psalterio, & cithara, in cymbalis benesonantibus, in cymbalis jubilationis*, constituitque sigillatim Musicos, quorum quis esset numerus, & ordo explicat Carolus Sigonius (*b*). Verum hæc dicta sunto de Musica (qualis erat Schmidi) gravi, modesta, temperata, pieque & caste in animos influente, non de effeminata illa, & fracta, & molli, quam abusu sacrilego e theatris in templum transferre ausi sunt inepti quidam harmoniæ compositores, quos solide & docte redarguit eruditissimus e Benedictina familia Benedictus Hieronymus Feyjoo, Hispanus.

PROMOVET SCHMIDUS BONUM OPPIDI SPONSALIUM B. V. MARIÆ E PROVINCIA PERUVICA.

LV. INdustria Schmidi & amor boni publici, non ad solum illa decem oppida Chiquitorum, quæ cura-

(a) 2. 2. q. 91. a. 2.
(b) *De Repub. Hebræor. lib. V. c. 5.*

rabant Socii Paraguayci, restrictus est, sed extendit etiam se se in aliud ejusdem gentis, quod (ut supra docuimus) administrabant Peruvici Jesuitæ. P. Joannes de Montenegro, natus in urbe S. Crucis Montanæ, cum frequenter eo convenirent aliqui Chiquiti, arsit desiderio illos ad fidem convertendi. Piis votis annuit Deus, & Montenegrius conciliatis sibi quibusdam eorum turmis oppidum posuit, quod ab urbe distat XVIII. leucis.

LVI. Hoc oppidum frequens admodum curabat nostra propius tempora Didacus Jurado, qui cum multa de Schmido præclara audisset, petiit ab eo per litteras descriptionem novi, quod moliebatur, templi: atque ut etiam ex ejusdem Schmidi disciplina Musicos haberet, ad ipsum misit tres Indos pueros, qui artem discerent in oppido S. Francisci Xaverii, ubi tum ille agebat. Missos Schmidus, ut solitus erat, liberaliter in primis habuit, & canere voce, & manu docuit, utque beneficium auctius foret, eos jam probe institutos remisit domum cum Indo adulto e schola sua bene perito, qui in illo Sponsalium B. MARIÆ oppido annum degens omnia, quæ ad Musicen pertinerent, rite ordinaret. Cum autem agi nihil posset sine canoris instrumentis, hæc quoque vel abs se, vel ab suis discipulis fabrefacta dono dedit Parocho Jurado.

LVII. Triumphabat is gaudio, quod votis suis Schmidus cumulatissime satisfecisset, præque amore illum videre coram & salutare cupiebat. Distat oppidum Sponsalium a S. Xaverii LX. amplius leucis, pessimo itinere, præterquam certis anni mensibus. Juradus cuncta pervicit, assumptisque novis Musicis, qui e præceptis Schmidi magnos progressus fecerant, viæ se se dedit alieno sane tempore; nam æstus, qui illac vehementissimus est, aquas exsiccarat, atque arebant omnia.

LVIII. Et vero parum abfuit, quin Juradus ipse cum comitibus periret siti (quod ei malum, si ire

pergeret, denunciarat Petrus Lizoain, qui oppida Chiquitorum pro provinciali præfecto recens lustrarat) & periisset re ipsa, nisi cum jam spiritus eum pæne defecerat, non longe a S. Xaverii humor denique inventus fuisset. Tandem eo pervenit, ac si ipsum audis (ut audivi ego) non hominem, sed cœlestem quemdam genium, sed Sacerdotem omnibus ornatum virtutibus religiosis, sed virum artis cujusque utilis peritissimum, sed vivam spirantemque imaginem caritatis, mansuetudinis, atque innocentiæ & candoris reperit in Schmido.

LIX. Hunc ille consuluit non solum de structura templi ædificandi ex data ab eo descriptione, sed de rebus aliis, quæ attinent ad rectum Indos regendi modum, cujus rei tantus erat usus Schmido post tot annos ab aditis Chiquitis: interroganti autem prudenter, & ingenue respondit. Ceterum voluit Juradus suos illos Musicos specimen aliquod edere, quantum ope ductuque Schmidi profecissent, atque in hanc rem attributus est illis dies unus, quo die in templo egregie instrumenta musica pulsarunt, ac sollemni ritu sacrificanti succinuere cantu harmonico.

LX. Postremo actis sine fine gratiis Schmido pro tot beneficiis Juradus cum suis (facili itinere post pluviam) lætus ad oppidum Sponsalium B. MARIÆ Virginis, unde venerat, revertit. Templum autem ex Schmidi forma perfectum jam erat an. MDCCLXVII. quod quidem ita placuit Il. Antistiti D. Francisco Raymundo de Hervoso, ut illuc e metropoli S. Crucis Montanæ sæpe diverteret, pluresque in oppido dies moraretur. Ita Schmidus benignum hospitium, quo eum aliosque suæ provintiæ socios Patres Peruvici ob annuos imbres via exclusos olim retinuerant secum, large rependit e lege grati & memoris animi.

SCHMI-

SCHMIDI SACRA MINISTERIA.

LXI. PArum esset curari ab Schmido elegantem templorum cultum, nisi huic respondisset suorum clientium animi cultus & pietas. Hæc quanta fuerit explicandum nobis nunc est, quandoquidem hinc etiam Schmido ad sacra ministeria præcipue incumbenti ingens & solida laus constitit: neque vero quod decus istud illi cum aliis Sacerdotibus ejus collegis commune fuerit, ob id a nobis omitti debuit.

LXII. Quotidianæ Chiquitorum exercitationes erant hæ. Sub ortum Solis, cum jam de more Curio ejusque collega jussæ meditationi vacarant, e templi turri dabatur signum ad Sacrum Missæ. Concurrebant Indi omnes (nisi quis detineretur legitima causa) etiam diebus profestis, erantque multi, qui tempus sacrificii occupabant, orabantque viri quidem extra templi porticum, intra hanc autem fœminæ, quas inter memoriæ digna est anus quædam oppidi S. Jacobi annos nata propemodum XC. (cum exacti illinc sunt Socii superstes adhuc erat). Hæc hunc vitæ modum instituerat. Quotidie binis ante solis ortum horis ibat ad templi porticum, ibique Deo supplicabat flexis genibus: deinde vestibulum verrebat, & postea (aperto jam sacræ ædis ostio) rei divinæ intererat; quo fiebat, ut quattuor, aut quinque horas continenter in pias functiones impenderet.

LXIII. In templo autem alius erat locus pro viris, alius pro fœminis, alius pro pueris, alius pro puellis: atque viri puerique altera, altera matres puellæque porta in illud intrabant, ut fieri inter Guaranios alibi diximus. Sacrificabant quotidie bini Sacerdotes, Musicis ore canentibus, & Organo, ceterisque instrumentis ex Schmidi symphonia. Sabbato ad augendum cultum erga B. V. MARIAM Sacerdotum alteruter sollemnius cum cantu litabat: ac mensibus singulis fiebat item Sacrum majori cærimonia

pro Defunctis. Ad aram semper aderant bini pueri linteati, & optime instituti cum tunica rubra, vel violacea, nigrave, prout erat diei officium.

LXIV. A facta re divina, qui periculose ægrotabant, ad eos Cœleste Viaticum deferebatur Indis comitantibus: post id, siquis sepeliendus erat, exequiæ celebrabantur. E templo redibant domum fœminæ, virique præter Catechistas quattuor, quorum bini a pueris, & bini seorsum a puellis doctrinam Christianam recitari curabant. His actis, patresfamilias, post refectum corpus jentaculo, ad prædium quisque suum abibant, præterquam feria II., quæ colendo agro communi, publicisque operibus destinata erat (*a*). Hæc mane.

LXV. Secunda post meridiem hora, audito Vesperarum signo, conveniebant rursus ad templum pueri puellæque, quos Parochus, vel ejus collega alternis, erudiebat Catechismo, & modo unum, modo alium excitabat e medio, & propalam interrogabat, ut constaret, an recte doctrinæ Christianæ capita teneret. Una ante Solis occasum hora vocabatur iterum populus ære sacro ad Rosarii preces, quibus persolvendis aderant simul Curio, & ejus Collega. Absoluto jam pio in Virginem officio, decantabatur Eucharistiæ laus carmine Hispano: BENDITO, YALABADO sea el Santissimo Sacramento del altar &c. Exin si æger aliquis dandus esset Viatico, vel moribundus extremo ungendus oleo, vel mortuus tumulandus, idem fiebat, quod fieri mane diximus. Quacumque vero hora interdiu noctuve ob instans periculum vocaretur Schmidus, vel ejus collega, ibant protinus cum binis ternisve æditorum, soli enim Indorum domos numquam intrabant.

LXVI.

(a) *Œconomia rei temporariæ apud Chiquitos non eadem erat ac inter Guaranios; inter hos omnia erant communia, inter Chiquitos singuli sua habebant propria, id ferente diversa indole & industria gentium.*

LXVI. Redeo ad pueros puellaſque. Emiſſi poſt Roſarii preces e templo, ſub ſuo quique morum magiſtro & cenſore, conſiſtebant ad ſublimem Crucem, quæ erat in foro, atque ibi jubebantur iterare præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita, ut hærerent firmius memoriæ. Id autem ad Crucem fiebat, quod mira eſſet Neophytis in eam reverentia & pietas. Illam frequenter adorabant, oſculabanturque, & ornabant compoſitis in ſertum floribus.

LXVII. Curio, vel ejus collega, quotidie veſperi ægrotos omnes inviſebat, ibantque una, qui e domo ipſius Parochi panem, & pulmentum ex Indico tritico, & carne elixa, ſingulis afferebant; quæ res magnopere neophytorum animos curatoribus ſuis conciliabat. Addebatur cibo corporeo ſpiritualis cibus, quo ſacer miniſter ægros ad exercitationes virtutum Chriſtianarum ſtimulabat, præibatque formulis fidei, ſpei, & caritatis, ac monebat, ut moleſtias morbi patienter ferrent æterni reſpectu præmii. Et Schmidus quidem hanc decumbentium luſtrationem tanti faciebat, ut, cum ingredi non poſſet affectis tumore pedibus, tamen qua baculo nitens, qua ſe ſe humero collegæ ſuſtentans, male habentium ædes lætus circumiret.

QUID FESTIS DIEBUS AGERET SCHMIDUS.

LXVIII. DE diebus profeſtis hactenus. Feſtis diebus accedebant alia. Primo mane viri cum pueris, fœminæ cum puellis ad templum ibant, locumque utrique ſuum occupabant. Tum alta voce, binis præeuntibus, totum Catechiſmum recitabant. Deinde vel Schmidus, vel ejus collega, concionem e ſuggeſtu habebat de virtutibus Chriſtianis, vel fidei myſteriis. Poſt id e ſuperiore loco deſcendens luſtrabat populum lympha expiatoria e libro ſacrorum rituum, functuſque eo officio faciebat rem divinam ſollemni cærimonia

monia cum Musicorum symphonia. Huic sacro succedebat aliud, cui intererat, qui nequiverant primo interesse ob ægrotorum curam; & tum Musici pulsabant sua etiam instrumenta sed sine cantu.

LXIX. Dominicis diebus pomeridiano tempore fiebat sollemnis baptismus omnium, qui proxima nati hebdomada in eam diem sine periculo servari poterant, aliter (siquod esset discrimen) statim sacro fonte abluebantur. Publicæ illius pompæ causa erat, ut major Indorum animis Sacramenti reverentia ingereretur. Mos autem fuit omnibus in oppidis, ut unus provecta jam ætate cunctorum esset baptizandorum puerorum susceptor, sive sacer sponsor; anus item una cunctarum puellarum susceptrix. Hoc ideo institutum est, ne cognationes spirituales multiplicarentur, atque expeditiora forent matrimonia, quæ non nisi postquam Parochus Sponsum & sponsam de libera voluntate diligenter examinarat, celebrabantur, idque sine offensione, quæ aliquando alibi e male auspicatis connubiis oriuntur.

LXX. Cum sanctior aliquis dies instabat, monebat populum Curio, vel ejus collega, ut se se rite ad illum pararent. Quod siqui volent, ajebat expiare se se confessione, conveniunto ad sacrum tribunal viri, & fœminæ talis tribus (quam nominabat) feria V., feria autem VI. ex alia tribu, & Sabbato demum ex alia: quo fiebat, ut omnes, quibus cordi esset eluere labes animi, id commode, & vitato tumultu nimii concursus, facerent. Festo autem ipso die prodibant mature in templum Schmidus, & ejus collega, ut siquis ex ante confessis optaret Sacramentum repetere, illi statim aures darent. Idem ordo, modusque servabatur in Quadragesima pro Paschali præcepto, vocatis in certos dies singulis tribubus.

LXXI. In obeundis religiosis his functionibus summa erat Chiquitorum pietas. Id intelligere ex eo licet, quod cum Sacrificii, vel concionis tempore ternis aut quaternis capitum millibus plena esset ædes

sa-

ſacra, nullus ſtrepitus, nullumque murmur audiretur, nec ſe quiſquam loco moveret, ſederetve, niſi cum Sacerdos verba faciebat e ſuggeſtu. Pro retinenda autem & ibi, & publice recta diſciplina erant ſingulis oppidanorum claſſibus præpoſiti Indi quidam virtute & modeſtia præſtantes. Hi tamquam morum magiſtri, & cenſores in rebus agendis præibant aliis, ac ſingulorum vitam notabant, monebantque Parochum, ſi quid emendato opus eſſet.

LXXII. Ad hæc, in oppidis omnibus erat quædam virorum fœminarumque ſodalitas, quæ præcipuo honore colebat Virginem Dei matrem MARIAM. Qui ſe ſe ei devoverant, frequentabant præ ceteris Sacramenta, ac præter alias pietatis exercitationes ſæpe ægros adibant, & ſolabantur. In hujuſmodi ſodalitia cooptabatur nemo niſi diu multumque probatus, & candidati expectabant vel biennio, vel triennio, uſquedum de ipſorum probis moribus, & bono vitæ exemplo, certius conſtaret. Quod ſiquis in album Sodalium relatus, poſt degeneraret, diſcerpta publice ſymbola, ſeu teſſera, quæ data illi fuerat, pro exauctorato deinceps habebatur. Qui vero fidi perſeverarant, ii majore cum apparatu efferebantur, certo ſepulturæ loco eiſdem attributo.

FRUCTUS IN NEOPHYTOS EX SCHMIDI ET ALIORUM MINISTERIIS.

LXXIII. SAtis hic erit aliqua Chiquitorum recte facta producere, ut de aliis fiat conjectura. Exierat ex oppido S. Joannis Baptiſtæ an. MDCCLXVI. pia quædam turma, ut Ethnicos longiſſime illinc poſitos ad civilem ſocietatem, & fidem blande allicerent. Illi conſpicati Chiquitos adventantes (quamvis hi amice eos compellarent, nollentque armis uti) pro hoſtibus habuere, pluresque nec opinantes occiderunt. Fugam reliqui capiunt, inter hos ſenex qui-

dam cum filio: ſed cum vires illum deficerent, & jam jam mactandus eſſet a barbaris perſequentibus, haſtam filio tradit, atque equidem, ait, effugere mortem non poſſum; tu potes; abi proin propere, & redi in oppidum, & matris age curam, & familiam ale.

LXXIV. Alius ex eadem infauſta expeditione errantem quemdam e ſuis reperit vix veſtigia molientem, quod pedem graviter in ſtipitem offendiſſet. Hunc ille in humeros ſponte ſuſtulit, multoſque pro ceſſit dies pia ſarcina onuſtus, ut reſtitueret oppido ægrum tribulem. At is cum e plaga exulcerata adeſſe ſibi mortem ſentiret, bajulum rogavit, ut conſiſteret, ſeque humi deponeret, vocari quippe jam ſe a fratribus ſuis nuper ab infidelium gente occiſis. Poſt id expiravit, atque inibi cum veſtibus, ut ipſe petierat, mandatus terræ eſt. Atque ego quidem neſcio hic utriuſnam, an ſepelientis, an ſepulti laudanda magis ſit vel pietas, & æquitas animi, vel caritas? Illud ſcio ejuſmodi virtutis portenta in mediis barbarorum ſedibus, quæ tigrium potius quam hominum cavernæ paulo ante fuerant, ab ſola peti ſperarique poſſe ope & gratia JESUCHRISTI, qui doctrinam ſuam & legem idemtidem confirmat heroicis his exemplis ponentium animas ſuas (qua major caritas nulla eſt) pro æterna inimicorum ſuorum ſalute. Ceterum cædes illa tot inocentium virorum oppidanis admodum acerba fuit; illud unum conſolationi erat, quod in pias has excurſiones numquam irent niſi rite parati Sacramento Confeſſionis, & cœleſti pane muniti.

LXXV. Gaſpar Troncoſus barbaros adiit neſcio quos, ut benignis verbis munuſculiſque conciliatos in oppidum S. Ignatii deduceret ſecum. Vix viſi Chiquiti, quibus cum ibat, ab ethnicis ſunt, vibratis hi ſagittis aliquot eorum vulnerarunt. Ex ictis unus fuit, quem jam morti proximum cum interrogaſſet Troncoſus, numqua oborta ipſi eſſet averſio animi

in

in barbarum, qui eum transfoderat? nulla omnino, respondit; ethnicus est, & quid agat, nescit: dein expiatus confessione tranquille mortuus est, & inibi sepultus.

LXXVI. Anno proximo eosdem Indos evocandi causa, si forte mitescerent, illuc rediit Troncosus, voluitque simul amissi quondam comitis ossa effodere, secumque asportare in oppidi templum. At (mirum) cum apertus esset locus, expositusque aeris injuriæ, imbribusque, & humus ipsa alioquin cuncta corroderet, corpus tamen repertum est integrum; idque videtur indulsisse Deus optimo neophyto, qui moribus fuerat innocentissimis. Troncosus insolito facto permotus efferre cadaver loco noluit, ut longius tempus ostenderet essetne res ea vires naturæ supra; quod si integritas duraret, statuit (eo enim revertendi erat animus) sacrum depositum in oppidum devehere. Interea lege exilii abiit e Chiquitis, nec deinde rescitum est quid acciderit.

LXXVII. Ceterum pietas Chiquitorum cum rebus in multis commendanda sit, eminet præsertim erga Eucharistiæ Sacramentum, quod quibus obsequiis colerent argumento sit publica in festo die Corporis Christi supplicatio. Atque hæc quidem in Europæ urbibus splendide (ut par est) & magnifice instruitur, Damascenis telis, & auleis pulchris visu undique micantibus, expositoque palam auro, argentoque, & stratis humi tapetibus & stragulis pretiosis: at non propterea melior est & sanctior pompa hæc, quam simplex ille Indorum apparatus, qui certe accedit propius ad modestum eum cultum, quo Christus Dominus divinum convivium propediem institurus Hierosolymam ingressus est, non sublimi vectus curru, equove gemmis instrato, sed humili jumento, inter gratulantes acclamantesque turbas, quæ divino afflatæ spiritu *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei... & substernebant vestimenta sua in via.*

LXXVIII.

LXXVIII. Forum, quod quadratum eſt, & amplum, ornabant Indi circum ſtructis arcubus ex arborum ramis, quibus ſua inerant pendula ſparſim poma. Inter virides autem frondes, levi detentæ tænia, multiplicis generis volitabant aves colore diverſæ & forma, anates, anſeres, pſittaci, quorum multæ illic & pulchræ ſpecies, & tunchaæ abnormes roſtro, quod toto fere corpore longius eſt. Adde his Maximos (Chiquitica vox eſt) pavoni ſimiles, Struthioneſque erecto collo, & altis pedibus (*a*).

LXXIX. Ad arcuum baſes revinctæ erant feræ e ſilvis, ut urſi formicarii, ut apri, ut cervi, ut damæ, ut vulpes, ut terreæ teſtudines, ut lepores, atque alia id genus: quæ quidem belluæ certo quodam officio, & tacito obſequio, extollebant vim & majeſtatem tranſituri illac Domini, qui revocat ſæpe in memoriam hominum, ut grati ſint, illud: *meæ ſunt omnes feræ ſilvarum, jumenta in montibus, & boves. Cognovi volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt* (*b*). Ac Iſaiæ item oraculum: *glorificavit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones* (*c*).

LXXX. Pavimentum, quod medium erat ſubter arcus, qua ſupplicatio ducebatur, ſternebant partim floribus, partim frugum ſemine, partim telis, quas in ſuos illi uſus texuerant; collocabant hæc humi, ut præteriens Dominus ipſa quodammodo in ruris, & domorum copiam conſecraret. Is erat pius Chiquitorum ornatus, probandus utique, ſi vidiſſet, D. Hieronymo, qui ſuum Nepotianum laudat in Epitaphio, quia *Baſilicas Eccleſiæ diverſis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit*.

LXXXI.

(a) *Hæc de avibus & feris exempli gratia diximus; neque enim in oppidis omnibus omnia iſta ad arcus ponebantur, ſed quæ per eos dies e ſilvis ceperant Indi plura pauciorave.*

(b) *Pſal. XLIX. vv.* 10. & 11.

(c) *Iſaias c. XLIII. v.* 20.

LXXXI. Sed tamen cultus ille Chiquitorum pluris pendendus, quo Sacerdotem ſupplicantem eo corporis habitu, eaque modeſtia comitabantur latere ab uno viri, ab altero fœminæ, ut toti in adorando eſſent Numine, viderenturque & ipſi iterare ſolemne carmen illud ab Hebræis dictum triumphanti Domino: *Hoſanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini. Hoſanna in altiſſimis*: id quod futurum tot ante ſæculis prædixerat Rex Pſaltes de Americanis, aliiſque Orbis terrarum populis: *adorabunt*, inquit, *in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.... in conſpectu ejus cadent omnes, qui deſcendunt in terram* (a), Antipodes ſcilicet, ut vult Antonius Vieyta.

LXXXII. Interea reſonabat feſtivus tinnitus æris campani, & lætus Muſicorum Chorus, qui Sacramento plaudebat. Tunicati autem & linteati pueri alii ſublimem umbellam prætendebant, alii plenas acerras trito in ſuffimenta pulvere geſtabant, alii argenteis thuribulis ſuavem & pium odorem ſine intermiſſione in auras ſpargebant. Id in lætiſſimo illo die.

LXXXIII. Majorum jejuniorum ferias vocabant, ut eſt, tempus ſanctum, quo toto tempore ſingulare in oppidis ſilentium erat, ceſſabaturque ab omni ludo publico. Univerſi autem intererant ſacris concionibus, quæ tum ſingulis hebdomadis ter veſperi habebantur. Sanctioris hebdomadæ feria V. & VI., quamdiu in ſepulcro Chriſti corpus aſſervabatur ſemper aliquot adoratores aderant, tribus enim aliæ in id officii aliis ſuccedebant. Poſt ſermonem de Paſſione, ut patientem pro nobis Dominum aliqua ſaltem parte immitarentur pii Indi, voluntariis ſe ſe ſuppliciis cruciabant, maxime in lugubri ſupplicatione feriæ quintæ ſub noctem; ita quibuſdam nudata terga acriter cædentibus, ut erumpens cruor parietes templi, & viam forumque reſpergeret.

LXXXIV.

(a) *Pſalm. XXI. vv. 28. 30.*

LXXXIV. Illud ſilentio prætereundum hic non eſt, quod ubi pueris puelliſque juſta annorum ætas creverat, antequam ad cœleſtem menſam admitterentur, eos Parochus accurate diſcutiebat inſtituto examine, an ſacri convivii capaces jam eſſent. Omnes autem qui rite probati excultique Euchariſtiam acceperant, poſt Sacrificium divo hoſpiti ſimul grates diu agebant ex ſcripto carmine; quod accomodatis in eam actionem ſenſibus prælegebat unus e templi miniſtris.

LXXXV. Quantumvis vero diſciplina oppidorum recte inſtituta fuiſſet, teneretúrque admodum, nihilo tamen minus obnoxii erant Chiquiti, ut cæteri hominum, corruptæ naturæ vitiis. Verum illorum propria laus eſt, quod aliqua legis præcepta numquam violarent: quippe jurandi temere, pejerandique, aut male aliis dicendi conſuetudo ibi nulla, nullæ item blasphemiæ, & ne ſcandala quidem inveterata; ſiquis enim quid peccarat, fugere diu non poterat morum cenſores, qui captis indiciis illico admonebant Parochum. Deprehenſi autem, & publice convicti, pœnam ſubmiſſe luebant, & facti pænitentes reſipiſcebant.

LXXXVI. Hæc ſunt, quæ pertinent ad ſacram Chiquitorum inſtitutionem, quæ ſimillima erat Inſtitutioni Guaraniorum. Nam cum hos primo erudiiſſent Socii Paraguayci, & plurium annorum ſpatio experti fuiſſent diſciplinam iſtam informandis Neophitorum animis aptam eſſe, eam in regionem Chiquiticam volentes libenteſque tranſtulerunt.

LXXXVII. Ceterum quæ hactenus de hoc argumento explicuimus, aliena non ſunt a vita Schmidi, qui rectum illum ordinem pro virili retinuit, & urſit in primis, ſe ſeque pro indorum bono, & ornatu domus Dei, in omnes vertit formas, & artes, quarum tot calluit, ut, niſi me nimia terreret hyperbole, accommodaturus ei eſſem, illud, quod de præſtantiſſimo artifice, & divinitus afflato pro Sacræ

Arcæ,

Arcæ, & tabernaculi opere dictum eſt: *ecce vocavit Dominus ex nomine Beſeleel filium Uri... implevitque eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus... quidquid fabre adinveniri poteſt, dedit in corde ejus* (a).

ITER SCHMIDI A CHIQUITIS AD HELVETIOS.

LXXXVIII. HIS maxime rebus occupabatur Schmidus, cum tollenda ab opere manus fuit, indicta exilii lege. Hæc perlata eſt ad Chiquitos ineunte Septembri menſe an. MDCCLXVII., ut alibi diximus. Sed tot erant pro abitione ſenum difficultates, atque impedimenta, ut non niſi ad menſem Decembrem profectio Schmidi expediri potuerit. Hoc igitur menſe abiit ille ex oppido S. Raphaelis; quo autem dolore ob ea, quæ deſerebat, ac ipſi tot ſteterant curis, tantiſque laboribus, & qua ſimul animi ægrimonia ob amorem, quo tamquam pater Indos proſequebatur, quivis per ſe melius intelliget, quam ego explicem verbis.

LXXXIX. De infinitis itinerum moleſtiis, atque incommodis, cum per altiſſimos rigenteſque nive Peruvii montes, tum in navi per mare Pacificum, nihil hic opus eſt dicere, cum ea ſatis ſuperque narraverimus in aliorum vitis. Et quidem Schmido vel inde crevit viæ acerbitas, & angor animi, quod Ignatium Chomem ſemimortuum deportari hamaca viderit, & Joannem Meſnerium exſpirare inſidentem mulo, & Stephanum Pallozzium morbo occumbere in Portu Bello, quos omnes itineris comites, cum eximie amaret, ex eorum malis mala ipſi ſubcreſcebant.

XC.

(a) *Exod. c. XXXV. vv.* 30. 31. 32. 33. 34.

XC. E Portu Bello deductus mari fuit Carthaginem Americanam. Urbs hæc ampla est & frequens, & pulchra, & dives, sed gravi insalubris cœlo ad gradum IX. latitudinis Borealis. Præter loci intemperiem accessit illic novus Schmido dolor. Nam VIII. Kal. Febr. an. MDCCLXIX. grandi ætate Josephus Rodriguez cessit e vita ab obita nuper navigatione, quæ affectam alioqui ejus valetudinem penitus fregit. Is fuit ultimus Chiquiticorum Sociorum Superior, ob idque (præter alias viri vere religiosi dotes) carus apprime Schmido, qui magno semper obsequio, & insigni reverentia præfectos suos coluit.

XCI. Post sex menses positos Carthagine navim denuo conscendit V. Idus Maj. deportandus cum aliis Sociis in Europam. Ex itinere tenuere Cubæ insulam, atque in Havanæ portu detenti sunt ad III. Kal. Julias. Sublatis ancoris, directoque cursu in continentem, Hispaniæ terram prospexere pridie Kal. Septemb. an. MDCCLXIX., ac postridie sinum Gaditanum intrarunt, unde in vicinam urbem S. MARIÆ lembis devecti sunt.

XCII. Ea in urbe cum moratus annum fuisset, trajecit ineunte Septembri mense an. MDCCLXX. mare internum. Navarchus rei suæ causa Genuensem portum subiit, substititque ibi triduum, quo toto triduo Jesuitarum nemo in terram exscendit. Inde repetito cursu venerunt Spediam (Porto Specie nunc dicunt) ubi tandem expositi sunt III. Kal. Octobr. qui dies sacer est D. Michaeli Archangelo. Schmidus terrestri itinere (socio ac comite Ruperto Talhamer laico) (*a*) Bononiam contendit, atque hinc per-

---

(a) *Hujus ego laici libens vitam scriberem (meretur enim) sed sat mihi documentorum non suppetit. Fuerunt in eo quattuor, quæ bonos laicos efficiunt, pietas, caritas in Deum ac proximos, & amor laboris, & vera humilitas. Magnam vitæ partem inter Guaranios In-*

perrexit ire Augustam Vindelicorum, ubi præclarum erat collegium provinciæ olim suæ (*a*).

XCIII.

---

dos posuit Chirurgi, & medici munere. Ex oppido Candelariæ, ubi degebat, undecumque vocaretur, (vel si LX., aut LXX leucarum esset iter) conscenso equo ibat protinus. Quod si facta loco in uno medicina in alium longissime arcesseretur, se se illuc sine mora conferebat. Illius ipsemet caritatis testis, venit enim olim ad me, cum pedibus tumentibus moliri gressum nequirem, atque efficax pharmacum, quo convalui, præbuit. Ubi quid otii nactus fuerat in statione sua, partim medicamenta parabat, partim studebat bonis libris, partim orabat in templo, partim pie obibat solitas exercitationes distributi diei ex disciplina religiosa. Quod ad humilitatem attinet recusabat ille nihil, quantumvis abjectum, & usu vile, quo posset Sociis opitulari.

Dicam ob eos, qui censent Indos nihil capere; quid mihi eique quondam acciderit. Ivimus una ad Indam moribundam, ille, ut siquam quiret, opem ferret medicam, ego, ut fungerer sacro ministerio. Cum ægræ assisteremus, attrectata vena, omanòma, *inquit, Talbamer, idest, jam mortua est. & vero nullus vitæ sensus apparebat. Aderat simul Indus, cui ægrorum oppidi cura erat, & ipse pertentato corpore, nondum obiit, ait. Utri tu credidisses? Talbamer multo erat peritior, quam Indus ille. Atqui is tum quidem melius eo rem tetigit, adhuc enim Inda vivebat, & vitæ signa dein dedit.*

Natus est Talbamer Lausenæ, quod oppidum est Archidicœceseos Salisburgensis die 21. Septembr. mensis anno 1710. Navigavit in Paraguayam an. 1748. Quid post reditum in Europam egerit, docuit me Cl. V. Maximus Mangold. Ex America, *inquit*, ad nos redux cum P. Schmido Lucernam missus est, ibique triclinii, ac infirmorum curam gessit, ea sedulitate, ac charitate, ut cæteris sui ordinis proponi in exemplum jure potuerit. *Mortuus est in ipsa urbe Lucernæ die 15. Octob mens. an. 1780.*

(a) *De hujus eximii collegii Origine habemus plenum succi, & nervi opusculum recentissimum an. 1786. a Cl. V. Maximo Mangold, cujus modo, & alias meminimus.*

XCIII. Itaque cum viam e Chiquitis ingressus sit Schmidus mense Decembri an. MDCCLXVII., & Augustam Vindelicorum pervenerit vertente jam ad finem an. MDCCLXX., itinera illius triennium durarunt, mirumque est hominem natum quinque & septuaginta annos non succubuisse vel terra, vel mari ærumnis innumerabilibus. Verum placida animi quies, & mentis tranquillitas, & consensio jugis cum divina voluntate, debile corpus adeo sustentarunt, ut vel inter rerum asperrima posset pro sua musices peritia (cum in cursu longissimo ter Pentecostes sollemnia celebrarit) suaviter canere ad spiritum Paraclitum: *veni lumen cordium, consolator optime, dulce refrigerium, in labore requies, in fletu solatium;* quæ precanti evenisse de cœlo credere fas est.

VIRTUTES SCHMIDI.

XCIV. SEcundum virtutes fidei, spei, & caritatis, quæ ut Christianæ vitæ fundamentum sunt, necesse est insint præ aliis Indorum cultori (sine fide enim, & magna fide, quis patre, & patria, & amicis, & opibus, & commodis domesticis relictis, se se in deserta locorum, & silvas induet, objicietque sexcentis vitæ periculis, & vitam ipsam aliquando telis clavaque petitus profundet? quæ causa est cur Hæretici, cum vera careant fide, cutis curandæ, colendæque veneris sollicitiores sint, quam propagandi Evangelii *in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Sine spe autem, quem sibi susceptorum operum, & cœptæ institutionis successum spoponderit? & sine caritate, qui mala, & miserias, & inopiam subierit pro amplificanda Dei gloria)? secundum fidem, inquam, & spem, & caritatem princeps Schmidi virtus fuit lenitas & mansuetudo plane singularis. Nihil illo mitius, nihil blandius.

XCV.

XCV. Vel cum cogebatur Indorum aliquem, quod erraſſet, plectere, erat ſimilis legum, quæ, ut optime ait Tullius, ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Accipe illuſtre exemplum pacati animi. Mane ad Sacrum Miſſæ dabat Schmidus adoleſcenti Indo vini urceolum, unde ampullas ad aram pararet. Tres erant tum Sacerdotes in oppido S. Franciſci Xaverii, quod ipſe curabat. Fuit, cum adoleſcens ille (quandoquidem vinum longiſſime illuc importatum, vites enim non fert regio, rarius eſt & pretioſius ambroſia omni, & nectare) totum id biberit, quod in ampullam unam infundendum erat, & pro vino ingeſſit acetum, multo ibi repertu facilius pro loci æſtu. Sacerdos vinum ratus in calicem immiſit. Ut ad communionem ventum fuit, viſus ſibi ille eſt ex acri ſenſu acetum hauſiſſe. Sed quod non recte valeret, affectoque eſſet palato, putavit ab hujus vitio acrimoniam illam ortam, perrexitque porro Liturgiæ inſiſtere ad finem uſque.

XCVI. At vero animum pupugerat ſapor ille triſtis, & digreſſum ara inceſſit religio de Sacrificio ſuo, rogavitque Schmidum, qui modo litarat, ut libaret ex ampulla ſibi appoſita. Ille libans, acetum re ipſa eſt, inquit. Poſt id it ad templum, & diu grates agit divino hoſpiti, quem nuper acceperat: egreditur dein tranquille, vocat adoleſcentem, ac præmonitum qualis, & quanti mali cauſa fuiſſet, jubet puniri coram ſe. Durante pœna (quæ non levis fuit) tam æquo conſtitit Schmidus animo, & tam verba moderatus eſt, ut vix commotus videretur, rejecto tumultu iræ, cujus locum ſubierat juſta vindicta. Hinc argue, qui ille in rebus minoris momenti fuerit.

XCVII. Lenitati par fuit patientia. Docuit (ut ſupra dictum eſt) omnes fere artes Chiquitos: & quamvis hi ad diſcendum boni ſint, tamen quot moleſtiæ, qui quantuſque labor ſubeundus fuit erudienti inſuetos muſicæ, & architectonices, & plaſtices, &

 cete-

ceterorum opificiorum? Tamen Schmidus nulla umquam tedii ac faſtidii ſigna edidit, corrigens blande errantes, erigenſque ſe ſe illoſque ſpe ſucceſſus.

XCVIII. Neque hunc animi modum immutabant morbi. Ægrotavit quondam periculo admodum in oppido S. Franciſci Xaverii. Jobum diceres, & quemadmodum is inter acerba illa infortunia, domuſque ruinam, *derelicta ſunt*, ajebat, *tantummodo labia circa dentes meos*, ut videlicet Deum ſancte percutientem laudaret, ſic Schmidus, qui e morbo illo pelle tantum & Oſſibus conſtabat, eo intus fruebatur mentis habitu, ut ad numeros redegerit ejuſdem Jobi verba illa: *ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, quare mala non ſuſcipiamus? . . . . Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*. Quibus jam ad legem Muſicæ compoſitis, vocavit ad ſe Muſicorum chorum, juſſitque ad ſymphoniam ea canere, moderante ipſo tempus, & ſonorum intervalla, ac revocante pſallentes, ſiquid quis aberraret.

XCIX. Convaluit dein; verum infirma valetudine ſemper uſus fuit, cruribus ita affectis, ut ſi vel leviter in rem aliquam offenderet, illa protinus exulcerarentur apertis plagis, quæ eum continere ſe ſe cubiculo cogebant. Ubi tamen mali vis remiſerat, etſi ægerdum claudicaret, id impedimento non erat, quominus (ut ſupra docuimus) baculi, & collegæ adjutus ope, decumbentes Indos quotidie circumiret, & ſolaretur. Erat idem in neophytos omnes benigniſſimus, & quam maxime poterat liberalis; qua re illorum ſibi voluntates devinciebat, & ad ſtudium artium magis ac magis incitabat. Sibi reſervabat nihil, contentus vili veſte, vilique ſupellectili.

C. Ejus caritas non ſolum oppidanos complectebatur, ſed ut zelo flagrabat gloriæ divinæ, ſalutiſque animarum, cum ad evocandos Ethnicos per ſe ipſe, diſtentus neceſſariis curis, ire non poſſet, id per clientes ſuos aggrediebatur. Indi Chiquiti non

modo

modo de suscepta Christiana Religione gloriabantur, sed etiam gloriæ sibi ducebant quam plurimos ad eamdem perducere. Hac causa expeditionum sacrarum studiosissimi erant, eorumque multi ab illis ipsis, quos bonis verbis, gratisque munusculis ad fidem allicere procurabant, occisi sæpe sunt; nec mors priorum (felix & beata, si causam spectes) alios a pio opere retardabat. Per hos igitur fidos emissarios, oratoresque, quos quater legavit, pertraxit in oppidum CC. circiter barbaros, exceptosque summa benevolentia, & humanitate, rebus omnibus, cum nihil ipsi haberent, instruxit, paulatimque assuefecit, ut sibi e culto agro victum quærerent: quocirca advenæ illi contentissimi erant nova sorte vitæ socialis & suavi jugo sacræ legis, qui finis Schmidi erat.

CI. Fuit insigni abstinentia: non cœnabat, & in prandio parcissimus erat cibi, idque in eo mirandum magis, quo procero in primis esset corpore, adeo ut ab Indis *magnus pater* vocaretur, quamquam hæc laus ad animi magnitudinem, & grandia facta referri magis debebat. Jam vero parsimoniam illam consequebatur, quod necesse erat, ingens membrorum macies, & pæne tabes.

CII. Cum sacrificabat, aliisque intererat sacris mysteriis, modestia, gravitate, & silentio pietatem aliis inspirabat. Qua in re constitit sibi Schmidus. Nam cum tot & tanta moliretur pro augendo cultu divino sive ædificandis templis, sive musica instituenda, oportebat eum Indis exemplo præire, id quod haud satis cogitant Musicorum aliqui, qui vocati ad sollemnes functiones, ut pios fidelium sensus excitent, illos potius obturbant susurro suo, & garrulitate, & immodestia. Circumspectus item erat Schmidus maxime in agendo, ubi opus erat, cum fœminis, quippe amantissimus sanctæ pudicitiæ. Et vero cum viros docuerit artes omnes, fœminas nullam docuit, nere enim illæ, & texere, sibique & maritis, & liberis vestem suere per se ipsæ sat norant.

AFFABILITAS SCHMIDI ET PRUDENTIA.

CIII. Erga ſocios porro fuit Schmidus officioſiſſimus, atque ut ab omnibus plurimum amabatur, ita viciſſim omnes eximie amabat. Sed ejus amor præſertim ferebàtur in Sacerdotes, qui e collegiis illuc mittebantur ſupplementi cauſa. Hos benigniſſime excipiebat, atque ut eiſdem ſtudium linguæ ſcitu difficillimæ pronius redderet, pro ea, qua erat Sermonis Chiquitici peritia, coegit in quædam capita, ac certos locos nominum declinationes, flexioneſque verborum, eo artificio, ut uno velut obtutu præcepta loquendi maxime obſervanda ſtatim cerneres. Huic compendio illam quoque induſtriam addidit, ut æditubos (quibuſcum hoſpiti ſæpe agendum erat) grammaticos quodammodo efficeret, ut ſiquid recens eo miſſus erraret, cum balbutire Chiquitice incipiebat, de errore ipſum ſcienter admonerent, & ad regulas revocarent: qua re fiebat, ut tiro ille, cum dein grammatica ars plenior in manus eidem tradebatur, multo celerius linguæ inſtitutiones arriperet.

CIV. Novi binos Socios, quibuſcum Schmidus (poſtquam compendiarias illis notas dederat) iter neſcio quod egit. Mane igitur poſt exercitationes ſpirituales, cum viam denuo ingrediebantur, penſum ab ipſis comiter exigebat, quærebatque cui rei pridie ſtuduiſſent, & numqua occurriſſet in diſcendo difficultas; qua optimi ſenis affabilitate & prudentia illi quaſi ludibundi in intima linguæ arcana ſenſim penetrabant. Atque hoc Schmidus modo non ſolum novis Sacerdotibus proderat, ſed proſpiciebat etiam neophytis, quorum in miniſteria, ſermonis uſum nacti, citius incumbere poterant.

CV. Undique ob tot egregias dotes Schmidus expetebatur. Quod ſicubi quid ædificandum erat, aut majoris momenti res alia facienda, ibat protinus, nihil

hil gravi & molesta via deterritus, si quidem eundi causam probasset Sociorum præfectus, a cujus nutu arbitrioque pendebat tamquam scipio ab ambulante sene, vel statua ab sculpente artifice. Confecto autem opere, cujus causa venerat, si alio proficisci jubebatur, nihil in Schmido moræ. Quapropter Franciscus Lardin, qui Sociis Chiquiticis bis præfuit, auditus est dicere, nequaquam oportere Schmidum Parochi munere illigari certo loco, & oppido, sed debere eum expeditum esse semper, & liberum omni vinculo impedimentoque, ut posset statim accurrere quoquo aut necessitas, aut major Indorum utilitas ipsius indigeret arte, & industria.

CVI. Inter Chiquitos (uti etiam inter Guaranios) vix gravius negotium incidebat, quam deductio coloniæ ex oppido, quod ita jam creverat, ut difficulter ab uno Parocho ejusque collega regi quiret. Dividenda erant bona omnia communia inter migrantes manentesque Indos. Parochus coloniam deducturus nolebat (ut par est) clientes suos detrimenti quicquam pati; idemque vicissim erat studium Parocho restituro. Ex inæqualibus autem rebus æqualia dividi, hoc opus, hic labor. Quid ergo fieret? Si vocatus esset eo Palæmon aliquis dixisset illud: non nostrum inter vos tantas componere lites.

CVII. Atqui Schmidus rem totam facillime expediebat. Ubi jam constiterat de agris & silvis futuræ coloniæ attribuendis (quæ levior res erat, cum amplissimi sint fines oppidorum) de bonis movilibus ubi major erat nodus, hunc inibat modum. Cuncta dividebat in æquas partes. Erant, exempli causa, viginti calices? decem hinc, totidem illinc locabat: erant Sacerdotales vestes quadraginta? hic viginti, viginti ibi. Sexdecim libri sacrarum precum? octo, & octo seorsum, & sic de musicis instrumentis, ceterisque rebus fere paribus; quod si valde erant impares, prudenter utrasque partes temperabat, ut justa esset æstimatio.

CVIII. Ubi jam bona ex æquo partitus fuerat, & palam expoſuerat, ecce ajebat abituro Parocho, diviſa ſunt omnia, elige utra horum mavis: *ne, quæſo, ſit jurgium inter me, & te, ... fratres enim ſumus, ... ſi ad ſiniſtram ieris, ego dextram tenebo; ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam* (a). Ille inſpectis diligenter partibus alterutram deſignabat. Bene habet, ſubjiciebat Schmidus, & quando his contentus pro tuis clientibus es, non recuſo: ego auctarium addere, ut tu, tuique migrationis laborem, impenſaſque levius feratis. Tum e relicta ſibi parte parti alteri aliquid ultro apponebat; oppidanis, quibuſcum morabatur (ne jacturam paterentur) aliter conſulturus ſua illa agendi ſedulitate, & ad omnia nato ingenio, quo facile fortunas oppidi promovebat. Sic res, quæ vix exitum habuiſſet, auctore & ſequeſtro Schmido, amiciſſime decidebatur.

SCHMIDI PIA MORS.

CIX. RESTAT, ut de ultimo dicamus vitæ Schmidi actu, qui mihi prætereundus omnino foret, niſi humaniſſime ad me de eo perſcripſiſſet Cl. V. Maximus Mangold, quem ſæpe laudavimus. Ubi Auguſtam Vindelicorum, præclaram illam urbem, venit, in amplexum ruens provinciæ moderatoris, qui ibi tum erat, en me, ait, pater optime, indignum filium, qui hinc olim profectus, huc nunc exul, & nulli jam rei utilis, gravisque futurus omnibus, ad matrem redeo. Rogo te, pater, nil amplius, quam ut deſtines ſemi jam mortuo vel minimum angulum infimi omnium collegii, ubi paucos, qui mihi vitæ dies reſtant, inter fratres meos, me morti parans, tranſigam.

CX.

(a) *Genes. c. XI. vv.* 8. 9.

CX. Provincialis præfectus venerabilem ſenem comiter & benigne exceptum Auguſtæ ſecum retinuit, ut tot, & tam longis itineribus requiem caperet, attritaſque vires reficeret. Ut autem qui a ſævo diroque naufragio, nudatus rebus omnibus, in portum nans & anhelans evadit, inque portu ipſo amicam domum reperit, & beneficum hoſpitem, præteriti infortunii vix meminit; ſic Schmidus hoſpitio recreatus dulciſſimorum fratrum, ſuperiorum terra marique laborum oblitus eſt, & ingentes ſummo bonorum largitori Deo gratias egit pro conceſſo ſibi tandem ſacro otio in æde placidæ tranquillitatis.

CXI. Cum vixiſſet Auguſtæ menſes ſex, mittendus fuit Lucernam, quod haud pauci patres illius graviſſimi Senatus, qui adoleſcentem Schmidum noverant, ſua eum in urbe habere optarent. Nova hæc deſignatio grata in primis Schmido fuit, Lucernæ enim, ut diximus, prima & pietatis, & litterarum ſtudia poſuerat, & nunc denuo reviſurus erat inclytum illud collegium, quod volentibus Lucernatibus, & conſulente in bonum Religionis Gregorio XIII. Pontif. Max. jam inde ab an. MDLXXVII., ibi coaluit, ac deinceps magis ac magis crevit piæ Reipublicæ liberalitate, & amplis muneribus

CXII. Ivit igitur Lucernam Schmidus anno MDCCLXXI., ſeque humiliter ſtitit collegii Rectori. Is illi aſſignavit cubiculum ſat magnum, & commodum: vix tamen adduci Schmidus potuit, ut eo uteretur, profeſſus palam ſibi anguſtiſſimam omnium & viliſſimam cellam deberi. Huic animi demiſſioni cetera reſponderunt. Cum ætate anteiret omnes, qui domi erant, obvios quoſque prior ſalutabat, proſequebaturque ſocios aliis urbanitatis officiis. Inviſebant illum non raro primores Reipublicæ, injectoque ſermone de rebus Americanis, quo mirifice delectabantur, Schmidus reſpondebat ſincere, & ingenue interrogantibus; præter que alia candide memorabat, quæ pro Dei gloria, & Chiquitorum bono geſta fue-

rant; at excidit ei numquam illud Æneæ paulo gloriosioris, (quo sibi nimium multi plaudunt) *& quorum pars magna fui:* quin potius studiose celabat, quid ipse egisset, ut non tam suos, quam suorum sodalium labores narrare videretur.

CXIII. Ceterum quam Schmido hærerent memoriæ ac pio desiderio Chiquiti olim sui, improvisa res plane ostendit. Est ingens admodum lacus (ut supra dictum est) Lucernæ adjacens, quem subit Rissa amnis magnas urbi, quam præterfluit, & agris, quos irrigat, utilitates afferens. Lacus vero ipse commercium aperit alitque in Uraniam, & Suitium, & Subsilvaniam, quæ ultro citroque merces suas cum Lucerna communicant, ab eaque vicissim alias accipiunt. Hoc lacu ferebatur quondam Schmidus. Jesuitæ cuidam, qui cum eo ibat, stagnea navigatio, visæque undæ occasioni fuerunt interrogandi de structura navium, quibus in Novum Orbem trajicitur, ac quæsivit ab Schmido, numcui esse posset usui in vasto Oceano lembus ille, qui eos vehebat.

CXIV. Audita America, & Oceano, Schmidus repente occulis in cœlum sublatis: ah, pater, inquit, si daretur mihi venia remeandi ad meos Chiquitos, huic me tenui lembo, & cuivis alii naviculæ, sciens & volens committerem, ut filios illos meos, vel per certa pericula, & discrimina naufragii, reviserem, atque inter caros ipsorum amplexus spiritum Creatori meo redderem: hæc me spes in mediis tempestatibus securum animi & fortem faceret: vitam certe pro illis libenter ponerem, pro quibus optavi sæpe sanguinem meum fundere.

CXV. Atqui tum quidem nihil Schmido ad quietem animi, & honestum corporis commodum deesse videbatur. Pulchra illi & nobilis ad habitandum attributa urbs ubi æducatus fuerat; domi, comes & jucundi socii; foris, plebs & patres in eumdem optime affecti: hæc vera sunt, & tamen præ Chiquitis minime hæc illum movebant, induerat enim Schmidus

dus quodammodo ſenſa illa Noemi viduæ, quæ licet jam patriæ reſtituta, nihilo minus ammiſſorum ſibi olim carorum pignorum recordatione: *ne vocetis*, ajebat, *me Noemi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*. (*a*). Is dolor, hæc ſuſpiria Schmidi Chiquitos cogitantis.

CXVI. Jam vero ſub initium menſis Martii an. MDCCLXXIII. cum tentari cœpiſſet febri, certus reſolutionis ſuæ tempus inſtare, voluit mature muniri omnibus Eccleſiæ præſidiis Sacramentiſque, quæ cum religioſiſſime accepiſſet, VI. Idus ejuſdem menſis inter crebras virtutum exercitationes ſancte exſpiravit. Sepultus fuit in collegii templo, quod Indorum Apoſtoli S. Franciſci Xaverii nomine dedicatum eſt; videturque Divus locum piæ pacis domo in ſua paraſſe optimo Clienti, qui in ejus oppido apud Chiquitos magnificam extruxerat ædem, quæ Indis jucundiorem, & ſanctiorem memoriam redderet Patroni, & Præſidis ſui, qui utinam bonis illis neophytis e cœlo dexter adſit, eorumque numerum, & pietatem, & religionem, & morum innocentiam ſemper alat, & augeat.

APPENDIX.

NEquis forte putet nos in Martini Schmidi laudem res Chiquitorum nimium amplificaſſe, producam huc ex Hiſpano ſermone latine redditum totidem verbis teſtimonium, quod de oppidis illis, & adminiſtratione Chiquitica dedit (poſtquam ex America exacti jam fuerant Jeſuitæ) Cl. V. Coſmas Bueno, Mathematicarum Inſtitutionum Limæ Profeſſor, & Coſmographus Peruvii &c. Is ditionem S. Crucis Montanæ deſcribens intulit in ſuas Ephemeridas (Limæ edi-

(a) *Lib. Ruth. c. 1. v. 20.*

editas) an. MDCCLXXI. hæc de Chiquitis, eorumque moribus.

" Ædes Parochi, ait, magna admodum est, „ quod ei adjectæ sint multæ officinæ pro bono pu- „ blico. Ibi ludus puerorum, & gymnasium pro his, „ qui addiscendæ Musicæ destinantur. Ibi officinæ „ fabrum ferrariorum, lignariorum, cælatorum, tor- „ no ligna laborantium, & textorum. Est & præ- „ lum pro eliciendo e cannis liquore saccareo, & „ area pro purganda cera ...... Exercent Indi „ artes pulchre. Jesuitæ operam dederunt ad eos „ recte instituendos. Anno MDCCLXVIII. cum Epi- „ scopus (*erat Il. D. Franciscus Raymundus de Her-* „ *voso*) oppida illa lustraret, probaretque maxime „ Organa templorum, optavit, ut unum sibi fieret „ pro principe æde Sancruciana: votis ejus & desi- „ derio artifices illi fecerunt satis, compegeruntque „ Organum, quod multa Cathedralia templa Peruvii „ penderent magni: & quidem admiratione dignum „ est, Indos, qui præter linguam barbaram sciunt „ nihil, tractare circinos, ac proportione, & nume- „ ris uti, regulasque Musicæ ad ejusmodi artificia „ accurate deducere. Eorum templa, quamvis non „ sumptuosa, grandia sunt, & justæ architectonices, „ constantque præcipue e materia, quæ ibi & mul- „ tiplex & pretiosa est. Tres templis sunt alæ; alta- „ ria autem decenter ornata, & instructa debito in- „ strumento, & supellectili. Ad functiones sacras Mu- „ sica est valde bona e cantu, sonorisque instrumen- „ tis. Hi Indi bene instituti sunt: eorum nemo ne- „ cessaria ad salutem ignorat. Quotidie intersunt Sa- „ cro Missæ, quod primo mane fit, antequam ad „ laborem eant. Assistunt divinis officiis, & Rosarii „ precibus ante noctem insigni pietate. Diebus festis „ Catechismum recitant in templo omnes, pueri ve- „ ro quotidie absoluto Sacro Missæ. In singulis op- „ pidis certus est numerus piorum sodalium, qui sol- „ lemnioribus per annum celebritatibus frequentant

„ Sacra-

„ Sacramenta. Indæ ſtatim ac pariunt, vocant Parochum, ut prolem baptizet, veritæ, ne ſine fidei, & ſalutis ſacro pignore moriatur. Adminiſtratio rei temporariæ bene ordinata eſt. Singulis oppidis ſuus eſt Prætor ad vitæ tempus; ſunt Senatores, & Apparitorum præfectus, & equitum magiſter, & curatores quidam, qui medeantur ægris, & hos quidem bis quotidie inviſit Parochus. Adminiſtri iſti pro bono publico Kalendis Januariis eliguntur. Eorum munus eſt incolarum quieti invigilare, ſcandala impedire, & cavere nequis quid alii noceat, & luſtrare etiam prædia privatorum, ut bene colantur, cui rei illi ſtrenue ſtudent & cum ſucceſſu.... Mirum eſt, gentem hanc recens ad fidem Chriſti converſam, & acrem per ſe animo, & quæ olim veneficiis ac venenis aſſueverat, ita nunc vivere, ut plures abeant anni ſine ulla inter eos lite, rixave, vel perturbatione alicujus momenti. Sunt eiſdem ſua oblectamenta, e quibus ſingularis eſt luſus pilæ &c. „

Hæc Cl. Bueno Limanus, & quidem quæ narrat conſentanea ſunt iis, quæ de recta Chiquitorum inſtitutione ſcripſit olim ex eadem urbe Limæ Marchio de Valumbroſo Joſephus Prado de Figueroa, ut diximus in vita Stephani Pallozzii. Verumtamen cum auctor illuſtris Bueno per ſe ipſe non viderit res Chiquitorum, a quibus longiſſime diſtabat, atque ob id ipſum aliorum teſtimonio uſus ſit paucula addit; & paucula e contrario demit, quibus fit ut ejus diſcrepet nonnihil a Chiquitica adminiſtratione, niſi forte mutatum aliquid fuerit triennio, ex quo abierant illinc Jeſuitæ. I. Inter artifices non recenſet pictores, & qui templi altaria, & ceterum opus ſculptile inaurabant, neque eos qui conflabant æs campanum, & qui telas coloribus inficiebant, &c. II. inter magiſtratus non ponit *Proprætorem*, qui Prætoris vicarius erat, præibatque dignitate Senatores, nec *Signiferum* pro ferendo vexillo Regis Catholici (*Alferez Real*

vo-

vocant Hispani) quod munus eximium erat. Hi magistratus ex lege Indica creari debent in oppidis Indorum, & ibi creabantur. III. Auget nimium puerperarum sollicitudinem pro baptizanda prole: neque enim Parochus (nisi cogeret necessitas) lustraturus erat sacris undis recens natos in Indarum domo. IV. Ait Parochum bis quotidie ægros invisere: Jesuitæ semel in diem invisebant, nisi vel ægri, vel morbi conditio aliud posceret. V. Omittit e Parochorum æde afferri quotidie cibum singulis decumbentium. VI. Chiquitos ante susceptam fidem justo ferociores facit; quo enim veneno utebantur, id in hostes erat; inter se autem pacifice agebant & amice, intenti qua venationi, qua aucupio, qua cultui frugum indigenarum. VII. de matutina Cathechismi recitatione a pueris dicit, de vespertina non dicit, & tamen bis quotidie fiebat. VIII. silet de ejusdem Cathechismi explicatione a Parocho, vel ejus collega profestis diebus, diebus vero festis, & Dominicis de concione alterutrius ad populum: atqui sine frequenti legis, & mysteriorum declaratione, mera doctrinæ Christianæ recitatio parum ad institutionem neophitorum valuisset. IX. locat fabrum officinas in æde Parochi; sed addi debuit eas in atrio sitas diverso ab eo ubi habitabat Parochus ipse, & ejus collega, quorum quieti divisione ista magis consulebatur. De reliquo quid in his rebus fieret apud Chiquitos, diximus supra in vita Schmidi, cujus scriptor Bueno nihil tale opinatus insignem laudem texuit, quidquid enim de artibus Chiquitorum dicitur, de Schmido dicitur, qui earum vel auctor fuit, vel perfector.

CA-

CAPITA

Comparationis inter administrationem Guaranicam & Rempublicam Platonis.



SERIES VITARUM

Cui præmittitur Auctoris Vita.




Cum tot de Chiquitis Indis dixerimus in vita Joannis Mesnerii, Ignatii Chomæ, Stephani Pallozzii, & Martini Schmidi, visum nobis est e re fore censum eorum hic reddere, ex eo enim disces quot essent oppida, & quot in oppidis hominum capita.

Die 6. Martii 1793.

VIDIT

Pro Illmo, & Revmo D. D. Dominico Marchione Mancinforte Episcopo Faventino Fr. Philippus Agelli Ordinis Minorum Conventualium, Examinator Synodalis, & Sacræ Theologiæ Doctor.



Die 28. Martii 1793.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Zucchini Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magister, Examinator Synodalis, Publicus Sacrorum Canonum Professor, ac Vicarius Generalis S. Officii Faventiæ.

CENSUS OPPIDORUM CHIQUITORUM

ANNO MDCCLXVI.

MENSE DECEMBRI.

Nomina oppidorum.	*Familiæ.*	*Vidui.*	*Viduæ.*	*Pueri*	*Puellæ.*	*Baptiſmi.*	*Matrimonia.*	*Adulti mortui.*	*Parvuli mortui.*	*Capita.*	*Sacræ Communiones factæ eo an.*
Franciſci Xaverii.	720	31	51	890	789	164	51	108	157	3201	2883
emeratæ Conceptionis.	713	20	41	998	793	178	63	65	118	3278	3413
Michaelis.	295	8	20	419	436	69	23	9	23	1473	1614
Ignatii.	531	4	34	797	837	167	20	13	65	2734	3980
Raphaelis.	562	20	26	798	778	157	34	24	67	2746	2910
Annæ.	367	8	34	481	530	102	19	30	68	1787	1807
Joſephi.	618	3	46	780	650	99	40	113	132	2715	3688
Joannis.	425	10	19	559	515	116	20	17	29	1953	2244
Jacobi.	410	4	58	363	369	117	28	19	36	1614	2441
Cordis Jeſu.	532	9	32	560	622	94	35	80	139	2287	3012
Summa	5173	117	361	6645	6317	1363	333	478	834	23788	27992



